SELECTAE PP. SOC. IESU TRAGOEDIAE: 2

*Gesuiti

Digitized by Google

6
31-f
23

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 C
18

Ex Bibliotheca

S — 51 f 23

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO. EMANUELE

DIONYSII PETAVII

AVRELIANENSIS

E SOCIETATE IESV

CARTHAGINIENSES

TRAGOEDIA.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

AR-

Digitized by Google

Bibl. Sec. Coll. Rom

ARGVMENTVM.

CARTHAGINE magnâ ex parte à Scipione captâ, oppidani in arcem, quæ velut altera quædã urbs fuit, Byrſam nomine, ſe recipiunt. Erant præter Aſdrubalem, ac Numidarum transfugas DCCCC. Punici nominis ferè L M. Quorum ad calamitates præter famis acerbitatem, quæ jamdudum etiam ſtante adhuc urbe ſævire cœperat, transfugarum deſperatio, ac crudelitas acceſſerat: qui per vicos, atque domos graſſati infeſta omnia direptione ac cædibus habebant. Inter tot incommoda, cùm jam X V. fermè dies Scipioni reſtitiſſent, poſtremò Sacrorum Antiſtites cum infulis, & ſuppliciis ad eum allegant. A quibus tentatum fruſtrà eſt, ut everſam patriam inſtaurare iiſdem in veſtigiis liceret. Quare per eoſdem Legatos de deditione actum eſt, eâ lege, ut ſalvi omnes Byrſâ atque incolumes evaderent.

Quod,

Digitized by Google

Quod, exceptis transfugis, omnibus à Scipione conceſſum eſt. Illi Æſculápii templum, quod aſpero in colle ac difficili ſitum erat, confugiunt. Interim Aſdrubal, qui ſæpiùs ab uxore, ut ſe ad hoſtem ſupplex conferret, rogatus, ſuperbè ac ferociter renuerat, furtim egreditur; & à Scipione infimis precibus vitam ac ſalutem impetrat. Hoc ubi ad conjugem perlatum feminam impotentem, quam is in templo cum duobus liberis amens atque attonitus reliquerat, furens illa poſt diras & ultimi exempli imprecationes, filios primùm ſub ipſo parentis aſpectu jugulat; tum ſemetipſam eodem gladio tranſverberat. Quo ſpectaculo commotus Aſdrubal, dum à Scipione in caſtra reduci jubetur, ſibi ipſi violentas manus attulit. Hæc Appianus Libyco.

Dramatis locus eſt Carthagine ad Arcem.

A PER.

PERSONÆ.

DIDONIS VMBRA.
SENATORES.
ASDRVBAL.
CONIVX ASDRVBALIS.
TRANSFVGÆ MILITES.
CHORVS CARTHAGIN.
M. ÆMILIVS ROMA MISSVS.
SCIPIO.
LEGATI CARTHAGIN.
MILITES ROMANI.
TRIBVNVS MILITVM.
NVNCIVS.
BITIAS.
LEGATVS SCIPIONIS EX AFRICA REDIENS.
CHORVS ROMANORVM.
LYCAS.
FILII ASDRVBALIS.
PHAMEAS TRANSFVGARVM DVX.

ACTVS PRIMVS.

DIDONIS VMBRA

Novam everſæ magnâ ex parte Carthaginis faciem mirata, vicini ſceleris, quo filios mater interimet, atrocitate commovetur.

Quæ me profundâ ſede ab inferni Iovis,
Vmbris negati ſpatia relegentem ætheris,
Excepit orbis regio? Quæ tellus habet?
Agnoſco. Libyæ video ferventes plagas
Et aduſta Sole regna: queis patrios lares
Mutare diri barbarus fratris furor;
Cæcâque ad aras fraude mactatus tori
Conſors ſubegit. Cærula emenſas rates
Patriiſque onuſtas opibus, arquato ſinu
Prima hæc crepido texit. Hinc propiùs Noto
Quâ longa ſtagnum tænia excurrens ſecat,
Religata claſſis hæſit. Hîc ſecto bovis
Metata tergo ſpatia: mercali ſtetit
Cum Byrſa campo. Mœnium hîc ſulco levi
Impreſſus orbis. Regia hîc ſedes fuit.
Illîc viarum ſtrata. Prô quantum loci
Mutata facies! quantus in cineres decor!
Quàm vaſta moles abiit! Hûc illûc ſolo
Diſjecta video tecta, & immiſſis domos
Crepitare flammis. Cuncta ſpumanti natant
Cruore ſparſa. Virginum imbelles greges
Ante ora matrum fervidus miles rapit.
Illîc catenâ tardus impoſitâ ſenex
Trahitur: ruinas inter oppreſſæ jacent
Sepulta patriæ corpora. Hic ſtratâ ædium
Mole occupatus rudere aggeſto latet.
Ambuſtus alter culmine ex alto ſalit.
Currentis alios ungula obtritu necat
Quadrupedis. Illum flamma depaſcens vorat.
Hunc ſaxa ſubter conditum, & cumulo obrutum
Ligone foſſor mactat, & valido caput
Perfringit ictu: dum viam everſis parat
Aggeribus. Heu me! quantus ex urbis rogo
Atro ſub auras vortice exundat vapor!
Qualem, ſubactus latera cùm mutat Gigas,
Ætnæa fundunt viſcera. Ah! me me tui

Carthago miſeret. Mé-ne tam averſis locum
Cepiſſe ſuperis? Siccine infeſti Phryges?
Hoſtiſque Troja ſemper? Argolicâ face
Hûc ille prædo profugus ereptos vehens
Patriæ Penates turbido appellit ſalo,
Miſeræque tandem illudit. Ex illo manet
Fatale gentis odium, & ultrices necis
Sceleriſque furiæ. Marte, quâ fatis datum eſt,
Aggreſſa gemino Libya. Bis Pœnis potens
Auſonia caſtris tremuit: &, ſi fas foret,
Occidere potuit Roma. Cùm peſtem in Phrygum
Devotus aris Iuvenis, innumeros trahens
Sub ſigna populos, invias ferro, & face
Patefecit Alpes: perque præruptas jugo
Pendente rupes: quale vix ipſis iter
Præpetibus antè patuit, Heſperiis vagum
Infudit oris agmen. Vt ſubitâ micans
De nube quatitur fulmen, & viſum occupat:
Avidaque denſum corripit flammâ nemus.
Aut nivibus auctus qualis ex alto ruit
Per plana torrens vertice, & fractis rapax
Aggeribus arva ſternit. Hunc, imo favens
Erebo, meique vindicem & patriæ Deos
Quoties rogavi! vota cecidere irrita.
Fruſtra Latino ſanguine infectas tumens
Evolvit undas Trebia. Nil clade eſt tuâ
Thraſumene factum. Voſque Romano inclytæ
Cruore Cannæ, parta nequidquam Appulis
Tot illa campis ſpolia, & admenſum decus
Stupuiſtis Equitum. Rebus invidit Deus
Nimiùm ſecundis. Verſa ſors Libyæ retrò eſt.
Hûc uſque dominos ſentit, & populi trucis
Imperia Pœnus patitur. Atque utinam pati
Porrò hæc liceret! ſtaret infelix modò
Carthago tumidi jura victoris tremens!
Sed vetera prohibent fata. Sic nuper trium
Vidi Sororum penſa. & exhauſtas colos
Agitare. Prohibet aſper, atque odio tumens
Sævuſque in iras hoſtis. Hic minimâ interim
Quod parte Supereſt: lapſa quod nondum ſibi
Incubuit, eſtque inane quod præter ſolum
Nomenque gentis aliquid, impatiens fremit.
Quid levia querimur? majus hæc quanto dies
Monſtrum videbit! Quale Phaſiacæ nefas
Ephyrea tellus vidit: arreptam viro
Spectante prolem mater (horrendum loquor)
Furibunda mater perimet. Ergo unum malis
Reſtabat illud, ſceleris ut tanti capax

Carthago fieres ? Labe pollutam impiâ
Eadem & cadentem ſumma reſpiceret dies ?
Iam noſtra ceſſo excidia, jam cladem queri.
Ruat illa. Poſt tam ſæva, tam dira obrui
Exempla meruit. Sed quid emiſſum freto
Phœbum moramur ? Sentio : afflavit meos
Lux prima vultus. Hæret, ac triſti pavet
Occurrere umbræ. Sede peregrinâ exigor ;
Ereboſque poſcor. Fugio. Pallentem Styga ;
Et operta tenebris clauſtra Tartarei ſpecus,
Et quidquid imo carcere umbrarum latet
Tetrum, ac timendum, levius hoc urbis ſtatu,
Et execrandi ſceleris aſpectu reor.

CHORVS

Carthaginis everſionem deflet.

HEu quàm perpetuum eſt nihil !
Quàm nunquam ſtabili gradu
Ævi ſors fragilis manet !
Et quæ tuta putes, brevi
Momento Deus obruit !
Florentis Libyæ caput,
Carthago decus urbium ;
Quo nil clarius occidens
Phœbus, nil oriens videt.
Hæc par, Roma, tibi, aut prior,
Par mundi Imperio, cadit
Præceps. Occidis, occidis
Imis eruta ſedibus
Reginæ domus exſulis.
Nec Saturnia te Iovis
Conjux eripere, & ſoror :
Nec quicquid Superum eſt, valet.
Vrgent irrevocabiles
Parcarum exitium coli.
,, Stat defixa adamantinis
,, Clavis dura neceſſitas ;
,, Et fati ſtabilis rigor,
,, Qui terram & mare continet ;
,, Ac rerum dominos premens
,, Infra ſe ſuperos habet.
His impulſa, velut Noto
Confligente Aquilonibus
Quercus pulſa, vel ilex,
Carthago incubuit ſibi.
Tandem Romuleâ face

Digitized by Google

Ardent Sidoniæ domus.
Et quamvis properet furens
Vulcanus, properet manu
Hoſtis non patiens moræ;
Vrbis mole tamen minor
Lentos increpitat rogos.
Nec dum funditus obrutam
Victor bis decimo propè
Ardentem queritur die.
At nunc funditus obruet:
Evictamque rapacibus
Flammis altiùs hauriet
Congeſtus cumulo cinis.
Sed quiſ-nam attonitas ferit
Aures jam propior ſonus?
Tyrrhenique frequentior
Æris perſtrepuit fragor?
Dux ſigna Auſonius movet.

ACTVS SECVNDVS.

SENATOR CARTHAGINIENSIS

Queritur cives fame premi, atque in urbis deditionem propendet.

CEu prona medio puppis in pelago, diu
Luctata, primis fluctibus feſſum ut latus
Submiſit; exin agmine ingenti globus
Præruptus undæ ſequitur, & gravidam premit
Magis, magiſque: donec incumbens ſuper
Graviore decimus impete hanc fluctus voret.
Aut qualis alto vertice aſtriferi ſenis,
Seu Thracis Hæmi, Cilicis aut Tauri jugis,
Luxata cæco turbine, aut longo ſilex
Adeſa ſenio, ſicubi avulsâ trabi
Radice tandem potuit, immani ruens
Fragore quatitur. Talis adverſis ſemel
Impulſa fatis, ſæcla poſt dena occidens,
Carthago peſsùm rapitur, & longam trahit
Præceps ruinam. Triſte documentum ſumus
Quid iniqua poſſint numina. O patria! O Tyri
Antiqua ſoboles! cinere mox denſo tepens
Nil præter urbis nomen, & fœdam ſtruem,
Idemque ſortis ſpecimen infelix eris.
Nam quid moræ ultra eſt? Quantulũ id ne ſis vetat?
Pars quota ſuperſtes? Huccine hæc moles redit?
Quantæ reliquiis urbis, ac gentis ſimul

Arx

Digitized by Google

Arx una ſatis eſt ? Has quoque aſſultans foris
Rapit hoſtis ; intus hoſte vel gravior fames
Peſtifera carpit. Nulla conſuetæ dapis,
Nec Cereris uſquam copia. In pecudum cibos,
Ignota menſis pabula humanis, agit
Rabies edendi. Pars humo virides hians
Pro fruge glebas ſcalpit, & ritu gregis
Effoſſa mandit gramina. Hic nemoris comas
Diſtringit. Ille coria nudatis vorat
Direpta clypeis. Quidquid injectum ignibus
Mollire vulgus, frangere aut morſu poteſt ;
Quodcunque viſu fœdum, & auditu grave eſt,
Veſcum omne reputat. Nullus eſt generis pudor :
Nihilque ſtirpis jura cognatæ valent.
Semeſa gnati manibus extorquet parens ;
Gnatus parentis fruſta. Nil fratrum movet
Pietas, torique vincla ſociati excidunt.
Vna hæc parandæ cura ſollicitat dapis :
Vnuſque totos abripit ſenſus dolor.
Vecors per arcem populus hûc illûc redit ;
Reptatque morti ſimilis, & greſſum explicans
Ægrè labantem titubat. Exangues genas
Obducta macies ſquallido infecit ſitu ;
Vix ſicca tenuis oſſa defendit cutis ;
Perque ipſa modo non viſcera aſpectus ſubit,
Vmbras vagari corporum, & rupto putes
Acheronte manes ſupera convexa ingredi.
Ergo atra paſſim funera, & vulgi ſtrues
Arcis per amplæ mœnia exanimis jacet :
Vel invidendâ ſorte. Nec caſſa æthere
Mandare flammis corpora, aut terræ vacat
Infodere : nec ſat virium exhauſtis fame
Vivis relictum eſt : imparem officio manum
Nullus ſolutis expedit membris vigor.
Quo quiſque vitâ functus incubuit loco,
Vice eſt ſepulchri. Lumina in fletus rigent,
Deſeruit oculos humor. Afflatu graves
Tabificus auras corripit latè vapor.
Quin clade in ipſâ cladis acceſſu novæ
Aſdrubalis inſtat miles. Hic circum domos
Impunè volitans, quidquid abſtruſum cibi eſt,
Furtimque latebris conditum, in lucem trahit :
Aviduſque prædâ potitur. Hinc cædis vagæ
Miſeranda facies : dum nece alternâ furens
Ferro nefandum militem civis premit,
Mileſque civem. Sic parum externis ruis
Carthago flammis ? nec tuam in peſtem ſatis
Romana poterant arma : Dii, patriæ quibus

Per tot ſecundis ſæcla conſtiterant opes,
Aut Rutula Pœnis ſceptra deſertis fovent,
Aut fata tolerant hi quoque inviti. Quid eſt,
Quod tendere ultra tot malis fractos libet?
Cur non manus auctore compulſi Deo
Vel hoſte dabimus? quid moræ excidio ſumus?
Cur non ſuperbæ gentis ad nutum datas
Iam ſpontè leges patimur, & portam Italo
Reſeramus hoſti? Nulla non levior ſtatu
Præſente ſors eſt. Liceat extinctos ſemel
Periiſſe. Quid me Latia prætentis juvat
Arcere muris jacula? quid vaſtum aggerem
Objicere, ſi par urbis in gremio mali
Subeunda vis eſt? Luce me immiſſus palàm
Ante ora prædo ſpoliet, atque inopem hauriat
Graſſator ædem Numida? Nec tutò interim
Mutire liceat? Satius ah! ſatius mori eſt.
Sed ille quiſnam occurrit, & lentum manu
Haſtile gradiens criſpat? Aſdrubalem reor.
Video arma: clypeo medius ardeſcit draco.
Et picta tereti galea reſplendet jubâ.
Tum ſocia conjux hæret. Huic ire obviam
Eſt impetus; probriſque vecordem inſequi:
,, Licet arma jugulo intentet. Iratum levant
,, Effuſa pectus odia. Sed furtim priùs
Subductus aliquid aure ſuſpensâ legam.

Aſdrubalis uxor fruſtra maritum rogat ut Romano Conſuli fiat ſupplex, cum eoq; fœdus ineat.

CONIVX ASDRVBALIS.
ASDRVBAL.

QVid hocce Conjux? Punicæ hunc urbis ſinum
Hoſtíſ-ne dicam caſtra? quid vecors agis?
Quò tu labentem, & ſpontè præcipitem gravas
Patriam? efferatos cur fame, & luctu obrutos
Mœrore cumulas? Tecta cur ſparſus Nomas,
Italuſque miſcet transfuga? hæc oculis vides
Crudelis, & videris? AS. Incaſſum queri
Abſiſte mulier. Quippe nil rerum integrum eſt
Mole implicato. Miles in præſens ope
Retinendus omni. Qualibet ferro vagus
Graſſetur. C. Hoc eſt regere? AS. Ductori fidem
Dum præſtet uni, cetera ut placitum eſt agat.
Diripiat, urat, jugulet, occidat, trahat.
,, C. Vbi jura, fas, legeſque? AS. Bella inter ſilent.

,, Audire leges ſtrepitus armorum vetat.
CON. Civile regimen barbarum in morem geris?
ASD. Hoc regere cives barbaros more attinet.
CON. Amare quis te hac mente dominantẽ queat?
ASD. Dum præter hoc nil poſſit, impunè oderit.
,, CON. Concepta quærunt odia vindictæ locum.
ASD. Tantum ut velint, obſtare, ne faciant, libet.
CON. Quos te tueri deceat in cives furis?
ASD. Queis tuear, urbis inde cuſtodes alo.
CON. Cuſtode quorſum, cuncta ſi rapias, eget?
AS. Ne rapiat hoſtis, utor. C. Atq; hoſtem exhibes.
ASD. Peritura fuerant iſta. CON. Si per quos licet,
Æqui bonique facio: ſin per vos, grave eſt.
AS. Grave, ſed ferendũ. CON. Pulſa ceu rupes ſalo,
Obriguit. At te hoc unicum exorem, ſine.
Quo res loco ſit ſumma, quæ Carthaginis
Miſeranda facies; urbe qui totâ ſtupor,
Mœrorque cernis. Rebus hanc ſummis opem
Ne commodare pigeat: Heſperii pete
Alloquia ſupplex Conſulis: quaquâ datum eſt,
Leni furentem; precibus evictum infimis
In fœdus adige: quod potes, quod non potes
Aggredere: in omnes te, Ducem ut par eſt, ſagax
Converte facies. Empta quantivis bene
Belli quies conſtabit. Hoc rerum in ſtatu
Nil deprecandũ eſt. ASD. Egó-ne ſervilem in modũ
Affuſus, hoſtis genua Romani accidam?
Haud eſt meum. Famulare, qui potis eſt, trahat
Collo jugum revinctus, & vilis manus
Obnoxiuſque tendat: ego juſſa edere,
Non ferre didici. CON. Sorte, quod neſcis modò,
Diſces magiſtrâ. Iámne quid ſoleas, vacat
Spectare, vel quid deceat? ASD. Haud facio, abnuo.
Pudet iſta per nos agere. Privatum in caput
,, Tranſferre ſatius. CON. Sæpè privato negat,
,, Quod ſponte Princeps, Principi oratus dabit
,, Afflicta veniam facilè majeſtas ſibi
,, Specie vel ipſâ extorquet. ASD. Extundi rear
Si poſſe, nihilo imperia deformem magis.
Priùs hunc dehiſcens terra condiderit virum,
Quàm turpe ſubeat munus. At procerum coit
Huc turba ſenior. Vade: bellorum viris
Curam relinque: mulier es. CON. Novi Aſdrubal,
Sum mulier: at non iſta muliebri ſcies
Animo profecta. Fors & auditum voles;
Quod nunc monentem pectore haud æquo capis.

Mahar-

Maharbal in Aſdrubalem ut malorum omnium cauſam invehitur, quem iubet Aſdrubal in vincula coniici, Sacerdoteſq; ſacris operatos ad Romanos pro obtinenda pace proficiſci.

ASDRVBAL. SENATORES.
MAHARBAL SENATOR.

ASD. SAlvete Proceres ! Commodùm accitos gradum
,, Huc intuliſſe lætor. Ante oculos ſita eſt
,, Fortuna cuique propria : Rectori objacet
,, Communis. Hanc vos operis in partem vocat
Depoſita mecum patria, maturos ſimul
Ævo, atque honorum gradibus. Haud parvo ſpei
Penſanda ſumma eſt opere : proin, ſi qua eſt ſalus,
Quem bella finem, noſtra quem capiat ſtatum
Fortuna, mecum quærite. MA. Hoc demum rogas?
Nempè & Senatum conſulis ? Tandem ſtudet
Civilis eſſe. Regna tum populo approbat
Cùm nulla propè ſunt: liberam & gentẽ Aſdrubal,
Cùm periit, eſſe meminit. At legum, puto,
Antè huic, Patrumq; cura: quos dudum opprimit,
Et quos peremit. Cùm tuus ſtricto ſalit
Mucrone miles, perque ſemirutæ vias
Bachatur urbis, tectaque & prædam egerit:
Dum quæ hoſte ab ipſo vertit, in ſolos gerit
Intrepida cives ora : dum mediâ nihil
Tutum urbe ; dum te patria rectorem videns,
In æquo & hoſtem ponit, aut leviùs putat
Etiam hunc timendum: voce dum ſolâ abſtinens
Sceptroque, Regis cetera, & domini refers,
Num te Senatus tangit ? His ulla advocas
Conſulta ? Sed vel ſapere nunc porrò incipit ;
Patrumque placitis hæret. In medium loqui
Fas cuique tutò eſt. Dum tuam ad mentem loquar,
Dum nil reluctēr, fas quidem : at contra hiſcere
Barbarica prohibent arma. Num tutò rear
Sentire quidvis poſſe, quem caſtra ambiant
Tua ? quem cohortes, armaque in jugulum ſtatim
Ruitura cingant ? Liberum ut vultum feras
Placidus, modumque noris, alterius docet
Aſdrubalis atrox pœna, quem falſi reum
Sceleris, nec ullo teſte, nec facti quidem
Indice revictum, vota remorantem tua

Turbæ

Turbæ furenti dedis. Inde alios ſpecu
Atro coërces : verbere hos, mulctâ, probris
Alios, metu omnes cogis. Et verum juvet
Poſt iſta fari exempla ? quodque aliter probet,
Memorare quiſquam tantulo vitæ, ac necis
Diſcrimine auſit ? Cladibus tantis rogas
Ecquid ſalutis reſtet. Hoc de te Aſdrubal
,, Scitare potiùs. Spectat authorem mali
,, Opis parandæ ratio. Quam ſolus foves
Reſtingue flammam ſolus. Heſperio foris
Quod ab hoſte geritur : quod rei,& capitum perit
Face, ferro, abactu : patria quod vivis ruit :
(Quanquam iſta Ducis eſt culpa) ſed nec jam potes
Præſtare, nec nos querimur. Hoc propriè tuum eſt
Quod in urbe, quod te conſcio, auctore, auſpice,
,, Addo & jubente tulimus. Hoc ipſum eſt ſcelus
,, Non vindicare ſcelera. Tu princeps præis.
Quid jam Latinos verear ? aut quid jam aſtrui
Tot poſſe (captos fingite) ærumnis putem ?
Non ſi ſuperbus Gentiles ovans
Immittat Aquilas Ductor, æquè in me ferus
Peregrinum & hoſtem ſubeat. Ac belli vides
Ardore in ipſo, ſaxa, cùm ſummè furit,
Nil muta præter, urbis & ſedem gravi
Deſignat odio : ſupplicum haud facili volet
Imbuere dextram ſanguine. Hoſtilem in modum
Sævire ſaltem diſce. Si veteris notam
Abolere noſtro ſanguine exſilii cupis :
Diſtingue ſontes. Quos tibi in pœnam legas,
Lethoque damnes, fare. Sin æquè juvat
Sævire in omnes penitùs, idque animo ſedet ;
Paulum opperire, dum tuis votis fames ,
Et Roma ſervit. Liberè, oppreſſos malis
Spirare ſi non detur, expirent ſine.
Quò ſæva vertis ora ? quid torvum intuens
Terres minaci fronte ? Men' ſolùm queri,
Solùm iſta credis proloqui ? Idem aliis dolor :
Non animus idem, non vigor. Vincit metus
Odium tui : diſparque libertas pari
In mente reſidet. Vna cunctorum vice
Vox commodata eſt. SEN. Euge. SEN. Prô civem inclytum !
Nos umbra tantùm, & numerus. ASD. Iratos tibi
Deos oportet eſſe, qui mentem hanc, ſenex
Furioſe, dederint. O mihi multum hac brevi
Doliture linguâ ! Túne me? At verbis tenus
Pugnare veſtrũ eſt. SEN. Iurgia incaſſum,& minæ
Iactantur. Hæc tu,cauſa qui rixæ es prior,

Depone primus. Spiritus agedum truces,
Nec utiles compeſce. Quid pugnam cies ?
,, Impunè nemo Principem aggreſſus tulit.
ASD. Animum inſolentem frangere,& ſtolidi ſenis
Comprimere faſtus, facile, ſi lubeat, viro eſt.
Nunc cura revocat gravior. Arcete hunc procul.
Raptetur. MAH. Vt ſe non ſuum ad morem ferus
Componit ægrè ! Mitis eſt tandem Aſdrubal.
Quis poſſe credat ? ASD. Hæc mihi infelix malo
,, Domanda lingua eſt. Fræna quo laxes magis,
,, Hoc mage feroces colla luctantur jugo
,, Excutere : habenis meliùs adductis regas
,, Inobſequentes. Si quis eſt miles propè,
Succedat.Hunc vos rapite.MA.Quæ tam barbarum
Hyrcana monſtrum tigris, aut fœta algido
Specu profudit urſa? quæ ſimilem tulit
Olim Tyrannum regio ? Non ille hoſpitum
Pharios repenti ſanguine inſpergens focos.
Aut ille aheno ſpĕtus incluſos bove
Torrere ſontes Phalaris. Aut qui præpetes
Æquè hoſpitali Thracius Princeps dape
Pavit quadrigas, tam ferum, ac terrum induit,
Avidumque cædis pectus. Vt perdant malè
Dii te Senatus carnifex, gentis probrum !
ASD. Etiam laceſſis ore furibundo procax ?
Injicite vincla. Noſtra quid poſſint ſcies
,, Imperia. SEN. Mentis fervidos motus preme ;
,, Ne quid quod olim pigeat irata occupet.
,, Malus regendi interpres officii furor.
,, Quò plura facere liceat ; hoc libeat minus.
ASD. Faceſſat. Hæc tu capite, ſi vivo, lues.
Vos ſaniori mente, quod facto eſt opus
Conſulite mecum. Nec meâ hic causâ labor
Suſceptus angit. Nullus immemorem ſui
Et obſtinatum in fata pervincit timor.
Sed patria clades : cujus afflictæ piget.
Piget cadentis Imperî, ætatis piget
Imbellis heu ! ſexûſque, confusì furens
Quem ſtrage paſſim gladius hoſtilis metit.
Hæc me una trepidum cura, me imbellem facit.
Hæc me, quod iſtis peſſimum in fatis reor,
Hoſtem rogare cogit. Ergo iterum prece
Tentanda miſeris venia,& Auſonius rigor
Emolliendus. Vna perculſis adhuc
Spes eſt ſalutis, ſi qua Legatis ſalus
Expreſſa veniat. SEN. Quis ſibi has mandet vices?
ASD. Partes Deûm hæ ſunt. SEN. Numinum huc aliquid polô

Trahe-

Trahetur? ASD. Italûm caſtra ſolenni frequens
Cultu Sacerdos adeat, & pacem roget.
SEN. Totúmne portis obviam effundes gregem?
ASD. Niveâ ſeniles infulâ obtectum comas.
SEN. Quid petere porrò ſupplicem hoc ritu jubes?
ASD. Pœnis, quod ultra eſt, parcat, & ſocios ſinat
Erigere muros Roma. Nos unam velit
Patriam paciſci: cetera in Carthaginis
Ceſſura pretium. SEN. Nempe quod ſtante abnuit,
Et adhuc timendâ fœdus, everſâ dabit?
ASD. Tunc impotenti bellicus ſtimulos furor
Suffixit animo, caſtra cum noſtris recèns
Applicuit oris Conſul; evictum malis
Nec dum Libyſſæ gentis exciderat decus.
Nunc tot ſubactos forſan ærumnis Deus
Reſpiciet aliquis. Clade ſatiatus tumor
Violentus in ſe recidet. Eſt odiis datum
,, Pœnarum abundè. Sæpè felici invidens
,, Fovet ruentem. Sic reſiſtentem petit
,, Fremebundus: idem parcit afflictis Leo.
SEN. Non Vrbis hæc ſunt fata: nec modico luet
Victoris iras. Donec exciſas domos
Involvat unus pariter, & cives rogus;
Ruantque ab imo cuncta; vis nulla impetum
Latii reſolvet Martis, aut Pœnum eximet.
Novi hujus animos gentis, & regni ſitim,
Et odia noſtri generis, & veteres minas.
Quid? rerum in ipſo cardine, ad votum exitu
Labente belli, referet infectos domum
Acer triumphos Ductor, atque operæ velit
Carere pretio? Fac tamen velle. Hoc Patrum
Conſcripta fieri turba, vel populus ſinat,
Queis cæca ſtimulis pectus obliquis fodit
Invidia? Patrii quid tenax odii Cato.
Faxque una Libyæ? Bella ſe vivo excuti
Patietur? Erras: nulla vivaces dies
Reſtinguet iras. ASD. Vota ſi fallit furor
Barbaricus, & nos fœdere anguſto premit;
,, Cedamus ultrò. Fugere quod nequeas, pati
,, Tandem coactus diſce. Si pacem neget
Manente patriâ: quam nec extinctus queam
Eripere, ſalvo potiùs ac vivo ruat.
Veſtra illa, proceres, cura. Me miles manet:
Qui cùm necis, vitæque ſors eadem Duci eſt.
Hanc ſi precantum nullus expediat labor.
Nec ferre tutum liceat hinc nobis pedem;
Noſtrûm eſt levis jactura, ſi reliquis cavent.
Agedum hæc parentur. Inde, cùm ſignum dabo,

Operata ſacris turba ſeſe omnis foras,
Quâ quiſque veſte inſignis & cultu nitet,
Italûm ad ſtativa fundat, & ramos ferat
Vittâ implicatos. Trepidus en greſſum citat
Huc ille in armis transfuga.

Animantur ne inulti occumbant.

ASDRVBAL. TRANSFVGÆ.

O ſocii, quibus
Spes nulla, vel ſuprema, quô miſeros vocat
Fortuna, mecum audete. Si noſtris Deus
Meliora rebus pertinax odii negat,
Si nil licèt ſperare, fas pugnæ immori:
Fas non inultos cadere: fas aliquid viris
Tentare dignum: non nece informi leves
Profundere animas, membra ferali cruce,
Crepituque tortos verberum, aut ſciſſo, pecus
Ceu molle, jugulo, reſte vel collô inditâ,
Lictoris atras perpeti Auſonii manus.
At iſta noſtrum quilibet captus luet.
Aut buſta propter vile in inferias caput
Impenſus Orco, ludicro immani truces
Oculos tenebit. TR. Non ita. Armati priùs
Quovis ruamus. Triſte ſucceſſus ferant
Pretium ſui, luctumque cum noſtro hauriat
Cruore victor. Si qua ſpes; tutum locus
Dabit hic receptum. Nulla ſi ſupereſt ſalus,
Dabit ſepulcrum. Quis ſcit hac clusos Deus
An & aliquis arce videat? Et Româ genus
Ardente Phrygium Gallicâ immunis face
Arx una texit. M. Alme Latonæ nepos
Phœbique ſoboles, qui laborantes, opem
Rogatus, ægros arte Pæoniâ levas!
Tua nos adimus templa: nos ſede in tuâ
Perfugia vitæ capere vis ſæva impulit.
Ades, & ſalubri mitis auxilio fove.
A. Vos ſumma templi prendite. Hac noſtrum genus
Thalamique conſors parte ſepoſiti latent.

CHORVS

Æſculapium invocat eiuſq; laudes concinit.

DIve, quem morbis facilem levandis
Sole quæ primo rubet, & cadenti,
Concinit tellus, roſeo decentem
Flore juventæ!

Sive

Sive te gratis Amynea campis
Ripa, Sperchiuſque ſonans, vel Oetæ
Nobilis tangit ſpecus, aut nivalis
Culmina Pindi.
Seu Phrygi luſtrata colis Tyranno
Regna, quæ pontum prohibente jungi
Summovent Iſthmo, geminique frangunt
Æquoris undas.
Quâ ferax Bacchi, domitrixque equorum
Erigit celſas Epidaurus arces.
Sive ades præſens magis, & vocantes
Proximus audis.
Lenis afflictos placiduſque ſolve
Caſibus tantis. Probibe Latinas
Hinc faces, hinc tu gladios, & hoſtem
Flecte ſuperbum.
Cælitum proles, patriaque felix
Arte: quem terris properante partu
Præcocem fudit prope funerata
Phthia Coronis.
Furta dum Nymphæ male viſa amantis
Edidit Phœbo meliùs latenti
Conſcius culpæ modò pullus, olim
Candidus ales.
Cæcus an falſo eſt amor? En futuri
Præſcius vates ſua damna ſolus
,, Neſcit. At quantum nocet impotentis
,, Gratia linguæ!
Quippe contento Pararæus arcu
Tela, quæ cervos capreaſque contra
Tendere aſſuerat, ferus, heu! puellæ
Pectore fixit.
Icta vix ferro cecidit; cruentæ
Iam Deum cædis piget: odit arcus,
Et manum in pœnas facilem, indicemque
Criminis odit.
Vtque opem fruſtra tulit, & jacentem
Fovit; exangui ſua matris alvo
Semina eduxit; medioque natum
Extulit igni.
Hunc ſpecu vaſto tenerum biformis
Excipit Chiron, medicaſque alumnum
Edocet vires: mala quæ, quibuſque
Mitiget herbis.
Crevit has ſenſim Iuvenis per artes.
Quem necis vitæque parens avuſque
Arbitrum ſanxit. Sed & hunc potenti
Terruit auſu:

Fraude cum Creſſæ lacerum ſub auras
Virbium infernis revocavit umbris:
Iuraque horrendæ Stygis, & Deorum
Fœdera rupit.
Non tulit tantum decus, & triſulcâ
Cuſpide in ſontem violentus hauſit
Iuppiter: quoque hic alium retraxit,
Merſit Averno.
Dite ſed rurſum domito, profundi
Clauſtra perfringens Erebi, verendum
Reddidit cœlo caput, & paternis
Intulit aſtris.
Inclytum ſalve jubar ô colende
Semper! ô vitæ dator! & levamen
Vnicum feſſis! Adime imminenti
Corpora letho.

ACTVS TERTIVS.

Marcus Æmilius Scipioni exponit Senatus mandata de eruendâ Carthagine, & fœdere non ineundo.

MARCVS ÆMILIVS ROMA VENIENS. SCIPIO.

MAR. CLari propago generis, invicti nepos
Ductoris, æquè invictus: ingens Martiæ
Decus urbis, & tutamen, æternùm Deos
Tibi Roma faciles optat, & ſalvum jubet
Valere, per te ſalva. SCIP. Quod pro me expetit,
Sibi præſtat. Huic, dum ſpiritus fragiles reget
Vitalis artus, luce dum æthereâ fruar,
Vni juvat vixiſſe. Quid porrò? MAR. Tuis
Gratatur armis, teque pro merito favens
Macte eſſe forti gaudet Imperio Patrum
Conſeſſus. SCI. Afros ecquid ob victos Deis
Supplicia Romæ indicta? M. Turba obiit frequens:
Purâque oberrans veſte, frondenti comas
Implicita lauro, ſacraque inſtaurans, Iovi
Superiſque grates habuit. Vnà omnis virûm
Matrumque populus; virginum innupti greges,
Fudêre ad aras vota. Geniali dape
Inſtructa menſis templa diſpoſitis dies
Patuere ſenos. Hoc quoque Imperii cape
Tibi prorogati pignus, auſpiciis ruat
Donec tuis Carthago, nec Libyâ ſuper

Quid.

Digitized by Google

Quidquam pavendum reſtet. SCI. Hic mecum labor
Fuerit. MAR. Quod inſtat, penitùs inimicam erui
Vrbem Senatus mandat. Hæc tacitè in ſinum
Commiſſa per me ſedulò ut præſtes rogat.
Pax huic, fideſque nulla, nec veniæ locus,
Nec ulla ſunto fœdera. In flammas eat
Carthago, & altus condat everſam cinis.
Cœlum execrandæ peſtis aſpectu leva,
Terrore patriam. SCI. Spontè currentem incitas.
MAR. Video, nec addam his plura. Quin veterum
Septena Libycis miſſa ſupplendis venit. (cohors
Subvecta pariter farra, & in belli moras
Quod attributum eſt æris. SC. Hoc me animo juvat
Certare Patriæ, quo meis rebus favet.

Legati Scipionem fruſtra rogant, ut Carthagini parcat.

LEGATI SACERDOTES. SCIPIO.

LEG. ÆQuande Superis Ductor! Huc Tyriâ ſacer
Legatus arce tendit, & veniam rogat.
SCIP. Quænam huc ſubegit cauſa? LEG. Quæ te proſperis
,, Rebus fluentem lubrica inſidæ monet
,, Timere ſortis: quoque te extollit magis
,, Hoc te magis contrahere, nec duro pede
,, Aliena premere fata, metuentem Deos
,, Paſum fideles. Sæpe Romanos quidem
Carthago ſupplex adiit. Hæ gentis vices,
Hæc generis olim fata. Sic nunquam tamen
Supplex adivit. Maximum hæc vobis dies
Novumque prima decoris acceſſum parit.
Homines ſolebat antè. Nunc pro ſe Deos
Allegat. Hos tu ſtare nobiſcum, hos focis
Ariſque pulſos genibus advolvi tuis,
Vnà & precari crede: Téne ergo Africæ
Sceptris tumentum patria, & Herculei ſupra
Finem laboris ſpatia metantem imperî
In has Latino Marte ruituram vices
Sperare potuit ullus, ut dextrâ genu
Hoſtile prendens, ſupplici inſtares prece,
Non imminenti ut colla ſubducas jugo,
Dominámve renuas: non ut exhauſtis levet
Servile pretium capitis. Heu! gravior tibi
Sors deprecanda eſt. Tantulum ut ſalvam velit
Miſeramque victor, mole pugnandum arduâ.
Hæc ſumma voti, ne ſolo afflictam tenus,

Rap.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Rapidiſque aduſtam facibus in cinerem, & leves
Verti favillas jubeat. At, ſi qua eſt adhuc
Pietas, maliſque pectus humanis dolens,
Te te iſta ſpecies tangat. Hanc urbem aſpice:
Huc ora verte Scipio: hæc quo ſit loco,
,, Quo fuerit olim, expende. Sunt certa invicem
,, Sua cuique genti tempora. Excidimus modò.
,, Sic vos poteſtis. Fragilis eſt fati tenor.
Nec Roma ſemper ſteterit. Et vivat quidem
Opulenta, felix, dives, & nunquam tui
Carthago ſimilis! Cuncta ſub pedibus regi,
,, Vertique videat: nos quoque. In noſtris tamen,
,, Quid vos timere deceat, ærumnis vides.
,, Quo te premi devictus exemplò velis,
,, Modo in hoſte victor ſtatue. Quanquam hoſtem
Ne credite hoſtes. Error invitos facit. (loquor?
Non cauſa: ſocios fœdus, & toties datæ
Vtrimque dextræ; quoſque cepiſtis Deos,
Et quos dediſtis obſides quondam bonæ
Fidei, & ſequeſtres. Proinde civili haud minus
Sociale bellum geritur. In ſocios potes
Tam ſævus eſſe? Támne flammatum in ſuos
Verſat furorem Roma? Nam dici ſuos
Nec iniqua nobis adimet. Vt libitum eſt, age
Opprimite, ruite. Donec etiamnum ſumus,
Veſtri ſumus, fuimuſque. Stant fixa æreis
Monimenta tabulis, pactaque amborum manent,
Fas ſit precor dixiſſe, non ullâ recèns
Temerata fraude. Vetera quid fruſtra exequar,
Geminique cauſas Martis? Hæc noſtros penes
Maneant Parentes. Pace bis ruptâ nocens
Carthago fuerit: nil meam hoc cauſam gravat.
Talem ſciebat, jura cum victis avus
Tuus ille poſuit: cum tot exitio licet
Furiata procerum Roma, tot ſtrage urbium,
Per hunc pepercit. Tempore ex illo nefas
Nullum peractum: ſi quod eſt viſum tamen,
Non omnium hoc eſt. Scelera paucorum innocens
Heu! turba luimus. Adde perjuri dolos
Numidæ. Quod urbi crimen, aut culpam objicis?
Quid miſera potuit? Tempore impoſitum ſuo
Ferri tributum petitis? Elephantos dari?
Paremus. Exin ſtirpe meliori lares
Viduare patrios: deque mœrentum ſinu
Natos parentum trahere compulſi, obſides
Heu! chara vobis pignora, & ſpem Punicæ,
Floremque gentis dedimus. Hinc caſtris jubet
Inferre Conſul arma, & exhauſto rates

Deripere

Deripere portu. Subdoli ad nutum Ducis
Advehimus. Opibus ſola de cunctis ſibi
Carthago reliqua fuerat. Hoc veſtrâ in manu eſt,
Vtrum ſuperſit. Per tot impenſas, nihil
Præter ſalutem pacta, & incolumes Deos,
Non obtinebit? nec datam exſolvet fidem
Iamjam bilinguis Roma? quam labem inferas
Agnoſce. Cauſam ſi minus noſtram probas;
Propriæ faveto. Quid quòd hæc ſtirpis tuæ eſt,
Avique munus ſalva? Quid damnas avum?
Quid ſtemma patrium carpis? & magnæ amputas
Monimenta laudis? Ille ſubjunctâ jugo
Contentus urbe, majus ereptâ tulit
Pretium, decuſque. Nomen huic Libya inclytum,
Non tam manu perdomita, quàm ſoſpes dedit.
Dabit & nepoti. Vincet hunc etiam nepos,
Si fracta cujus Marte Carthago occidit,
Iterum hoc jubente ſurgat, & priſco gradu
Rediviva ſtare mœnia, atque arces velit.
Quod tu, per illam dexteram, Publi, precor;
Per iniqua Pœnis numina, & Trojâ, ac Tyro
Profugos penates: perque nullius manu
Movenda patrum buſta, maneſque integros,
Permitte tandem. Veſtra ſic ſemper Deos
Habeat ſecundos Roma. Sic nullos tremant
Tarpeja Gallos culmina. Hoc Divûm ſator
Armatus orat falce procurvâ ſenex,
Hoſpeſque quondam veſter; hoc qui cœlites
Trifidâ coërcet cuſpide. Hoc charâ petit
Pro gente ſupplex Conjugis magni ſoror.
Hoc lucis almæ genitor: hoc Phœbo ſatus,
Quem Graja colubri terga pandentem colit
Epidaurus. Vltrà ſi peti pœnas placet;
Servata pœnas, & quidem ingentes, luet,
Ne metue: vivet miſera. Nil clade hac potes
Aſtruere gravius, eſſe crudelis potes.
SC. Non me eſſe, tumido læta quem rerum efferant
Faſtu inſolentem: quem ſuperbifico juvet
Calcare greſſu, Marte quos fractos ſemel
Vel merita ſors exturbat; haud equidem reor
Latere quenquam. Nec mihi ferro aſperum,
Aut ſilice, credo, pectus obductâ riget.
Sed imperantis juſſa me patriæ nefas
Violare. Si vos fœdus ex animo irritum
Sarcire, non jam Punicâ optatis fide:
Præſto eſt: nihil me plura cunctantem loqui,
Vos terere luctu tempus imbelli expedit.
Facilis via eſt, breviſque, Quæ geminus tulit

In

In verba pridem Conſul, hæc eadem modò
In verba refero. Qualibet Patriæ novas
Optare ſedes intus, & pelago procul
Transferre jubeo: continens tutò ſolum
Decimúſque Libyæ parte ſepoſitos lapis
Excipiet. Illic ratibus, & portu carens,
Secura dives Cereris, & Bacchi ubere
Carthago glebas pacis operata excolet
Studiis. Propinquo donec alluitur mari
Suſpecta Romæ eſt. Pignore haud alio poteſt
,, Fidei eſſe cautum. Cetera ut præſtet, metum
,, Quis præſtet unquam? Nec face alterius bene
,, Splendere Phœbi, gemina nec mundus queat
,, Ferre,aut vereri ſceptra. LEG. Cõſortem times:
Nullum timebit Roma, ſi talem timet.
An hic jacentis? hic datæ in præceps rogus?
Cinis ille? molis illa confuſæ ſtrues?
Congeſta temerè ſaxa in hoc ſeſe dabunt?
Tantos reſument ſpiritus? Non tam levi
Pœni ruinâ trahimur. Everſas opes,
Vel ſi ipſa cupiant fata,quo ſteterant loco
Numquam reponent. SCI.Vrbe nil tecum integrâ
Certum eſt paciſci. LEG. Patere quod dudum ratum eſt
Manere fœdus.SC.Fraude quod veſtrâ irritum eſt?
,, LEG. Purgare poſſum. SCI. Quando confeſſum exprimis
,, Ab ſonte facinus? LEG. Pœna,ſi ſontes ſumus,
,, Quæ ſervitute eſt gravior? SCI.Arbitrio decet
,, Dominantis illam ferre. LEG. Quid ſalvâ jubes
Patriâ? SC.Eſſe idipſum ſalva quo dempto nequit;
Mutanda ſedes. LEG. Nempe bis geminis propè
Romam ante ſæclis poſita? SC.Sic Romæ expedit.
LEG. Hanc perdis urbem? SCI. Merita ne genti exprobrem,
Diis imputetur. LEG. Hos tibi iratos puta:
Vetera auſpicato templa ſi moveas ſtatu.
SCI. Sic quos Saguntus habuit iraſci Deos
Primùm neceſſe eſt. LEG. Scelera ſi plectis,luat
Qui fecit. SCI.Et quæ fovit. LEG.In quorũ caput
Sævire cupias ede; quos jubeas tibi
,, Dedi rebelles. SC.Scelera,niſi cauſam amputas,
,, Caputque,fruſtra reprimis. Hæc quæ animos facit,
Noviſque rebus acuit, haud fido priùs
Vrbs eſt ſitu movenda. LEG. Quâ culpâ nocens?
SC.Fecit nocentes. LEG.Eſſe quam nuſquã jubes,
Sociam memento. SCI. Memini & infidam ſemel:
Iterumque,& ultrà. LEG. Parce; ne ſævi obſecro.

Per

Per quidquid omne fuimus, & quidquid ſumus
Miſerere Conſul. SCI. Miſeret: hac juris tenus
Noſtri eſt; nec ultra tendere, aut Romæ licet
Obſtare placitis. Deſine: immotum eſt, ſedet.
Arma, arma properè miles. Vrgendum eſt opus.
Dum tempus, & res aperit optatis viam.
LEG. Inducias pauliſper, & ſævi moras
Belli ſequeſtres, juſſa dum ferimus, rogo.
SC. Abite properè. LEG. Nulla redeundi mora eſt.
SCI. Niſi qui imperata faxit, huc nemo ampliùs
Efferre reducem mœnibus greſſum velit.

Scipio Milites ad everſionem Carthaginis animat.

SCIPIO. MILITES.

NVnc fida, ſocii, pectora, expertum manu,
Animiſque robur, ultimam hanc operam date
Patriæ, mihi, vobiſque. Nos Tyriæ arbitros
Fraudis; ſuique vindices decoris parens
Communis armat. Stirpe, non opibus, quidem
Hoc æſtimandum eſt nomen: utque humilis fuat
Tenuiſve, ſi vel capite præſtanda eſt, caput
Letho offerendum. Cauſa, non ſors quæritur
Parentis. At quas & parens ſtimulos dabit,
Et Roma? Quem non illa ſecurum ſui,
Hæc Martis avidum reddat? Hæc cujus minor
Vtraſque Solis fama complevit domos
Nutu obtinentis cuncta? Quam triplicis tremit,
Sentitque mundi regio? quæ vinci inſolens,
Tot ubique fudit arma? tot clauſas vago
Patefecit urbes Marte? tot partos retrò
Numerat triumphos, quoſque vicini Italûm
Dedere tractus, quoſque trans pontum ultimo
Oriente populi: quidquid Argolicæ tenent
Ditione gentes: quidquid extremi colit
Populator orbis Macedo: quæ Rhodopes arat,
Hæmique cultor? Adde pollentis ſinus
Aſiæ, Syroſque: quidquid obverſum maris
Aut claudit ingens litus, aut clauſum mari eſt.
Illyrica taceo regna: nec pelagi loquor
Superi receſſus: teque Gallorum genus
Infræne: tum quodcumque majori imminens
Pelago, cadente Solis afflatur rotâ.
Hæc ipſa, quam nos quærimus, bello haud ſemel
Subacta Libya eſt. Decora quid tanta exigant,
Ante ora cuique eſt, voce nec noſtrâ indiget.

Digitized by Google

Tot illa rerum fama, tot ſpoliis ovans,
Tituliſque dives gloria, in veſtris, viri,
Commiſſa manibus, pectore in veſtro ſedet.
Nec longa belli tædia, aut ſegnes moræ.
Affectus hæret cardine in ſummo labor.
Eſt in propinquo meta. Perfunctis levi
Merces periclo magna: ſed major tamen
In laude fructus. Agite, nunc gentis caput,
Libyæ illa domitrix, æmula Imperii, potens
Carthago, gemini ſæva dominatrix maris;
Quoque orbe rutilum Phœbus emenſo jubar
Reſtinguit; & quod media terrarum ſecat,
Illa illa rerum tumida, violenta, impotens.
Quodque omne ſupra eſt crimen, infandi domus
Annibalis, imis ſedibus præceps ruat.
Perdenda penitus: peſſima excidio lues
Abolenda. Dudum has tot Ducum inferias petunt,
Tot civium umbræ: ſtrage quos fœdâ Africus
Graſſator hauſit; terna dum luſtra incubans
Vagum per urbes agmen Auſonias rapit.
Lentoque columen Marte Romanum atterit.
Quid, quos Pyrenes arduæ obverſus jugo
Fraude interemptos Celtiber campus tegit?
Geminúmne belli fulmen, & noſtri inclytum
Par generis, acres morte Scipiadas nepos
Errare inultâ patiar? Haud vivus quidem.
MIL. Tua nos alacres, quocumque vocas,
Quocumque moves, caſtra ſequemur.
Duc age, Publi. Duc quâ Phœbo
Surgente rubet decolor Indus.
Quâ ſepteno gurgite Ganges
Flavas pelago miſcet arenas.
Quâ nobilibus pendula ramis
Dites carpunt vellera Seres,
Duc quâ gelido Parrhaſis axe
Lentos ſitiens contrahit orbes.
Nulloque rigent hoſpite campi.
Duc quâ pronâ luce renatus
Aperit ſeros Heſperus ignes.
Duc quâ fervent propiore Deo
Torto Æthiopes crine minaces.
Seu nos terrâ, ſeu ferre mari
Romana jubes, te Duce, ſigna,
Aquilaque tuos præeunte vocas,
Nec terra tuos, nec mare, Publi,
Arcere queat. Fortibus auſis
Par ſemper erit vivida virtus.

Fruſtra

Fruſtra pro transfugis agunt.

LEGATI CARTHAG. SCIPIO.

LEG. O Cujus armis ſubdita Auſonias potens
Auxit ſecures Libya, Scipiadum genus!
Romæ ſecundis, Punicæ infenſis rei
Exorte Superis. Quod malis minimum potes
Impendere, audi. Néve quod victi preces
Gemituſque toties ferimus, afflictos tuis
,, Contemne pedibus. Hanc habent magnæ indolē,
,, Et avida laudis pectora, ut miſeros levent,
,, Premant feroces. Non ego ut patriam precor,
Sedémve dones veterem; ut intactas adhuc
Ferroque, & avidis ſubtrahas flammis domos.
Et hoc tamen decebat orantes Deos
Audire, & animos regere, plus captâ ſatis
Vrbe obſecutum. Nam quid exciſâ amplius
Aſſequeris? in vos imperi damnum redit.
Veſtrum omne, veſtrum eſt, Africæ quidquid perit:
Dolor eſt pudorque noſter. At nil jam integrum eſt
Ardente totâ, ſede ni priſcâ jacens
Rurſum excitetur. Hoc quoque infenſus negas?
Nec jam precamur. Vertite, obruite omnia:
Vrbis reliquias ſpargite: infelix Tyri
Nuſquam propago, nuſquam Agenoreæ domus
Vaſto ſuperſit cinere cumulatus labor.
,, Quodcunque victor ſtatuit, hoc victis grave eſt
,, Tolerare, & eſt neceſſe. Sed vel jam pati
Liceat: date odiis compotes noſtri modum.
Donate miſeros luce: ſpoliatos, vagos,
Patriâ carentes, quotquot exciſâ ſuper
Reſtamus urbe, Byrſa quos vivos tegit,
Errare quovis ſinite. Seu tellus placet
Peregrina; ſeu quam vetere ſummotam novæ
Mandatis urbi. SCI. Transfugâ excepto nihil
Moramur omnes: ſolus hic pœnas dabit.
LEG. Parce, Imperator, parce. SC. Nec veniam Iovi
Devota Stygio capita, nec lethi fugam
Meruere. LEG. Precibus, Conſul, extremis fave.
SCI. Abſiſte. LEG. Patere id unicum obtineam.
SCI. Veto
Vltra precari. Quid teris fando diem?
Abite. Cives arce quò viſum eſt, eant
Migrentque ſoli. Denſa fugitivum gregem
Hinc inde ferro accincta prætexat cohors:
Ne quâ fugam dilapſus in turbâ Nomas
Corripiat.

Digitized by Google

Corripiat. Huic tu inſiſte: me caſtris iter
Prævertere opus eſt. Ne quid hinc vallum petens
,, Captivus Afer turbet. Incautos Duces
,, Nec opina parvo damna momento premunt.
Tu, dum iſta præſens obeo, cuſtodes cave
Vſquam hic remittant: neu quis injuſſu foràs
Statione miles abeat: ille hoſtis loco
Mihi ſit, ſceluſque morte properatâ luat.

TRIBVNVS MILITVM

Veterem Romanorum militiam laudat, ſparſóſq; inter erumpentes ex arce hoſtes, tranſfugas iubet comprehendi.

NEque ipſe veteris jura militiæ palàm
Concidere, & artis bellicæ eximium, ſitu
Carpente, florem ruere, dum vivo, ſinam.
Pudet obſoleti decoris. & Romæ quibus
Stetêre vires, ſtudia, moreſque improbo
Peſſum ire luxu. Méne ſpectante audeat
Prodire vallo miles, & prædas ſequi,
Quò fert libido quemque, nec ſigno vagos
Præeunte quoquam, nec duce? Effuſum putes
Agmen latronum. Mox ubi bellum vocat;
Vbi ventum ad hoſtes, armaque: audito tremunt
Clangore litui: dextera imbellis ſtupet:
Attonitus hæret greſſus, atque uni rigent
Fugæ explicata genua: deformi labat
,, Pallore vultus. Sit meis ſignis procul
,, Rapax, iners, enervis, atque hoſtem pavens,
,, Sociis pavendus: pronus in ventrem, lucri
,, Cupidus, ſtupriſque merſus: haud animo ſatis
,, Oculiſque & aure competens; prædæ inſtitor.
,, Qui ſæva fremitu bella, quàm ſomnos, init
,, Leviore: quiſquis pendulas gradiens manus,
,, Pedem acie in ipſâ jactat: aut quiſquis regi
,, Indocilis, ipſos regere ductores cupit.
,, Meus arma tantum miles, obſequium, & fidem,
,, Roburque præſtet: cetera in manibus ſinat
,, Verti imperantis. Priſca non aliâ magis
Cenſenda dote ſæcla. Sic magnis ferax
Succrevit animis, ſeque in immenſum extulit
Rerum ille compos populus: his fretus ſuos
Tergemina mundi ſpatia ſub faſces dedit.
Cùm nil ſtativis clauſa privatâ domo
Diſtaret acies: moris & patrii tenax
Nutum ad regentis miles exuere impiger,

Digitized by Google

Aut capere ſueſſet arma: cùm læſa aſſerens
Imperia, gnati in colla diſtrictas parens
Quateret ſecures. Tale præ cunctis feram
Opibus decus, ſperemque (quo cœptum eſt gradu)
Vel Scipione poſſe, vel nullo herculè
Ductore recipi. Quantus ô ſuperi fragor!
Quis fremitus arce eſt? Porta digreſſu patet.
Numeroſa ponte turba laxato emicat,
Fervetque trepidans. Obice ſubmoto velut
Celſâ columbæ turre præcipites volant
Stridente pennâ. Transfugam in medio notet
Stipata circum Legio: ne furtim latens
Effugiat. ære ſigna Tyrrheno ſonent.

CHORVS CARTHAGINIENSIVM

Optant quovis exſulatum abire potiùs, quàm Romam.

QVænam patriâ cæde carentes
Habitanda manent regna? Quis Afro
Sub Sole locus? Quæ plaga mundi
Peregrina vocat? Proximus arvis
Campus Phariis; ubi cornigero
Inclyta tellus Ammone viret?
Sterileſque inter lucus arenas
Riguam ſubter defendit humum;
Annique graves temperat æſtus?
An quæ pelago propiore vagas
Deſerta vident litora Syrtes?
Quà tergeminis ſacra Philænis
Monimenta piæ conſcia mortis
Certo fines limite ſignant?
An Dulichio luſtrata Duci.
Gratâque moras arbore nectens?
Quaque Heſperias ſilva ſorores
Diti celebrat fertilis auro?
Aut quæ gelido fœcunda Acabe
Vicinus arat rura Macæus?
Aut quæ Charitum montibus ortus
Breviore lavat Cinyphus alveo?
Vel cum infuſis amnibus auctus
Majore ſubit gurgite pontum?
An Sarranæ mœnia Leptis?
Oeaque portu tuta Garaphio?
Zetha? vel altis Hedaphta jugis
Aſpera? an arcto diſcreta freto
Naufraga Menix?

An

Digitized by Google

An Palladio nobilis ortu
Quâ ſtagna ſecat cærula Triton ?
Vbi prærupti celſa Vaſaleti
Culmina ſurgunt ? Quâ perpetuus
Nigrante jugo Mampſarus horret ?
Quàque arentes colle dirempto
Stringit tacitus Bagrada ripas ?
An quà occiduo Sole tepeſcit
Dites ſpectans Africa Iberos ?
An quæ virides Thabraca latè
Saltus aperit ? Regiá-ne Hippo ?
An Cyrtha potens ? Quæque pererrat
Longo ſerpens Ampſaga flexu ?
An cornipedum fœcunda parens
Maſſyla vocat terra ? Minórne,
An major Atlas, Maurus uterque ;
Et uterque pigro frigore torpens ?
Quiſnam Herculeo gurgite ſciſſas
Abylen noſtrum, Calpénque petet ?
Quis cognatis Gadibus exſul,
Vel Bæti tuo flumine ſiſtet ?
Vel Ibere tuo ? Quem flava Tagi
Radiante vocat ripa metallo ?
Cui clara novis Corduba muris ?
Cui Carthago jam prima dabit
Certas profugo figere ſedes ?
An & aëriæ juga Pyrenes
Adeunda ? Truces an mage Gallos
Sparſi petimus ? Quælibet orbis
Me regna juvant : dùm procul abſit
Hoſtile ſolum : dùm Roma procul,
Terráque latebris hoſpita Divûm.
Sin extorres hæc quoque Pœnos
Sortita capit ; peſtis pariter
Atque ira Deum, quacumque ferar
Parte ſequantur ; Romáque tandem
Miſeræ gentis contage ruat.

A C-

Digitized by Google

ACTVS QVARTVS.

Æmilius Scipionis virtutem extollit. Tribunus res ab eo in obſidione Carthaginenſi geſtas pugnam præcipue navalem urbiſq; excidium enarrat.

MARCVS ÆMILIVS. TRIBVNVS MILITVM.

MA. Attonita rebus pectora immenſis ſtupent.
Vix herculè ipſe, vix ſibi aſpectus fidem
Indulget, & quæ geſta jam video, geri
Potuiſſe nondum credo. Prô ! quantum brevi
Vobis peractum eſt ! In quot Æmilio ſatus
Surgit triumphos Iuvenis ! Eſt noſtræ tamen
Quod priſca titulis gravida, & armorum ferax
Invideat ætas ; Roma quo certet ſibi :
Aut ſe ipſa quondam ſuperet. Hoc Decios habet
Fabióſque in uno. Nec ſuo tantùm ferat
Curſore ſeſe : téque Romanæ parens
Secunde gentis ; cujus Alpinâ face
Succenſa fortis mœnia erexit labor.
Nec te ferox Torquate, vel parvo potens
Serrane potiùs jactet : aut curvo Duces
Miſſos aratro : quos triumphali manu
Paterna juncto rura verſantes bove
Ebur ad curule vexit, & trabeæ decus,
Faſcéſque. Fors huic unus è numero parens,
Æmathius obici domitor, aut Libycus poteſt.
Sed utrumque poſt victurus, æquatis comes
Modò fidus urget gradibus : huic certè pedum
Impreſſa paribus ſigna deſcribit notis.
Decoríſque eodem metitur è campo ſeges.
O te beatam Roma ! ſi proprium favor
Tibi hoc ſecundi munus annuerit Iovis !
Hunc ſi potenti ſervet Imperio virum,
Secura quovis orbe perrupto ingredi,
Pelago tremenda pariter ac terris potes.
Non te rebellis Aſia, non Danaûm leves,
Macedûmque populi : non freta emenſus novo
Terrebit Afer Marte : non citimæ Ligur
Suppoſitus Alpi : quique ſummotus jugis
Oppoſita rerum clauſtra terrifico minax
Perfringit auſu Gallus : aut ſummi plaga
Quem cohibet orbis colle diſſeptum altero,
Pugnax Iberus. Imperî in tutum dabit,

Quæ

Quæ promovebit, ſceptra. Quid ſolidum tenens
Florentis animi robur, atque ævi integer
Perficiet idem, tale qui primâ dedit
Specimen juventâ? TRI. Magna & auditu ſtupe.
,, Fateor : ſed aures, Marce, plus oculis hebent.
Quid ſi videres ; parſque geſtorum fores ?
,, Anguſta laus eſt omnis, ac vero minor,
,, Aliena quàm vox firmat. Occulti trahit
,, Livoris aliquid fama. MAR. Non famâ tenus
Equidem iſta didici: quamquam & hæc vero favet;
Vtcumque meritis cedat. Imò oculis datum eſt
Subjicere coràm. Quaquà iter Libyæ fuit,
Quaſcumque ad oras fervido excluſi ſalo
Appulimus, illîc fixa magnanimi patent
Monimenta Iuvenis. Hîc quoque anteacti caput
Cumulumque Martis video. Quàm vaſtâ parum
Ex urbe ſupereſt ! TRI. Quantulum hinc cernis ? Latet
Pars magna veri. MAR. Sed quid hic latè occupans
Agger profundum mole tranſverſâ ſecat ?
TRI. Licet hinc laboris pondus exacti æſtimes :
Quantoque nobis poſita quo cernis loco
Carthago ſteterit. Haud ſatis vallo fuit
Circum obſideri mœnia, & terrâ quati.
Aliquid paratum eſt opere conſueto altius.
Turbata mundi fœdera : in medias ſolum
Excurrit undas : frænaque invitum pati
Romana didicit pelagus MAR. Hæc quorſum freto
Impoſita moles? TRI. Hîc, ubi eductos vides
Scopulos, in arcum rupe ſinuatâ rubet
Cadente Phœbo portus : amborum hunc brevis
Laterum hinc, & illinc Inſula obtentu facit.
Huc ne ſubirent gurgite ex alto rates,
Obſtructus omnis aditus. MAR. Antè iſtud frequēs
Romæ ferebat rumor : atque ipſo magis
Viſu obſtupeſco. Num ſub incœpto moras
Innectit hoſtis? TRI. Claſſe diſpoſitâ ſtetit
Navale in armis agmen, & præſtò fuit.
Pars opere fervet cetera : hic manibus graves
Subvehere ſilices certat : hic litus fodit.
Hic in profundum robore impacto cavas
Molitus arcas, pelagus incluſum egerit.
Hic vacua dorſo ſpatia producto replet.
Huc gemina caſtris legio deſertis coït ;
Latiiſque quidquid juris adſcriptum eſt, dies
Noctеſque inhærent pariter, & magno explicant
Aſſidua niſu brachia. Hæc Pœnus procul
Ridere primò. Mox ubi ſenſim vado

Provecta

Provecta moles arduo increvit jugo;
Attonitus hæret. Nec metu fractus tamen
Summittit animos: vetere ſed cluſo, recens
Præfoditur urbi portus: ubi parte excipit
Dextrâ renatum vaſtior pontus diem;
Nec ulla potis eſt mole prætentâ latus
Obſtruere ab alto machina. Hæc puerûm manus
Imbellis; hæc oblitus annorum ſenex,
Sexuſque mulier, clàm manu aggreſſi ſtruunt
Cæco latentes obice. Biſſenas quoque
Decies carinas texere abiegnâ trabe,
Sectoque pergunt robore (hos pridem domi
Sepoſita ad uſus cuncta.) Poſtquam intus labor
Peractus omnis menſe, vix credas, ſtetit
Gemino: repentè faucibus laxis forâs
Patefacta puppes ora conſtratas vomunt;
Pronoque fundunt gurgite. At primùm Italis
Monſtri hoc videri ſimile: tot fuſas ſimul,
Vel claſſe ademptâ, tamdiu ignoto rates
Latuiſſe portu. Iamque perculſi dolis
Trepidare. Quòd ſi remige adverſo citas
Torquere proras, roſtraque extemplò foret
Incutere pavidis animus, haud modica accipi
Clades ſubinde potuit. Hoc Superi benè,
Et amica Romæ fata: quòd cerni procul
Contentus, illâ ſubſtitit Pœnus die;
Specieque ludens Martis, & varios agens
Flexus in orbem, proximo illuſit ſalo.
MAR. Quid tum? profare quæſo. Quis pugnæ modus?
Aut quæ rates fortuna Sidonias ſuis
,, Diſjecit undis? Dulce perfunctos malis
,, Meminiſſe. TRI. Vix ſe tertia extulerat dies:
Summoſque primùm ſtrinxerat colles jubar,
Cùm Tyria portu claſſis Eoo patens
Provecta in æquor milite inſtructo ſubît.
Nec ſegnis alio littore exultans venit
Auſonia pubes. Nauticus circùm fragor
Crebreſcit. Omne ratibus impulſis latet
Fervetque pelagus. Canet adductis frequens
Convulſa remis unda, & infiſſum pari
Sulco dehiſcit æquor. Vt ventum prope eſt,
Prætoriâque bellicum è prorâ chlamys
Punicea ſignum ſuſtulit; rauco fremit
Terribilis ære buccina. Hinc verſis atrox
Commiſſa roſtris pugna. Nunc proram tenax
Illiſa tundit prora: nunc lateri latus
Inhæret. Illic vulnere obliquam tridens
Ferrum carinam frangit. Hæc prorſum modò

Remis ſubactæ; modò retrò avulſæ legunt,
Obeuntque in ictus ſpatia. Ceu vaſtâ ferunt
Mediis revulſas fluctibus Symplegadas
Coiiſſe fronte. Stuppeæ ardeſcunt faces:
Vdoque vivax robore ambuſtas vapor
Lentus carinas torret: inque ipſis furit
Vulcanus undis. Miſtus obducit polum
Ater favillâ nimbus, & Solem eripit.
Pars tela manibus ſpargit, aut unco rates
Morſu implicat, trahitque. Nec ferro manus
Oneroſa: nec recurvus innexâ lupus
Ceſſat catenâ. Lacera deterſis natat
Ægrè illa tonſis. Saucium hæc ponto latus
Summittit, & compage diſruptâ graves
Per vulnus undas haurit. Hanc imum tegit
Superante fluctu pelagus. Exundat cruor:
Fœdoque Nereus ſanguine infectus rubet.
Nec par ubique Martis, aut ſimplex furor,
Cædiſque facies una. Miſſilibus cadunt
Alii, foroſque pondere exanimi premunt.
Hos flamma crepitans nave ſuccenſâ vorat;
Piceaque condit nube. Semineces freto
Luctantur alii: quaſque ſerrato ligant
Injecta nexu vincula, ingens corporum
Coïre ſtrages gurgite in medio vetat.
Hæc inter anceps pugna. Conſerti invicem
Alterna ſimili damna momento ferunt,
Capiuntque. Paribus hinc & hinc victoria
Librata pennis, dubia quò vergat, manet.
Quippe unus omnes ardor in cædes agit.
Sed patria Pœnos, ſpeſque diffiſos ſuis
Poſtrema rebus acuit: Auſonios pudor,
Bellique in uno poſita conflictu acriùs
Pugnare ſumma cogit. At noſtris graves
Tardóque pinus pondere, obnixæ ſalo
Difficilè in uſus cedere; atque ægrè obſequi
Torquente clavo. Turba Sidonias minor
Circum triremes ſtabat, haud longo impetum
Fregiſſe gyro docilis, & raptim leves
Inhibere remos: ſive præeuntem aſſequi;
Seu capere dextrâ libeat, aut lævâ fugam.
Non aliud æquè prælio ex illo rates
Turbavit Italas. Namque diverſæ ruunt
Quacumque pugna concitæ. Hâc rapidis fugax
Inſtat Liburnis Afer, & volucres citrò
Vltróque lembos fundit. Hi curſu obvias
Vrgere; mox anreire; tum comites latus
Æquare; ſtantes petere; fugientes ſequi;

Digitized by Google

Fugere inſequentes. Sæpè pendentem æreâ
Demetere clavum falce; nec lentas minùs
Mutilare tonſas, fodere vel roſtro cavos
Vteri receſſus. Inde ſubducti ocyus
Ictum occupare, vinclaque. Ergo inopes fremunt
Fruſtrata noſtri jacula, & eluſas faces,
Tereteſque manicas. Iámque glomeratis coit
Diſperſa ratibus claſſis, & Martem agmine
Inſtaurat. Vndis donec emerſus polum
Iam Luce pronâ ſuperat emeritum premens
Titana Veſper. Tyria tùm portum phalanx,
Vbi ſigna reditus æris increpuit fragor,
Connixa remis pariter & velis petit,
Reditura primo Sole. Ponè inſtans ruit
Lentáque verrens cærula inſequitur trabe
Romanus. Olli claſſe confertâ, ſinus
Dum ſe in patentes fundere, atque imos ſtudent
Penetrare portus; dúmque ſubeuntem prior
Prævertere hoſtem quiſque turbatus cupit,
Denſantur aditu; ſéque colliſæ premunt
Truduntque puppes. Quò malum averſus redis?
Ecce hoſtis; eja, rumpe. Sic paſſim intonant.
Et jam hoſtis aderat. Crebra jam ritu nivis
Spargit per auras tela. Iam ſummas quatit
Lacerátque puppes. Fit fuga. Huc trepidi volant
Atque huc, relictis faucibus. Pars ſe aggere
Immiſſa patulo recipit. Hic claſſi locus,
Statióque nautis prima: quo ſueti advenæ
Levare feſſas onere depoſito rates,
Dum pace licuit. Huc fugâ elapſi citas
Vertunt carinas, armáque expediunt. Subit
Romanus. Exin pugna, ceu primùm foret,
Crudeſcit atrox. Spiſſa vicinum aggerem,
Muróſque turba complet, & crebris furit
Miſſilibus. At non ulla præcipites valent
Cohibere noſtros tela. Iam cluſos ſinu,
Iam non fugaces verbere & roſtris ſecant.
Quater auſa claſſis ruere, & impreſſæ viam
Aperire proræ turbine. In ſeſe quater
Ferro, ſagittis, facibus, & ſaxis procul
Excuſſa rediit. Nec nihil geſtum. Mari
Depreſſa pars eſt: pars gravi illiſu labat
Rimis fatiſcens. Ac niſi inductis diem
Nox atra tenebris claudat, & denſæ tegant
Noctivaga nubes aſtra, deprenſos adhuc
Concutere pergant. Mutuâ implicitos nece
Quàm non Latinis grata, tam Tyriis favens
Nox atra dirimit. Inde ſe in portus retrò

Digitized by Google

Defenſa tenebris claſſis optatos dedit.
At luce noſter poſterâ inſtructus redit,
Vacuoque inhæret aggeri. Hunc pugna exitum
Navalis habuit. MAR. Vrbe quî porro datum eſt
Tandem potiri ? fare age. TRI. Occiduo ſitus
Ab Sole Cothon maria proſpectat duo,
Navalibuſque fluctus in totidem, cavos
Penetrans receſſus, caute prætentâ, ſilet.
Pars una Boreæ obverſa : pars gracilem, Notis
Oppoſita, linguam ſpectat. Huc ſtrepitu priùs
Directa claſſis tendere : exſcenſu impiger
Arcêre Pœnus. Cetera oblitum, rapi
Huc agmen omne. Fronte dum ſolâ ruit
Sidonius, oram puppe circùm actâ legens
Altum capeſſit Cajus, ac ſeſe clepit.
Dextrâ hinc reflectens litus à lævâ capit
Cuſtode vacuum. Mox tubæ auditus fragor ;
Clamorque ; & armis arma terribili ſonant
Concuſſa fremitu : quo fugam exanimis metu
Rapit hoſtis, Euro citior, aut quæ Parthico
Arcu ſagitta volitat ; & noſtris ſimul
Pugnâ, inſulâque cedit. Vt pavidas canum
Latratus alto nemore proturbat feras,
Cùm poſita circùm retia imbelles ſtupent :
Quâ picta teretes pinna diſtinguit plagas.
Sic Libyca ad urbem ponè conſpectis cohors
Diffugit Italis. Nec moram attoniti ferunt ;
Pars melior armis nuda projectis natat,
Arctumque ſuperat gurgitem. Haud paucos tamen
Seu littore ipſo ; ſeu vado implicitos adhuc
Vi Latius arcet tranſitu. Hi ſparſim aggere
Telorum, ab alto, grandine oppreſſi cadunt.
Tum noſter una irrumpit, & flammâ viam,
Ferroque reſerat. MARC. Nata Scipiadum domus
Excidium in hujus gentis. Huc fruſtrà appuli,
Ceu video. Nam quæ ex Vrbe Conſcriptis fero
Decreta Patribus, rebus ante actis venit.

ASDRVBAL EX ARCE PROFVGVS,

Poſitis armis latebras petit.

NVm quem obviũ iſtic habeo ? Quis medius fugæ
Incurrit ? an me transfuga è templo Nomas
Proſpicere potis eſt ? Videor. Hîc arma exuam :
Tegmenque ponam capitis, & ferro aſperum
Thoraca, ne quis norit ex habitu Ducem.
Quem tueor. En Romanus ? In latebras feror.

Tri-

Tribunus Carthaginis arcem captam intelligens, transſugas obſervari iubet.

TRIBVNVS MILITVM. NVNCIVS. M. ÆMILIVS.

TRIB. QVò tam citatus raperis ? N. Ex voto Deis
Auſpicibus actũ eſt. Vacua Sidoniâ manu
Byrſa obtinetur. Fixa jam medio aggere
Romana ſtant vexilla. TRIB. Sed belli caput
Quonam Aſdrubal, mileſ;que deſertor loco eſt ?
NVNC. Stat arce mediâ rupibus cinctum arduis,
Aditu que templum haud facile, Phœbigenæ ſacer
Vbi blandus adytis colitur arcanis draco.
Hoc transfuga hoſtis opere munitum & ſitu
Aſdrubale petiit comite. Nec parvo licet
Subire damno. Quippe prærupto ſilex
Adeſa latere călle vix arcto viam,
Fallente greſſu, verticem ad ſummum facit.
Tum prona ab alto ſaxa ſuperantes jugum,
Et jacula quatiunt. MAR. Igne correptum ardeat.
TRIB. Nunc primus illos fervor, & veniæ ſimul,
Vitæque ſpes adempta furibundos necem
,, Oppetere ſtimulat. Impetus magnos habet
,, Expes priores ira. Qui ſperat nihil,
Perinde nil jam metuit. Aliquanto impotens
Spatio reſidat æſtus. Haud multum tamen
Moræ trahendum eſt. Interim excubias vigil
Quartanus omnes obeat ad clivi exitus.
Ne clauſus uſquam transfuga in tutum evolet.

ASDRVBAL E LATEBRA PRODIENS,

A Scipione ſupplex veniam, ac vitam petere ſtatuit.

ABſceſſit. Ibo, meque Ductori offeram
Supplex Latino. Quo miſer properas ? Dabit
Nempe ille veniam ? Perimet illuſum : & cruce,
Ferró-ve plectet. Vrbe vaſtatâ ferum
Fors mitigabit pectus : & nimiùm ſibi
In nos furor permiſit. Exhauſtis cadent
Violenta Pœnis odia. Quid demens agis ?
Sic credis hoſti ? Quò tuum imprudens caput
Committis ? At cui ? quém-ve ? Sic notus tibi
Olim hoſtis ; idem victor ? Ergo illum times,
Qui jam pepercit ? Nam quid in cauſâ pari

Diſtinguat unum ? Sed Ducem infenſus velit
Vt eſſe ſalvum vereor : Et, quo non benè
Carthago ſtante jaceat, in patriæ metus
Hunc ſoſpitem ultrò linquat. Adde Italos necī
Per me cruentæ traditos. Piget, ah ! piget
Sæviſſe tantùm, cùm ſub aſpectum Ducis
Per mille fluxit tela captivus cruor.
Quid nunc rear ? Faciléſne poſt tantum nefas
Sperem Latinos ? Qualibet profugus late.
Fuge. Quò revertar ? Quas petam extorris plagas ?
Vrbém-ne ? Quam vis ignium rapidis cremat
Complexa flammis ? Templa perfugio legam ?
Modo quæ reliqui : quæque poſtremò hoſticus
Pervadet enſis ? Regna longinqua expetam ?
Per Latia dubium caſtra tentandum eſt iter
Qui fallere autem dabitur ? Obſedit viam
Crebra hinc, & inde ſtatio. Quid demum ſequar ?
Nec ſtare tutò hîc ; fugere nec tutò datur.
Ibo, ibo ad hoſtem. Quid paras ? redeo : feror.
Revertor, adeo. Fervet agitato mari
Par mentis æſtus. Genuá-ne acclinis ſolo
Inimica ſtringam manibus ? Vt domini tremens
Feram ſuperbi juſſa ? Quid Pœni interim ?
Quid Libya dicet ? Quid fugæ hortatrix, tori
Animoſa conſors ? cujus ad gemitus ferox
Magnifica dederam verba. Sed jam ſpiritus
Omitte veteres : debitam fato indolem,
Moreſque patere. Cede vel Superis. Pudet
,, Hoſtem precari ? Vanus afflictis pudor.
,, Felix decori ſerviat, vitæ miſer.

Bithyas fugâ elapſus Aſdrubali ſuadet, ut ſe Scipioni committat.

BITHYAS. ASDRVBAL.

BITH. INter tumultum lapſus, & ſtrepitum, ſacrâ
Tandem profugi ſede. Dii ! factum benè
Quòd eruiſtis. Prô ! mihi quantus fuit
Latêre noſtros pariter, atque hoſtes labor !
Hâc nunc eundum eſt, vulgus ut captum aſſequar ;
Quò jam Aſdrubal tetendit : & nullo reor
Comitante, ſed me conſcio. Vrgendum eſt iter.
Hi templa teneant, flebiles lethi moras,
,, Pereantque ſoli. Stulta in extremis fides.
,, Sibi quiſque primùm, cetera oblitus, vacet.
ASDR. Quis ille ab arce tendit ? Ipſe adeò eſt fugæ
Mihi conſiliíque ſocius. Adventu beas.

Fidus

Fidus mearum particeps rerum veni.
BIT. Dii me, Imperator, teque, quod voti eſt caput,
Eripere pergant. Pars quidem elapſis adhuc
Spei peracta eſt: cetera in fatis ſedent.
AS. Quî tu arce demum evadis? BI. in ſeſſum pavens
Dum Numida clivum munit, & templi objice
Præfoſſa firmat latera, dum vellit gradus,
Trepidos fefelli, rupis abruptæ cavo;
Qua patula ſterili crate ramorum viret
Caprificus, altum ſubrigens trunco nemus.
Inde alligatâ reſte demiſſus ſolo,
Obſtante nullo, fugio. Tu necdum ſubis
Optata Rutulûm caſtra. Quid lentus manes?
ASD. Nempe animus inter dubia curarum æſtuat.
Vt tremulus undæ fulgor adverſo micans
Hûc Sole & illûc volitat: haud animo ſecus
Partes in omnes conſilî incertus feror.
BITH. Quis te metus? quæ cura diſtractum rotat?
ASDR. Leviora tantis nulla quod caſus malis
Perfugia monſtret. BIT. Rurſus in dubium vocas,
Quòd jã neceſſe eſt? ASD. Pars mihi eſt luctus, geri
Quòd jam neceſſe eſt. BITH. Turpe num veniam
Orare? non eſt turpe. Credatur tamen. (putas
Hoc tantus omne dedecus victor levat.
Quid? cedere illi? flectere hinc precibus probrũ eſt,
Cui cedit Orbis? Aſia quem dominum colit?
Cui Libya ſervit? Nam quid Europam loquar?
Olim hæc habenas ſenſit. Hîc quanti jugo
Flexere Reges colla! quot ſtratos humi
Erexit hic, qui parcere afflictis ſolet,
Calcare tumidos populus! ASD. Eſto, animus ſibi
Humile imperabit aliquid, atque infrà virum.
Quid deinde? parcet ille? BITH. Iam factum puta.
AS. Quidnam hæc futura credis? BI. Expertus ſcio.
Mihi nota gentis pectora. ASD. At ne vindices
In me, ſuorum, juſtus irritet dolor.
BITH. Majora quanto meritus evaſit tamen
Barcæus Heros? ASD. Poſt necem extorris luit.
BITH. Bis jam rebellis, armaque in dominos ciens
Rediviva periit. ASD. Fors triumphales ovans
Dux ante currus colla devinctum trahet;
Celebriſq; gradiar pompa. BIT. Quid pronus labat
In pejus animus? Tam ſecus capto poteſt (ri,
Accidere, quàm quod metuis. AS. Antè equidẽ mo-
Adigique ad umbras fulmine impacto velim,
Quàm me iſte tali ſorte damnatum rapi
Sol videat. Hoc tu facilè pervincas prece.

Aſdrubal à Scipione vitam impetrat.

SCIPIO. ASDRVBAL. BITHYAS.

SCIP. VTinam rebelles Libyæ in exemplū capi,
Duciq; vivos detur! AS. Exangues tremor
Pererrat artus. Fugio : conſpectum horreo.
Conſul propinquat : faſce ſubſtricto præit
Onuſtus ecce Lictor. BITH. Aude, & ſupplices
Prætende palmas. ASDR. Maximum ô ſæcli decus!
Æquale ſuperis nomen! ex alto brevis
Quod me ſtatu fortuna depreſſum exteris
Subjecit armis : fas Deos etiam mihi
Odiſſe iniquos. Hoc agi grates decet,
Quod me tuis ſubjecit. Invictus, ferox
Tibi vincor uni, & flector. En ſupplex cado.
Miſerêre. Vitam, quod dari minimum poteſt,
Peto, maximumque. Vota non ultrà patent.
SCI. Tú-ne ille dux es Aſdrubal? AS. Famulū voca.
Ducis ſuperbum eſt nomen : hoc ſorte eſt meâ
Fatiſque dignum. Recipe perculſum, alleva.
Tu mihi Deorum es inſtar. Heu! fidos malè
Quos Pœnus habuit. Munus illorum occupa,
Aut vince. Quos tu Diis vel invitis potes
Servare, non te perdere invito queant.
Nam ſe tueri haud poſſe jamdudum probant.
Ingens decus, veſtrumque, quod nemo ambiat;
Deſcribere orbis fata : quò leviùs tibi
Subeſſe noſtra patior. En rurſum accido,
Patriâ exſul, opibus, decore, & Imperio carens.
Queis tu precor contentus, hæc ſolùm refer,
Quæ digna te ſunt ſpolia. SCIP. Quid victoriæ
Decus omne molli degener luctu elevas
Muliebris animi? dumque te nimiùm premis,
Viles triumphos capite ab ignavo facis?
Omitte planctus : languidas voces preme,
Dignumque pectus hoſte Romano exhibe.
Quid fata purgas? quid-ve fortunæ approbas
Peccantis in te arbitria? nec temerè doces,
Aut merita præter clade luctificâ obrutum
,, Cecidiſſe temet. Plurimum, ut conſtet ſibi,
,, Afflicta virtus laudis invito capit
,, Vel ab hoſte. Contrà pavida, ſit felix licet,
,, Mens decoris expers judice Auſonio jacet.
ASDR. Talem puderet eſſe, niſi tantus fores.
Nil humile, Romæ quidquid impenſum eſt, reor
Supplexque nimiùm. Sed tui & generis memor
Ignoſce. SCIP. Vitam poſcis? ASD. Vnū illud peto.

SCIP.

SC. Poſt tot peracta ſcelera? AS. Sum fateor nocens:
Sed hoſtis. Hoc ſi crimen eſt, tecum eſt mihi
Commune. SC. Nõ hîc arma, nõ Libyam, Aſdrubal,
Per te rebellem, ſolita nec Martis queror.
Quidquid ferum, crudele, ſævum, atrox tulit,
Simplex quod hoſtis faceret; hoc nulli imputo.
(Quamquã nec ipſum hoc ſcelere poſt fœdus vacat)
Eſt graviùs, aliud quò tuum excurrit nefas,
Dirumque, nec jam hoſtile; quod pœnis furens
Romana ſubdis capita. Te ne auſum meos
Ante ora Cives mœnibus tortos palàm
Laniare? Quod tu ob crimen inſontes necas?
Quæ culpa? qui mos iſte? quæ belli vices?
Si vinci ab hoſte, ſi capi facinus vocas:
Eadem penes te eſt noxa. Quo vultu, Aſdrubal!
Quâ fronte veniam? quæque reſcindis prior
Commercia optas? ASD. Fateor, hoc ingens dolor.
Hoc ira vecors ſuaſit. Et merui quidem,
,, Sed pœnitet feciſſe. Tu quantò altiùs
,, Fortuna te provexit: hoc animo minùs
,, Obſequere: quoſque milite, ac ferro domas,
,, Virtute ſupera. Per tuam dextram, & quibus
Advolvor ultrò, genua, Scipiade! precor.
SCIP. Ne metue, dabitur vita. Scit tumidos meus
Compeſcere enſis: idem & oppreſſis ſciet
Conſulere. ASDR. Viles aliquis in Libyâ locus
Latebras dabit. Permitte quocumque exſulem
Errare. SCIP. Poſthac videro. ASD. Accedat datæ
Hoc quoque ſaluti; compede æratâ gravem
Ne me ad triumphos pompa ſolennes vehat.
ASD. Animum labantem, & vana trepidantẽ erige.
I, refice laſſum miles, & caſtris loca.

Legatus narrat omnia Romanis cedere,
Pœnorumq; perfidiam exponit.

LEGATVS SCIPIONIS. SCIPIO.

LEG. Magnanime Conſul; Libyca felici affero
Confecta ſorte bella. Quàm lõga eſt, tuas
Horret ſecures Africa, & patitur jugum.
Dominoſque quondam ruere, nunc hoſtes, Tyri
Gaudet colonos. SCIP. Læta ſucceſſu novo
Cumulantur. O me compotem! O voti reum!
Nihil-ne tantì ex gente, tot ſparsâ oppidis
Hoſtile ſupereſt? LEG. Quidquid hac Latiis tenus
Obſtiterat armis: urbium quidquid fuit
Pœno implicatum fœdere, in partes venit.

Hos ſponte adactos Imperî fulgor trahit,
Titumque, Publi, nomen. Hos gentis retrò
Sublapſa dominæ fata, & iratis decus
Superis ademptum: longa pleroſque impulit
Obſidio. Nil jam hoſtile, nil Pœno favens
Vtrimque pelagi claudit oppoſiti latus.
Hinc quà reducto penitus excurrit ſinu
Vocana Siculum terra proſpiciens fretum.
Sacrata nautis templa ubi Divûm aliger
Interpres aperit; quique producti æquoris
Vaſto propinquus Adrymam flexu colit.
Leptiſque, & ingens Thapſus, & patrio ſacer
Ammone cuneus. Vſulaque, & bello impiger
Byſacius: & qui naufragas captat rates
Numquam quieto Machrys obverſus mari.
Exin ſequaci rabida quâ Syrtis vado
Major, minorque fervet, & fundo æſtuans
Anceps arena fervidos fluctus ciet.
Hæc omnis Aquilas ora victrices pavet,
Ad uſque Fratrum buſta. Parte aliâ procul
Pelago repoſtum media quem tellus capit,
Siti peruſtus colla ſubmiſit Libys,
Fœduſque miſſis ſpontè Legatis petit.
Et quem feracis compotem glebæ alluit
Cinyphius amnis. Tuque pacato Dolops
Vicine Mauro. Quique lethales nepæ
Contemnit ictus, virus & morſu inditum
Barbaricus ore Pſyllus admoto trahit.
Quaque arva ſterili prona deſpectat jugo
Sublimis Ater. Adjice Argoum petens
Quacumque litus ſerpit, & curſu vago
Tergemina Triton ſtagna Palladius facit.
Tum quidquid alto gurgite obliquus ſecat
Squallente ripâ Bagrada: ubi vaſto ſpecu
Effuſa monſtri terga ſquamiferi horruit
Ductore miles Regulo, & totâ feram
Invaſit acie. nec minor noſtro ſeges
Ceſſit triumpho; parte qua Solem objacens
Trans Vtica Pœnus mœnia occiduum videt.
SCIP. Sed perduelles Marte dum ſævo quatis,
Quid amica populi regna? quàm pacti tenax
Fideique Numida? LEG. Quàm ſolet. Dubius natat
Huc Fratrum & illuc animus, atque hoſti palàm
Colloquia jungunt. Quippe dum Numidas citrà
Porrecta bello legimus, haud noſtras iit
Fallax ad aures rumor, hinc miſſos fidem
Tentaſſe Pœnos; donaque, & miſeræ preces
Portaſſe gentis, mœnibus circùm ut datos

Inopinus

Digitized by Google

Inopinus Italos quateret à tergo Nomas.
SCI. Quæ fraudis illis pretia? quid monſtrant ſpei?
LEG. In fœdus, agri parte conductos, trahunt.
,, SC. Ruente patriâ? LEG. Quidlibet cogit ſequi
Regni, & ſalutis ratio. SCIP. Nec clam me inſtrui
Olim iſta fuerat. Antè proſpexi dolos.
LEG. Nunc capta poſtquã mœnia, & fractos vident
Cecidiſſe Tyrios, ne qua ſit ſceleris fides,
Obſequia ſimulant. Geminus huc adeo comes
,, Legatus illinc venit. SCIP. Infidum genus
,, Captare tempus didicit, & partes trahi
,, In fortiores. Mox ubi adverſa increpant,
,, Pacti ſecundis immemor rebus favet.

Nuntiatur tumultus Militum volentium Aſdrubalem occidere.

NVNCIVS. SCIPIO.

NVN. FErvent tumultu caſtra. Commotos minax
Sũmo Tribunus vix bene imperio domat.
Audax ubique murmur: & jam vim prope eſt.
SC. Quæ cauſa, vel quis auctor? NVN. Erepto fremũt
Aſdrubale: dedi hunc; hunc rapi ad pœnas jubent,
Pro tot ſuorum cæde: vix jugulo abſtinent,
Vix pectore enſem. Verum ades, perge, advola,
Furibunda prohibe tela. Si vivum cupis;
Succurre. SCIP. Vivum cupio: prohibendus furor.
Vade, antecede. Vita, ſi nondum occubat,
Servetur. Ego te præpeti greſſu ſequor.

CHORVS

Improborum multos ſerò puniri, neminem effugere pœnam, torqueri conſcientia ſcelerum Aſdrubalis exemplo probatur.

,, MVltis tarda fuit pœna nocentibus:
,, Nullis vana fuit. Quò gravior mora eſt,
,, Majore hoc feriens vulnere conficit.
Seu, quos priſca tulit vita hominum, pii
Manes, depoſitis corporibus, vagos
Huc illuc taciti corripiunt gradus;
Placatique bonis ſontibus imminent.
Seu dextrâ cubitum, frænaque ſuſtinens
Vltrix terga premit Diva, potentibus

Obſcu-

Digitized by Google

Obſcuriſque eadem. Cui comes addita eſt
Flecti neſcia Lex, & rigidi tenax
Iuris, nec ſceleri blanda Severitas,
Et Vindicta ferox, Pœnaque livido
Interfuſa genas ſanguine : concolor
Corpus palla tegit : ſtant oculi ignibus.
Ferrum dextra gerit, vinclaque. Nec grave
,, Plumbum, aut uncus abeſt. Sed meritis licet
,, Vindex ſuppliciis abſtineat Deus,
,, Nec legum moveat cura, neque arbiter
,, Iuris ſolliciter Gnoſius, impotens
,, Quem vis Iudicio ſubtrahit, aut favor ;
,, Non cunctata ſuum pœna obiit nefas ;
,, Qua ſeipſam ſcelerum conſcia mens premit.
,, Ceſſent jura licet. Sufficit hæc ſibi
,, Intùs bella movens : quam labor anxius
,, Et triſtes furiæ, curaque pertinax
,, Inter ſpemque metumque exanimem rapit.
,, Non jucunda quies, non placidâ vice
,, Alternus recreat pervigilem ſopor,
,, Dum nox atra freto condiderit diem.
,, Cùm ſtratum Tyrio molliter in toro,
,, Biſque Afro ſaturum murice conſpicis
,, Suſpenſum ex humeris tegmen, & ultimi
,, Quod Seres patriis arboribus legunt.
,, Cùm gemmata merum pocula : cùm dapes
,, Signis præbuerint vaſa rigentia.
,, Ædes cum Pario marmore fulgurant :
,, Laxatæque fores caſtra clientium
,, Matutina vomunt : cùm tumidum latus
,, Paſſim albata tegit turba, beatius
,, Iures eſſe nihil. Lætior hic foro
,, Incultis volitat ſordibus hiſpidus ;
,, Cùm verſat trepidos urna capax reos.
,, Hic quem ſævus agit Lictor, & ungulâ
,, Damnatum cruciat, vel face carnifex,
,, Infelix minùs eſt. Quidnam aliud rear
Illas vipereis crinibus obſitas
Pœnarumque malis artifices Deas :
Quæ torto miſeros verbere territant,
Intentantque oculis ſanguineas faces ?
,, Culpæ eſt pœna gravis culpa. Minacibus
,, Hæ terrent ſtimulis, hæ pavidos agunt.
Hæ dirum Aſdrubalem tot nece Civium
Pollutum furiæ præcipitem auferunt ;
Pœnaſque innocui ſanguinis expetunt.
Verùm has ille ſibi, quod ſatis eſt, dedit.
Quas pridem meruit, nunc aliis dabit.

Sen

Seu primus rapiet militis hunc furor.
Seu pompæ veniet legitimus comes ;
Et vinctum rigidis brachia nexibus
Captivum patriis mœnibus invehet
Curru Scipiades quadrijugo ferox.
Mox atro domitus carcere, compedis
Æternæ-ve trahet pondera ; vel ſacro
Præceps colle ruens funeris indigos
Artus Heſperiis alitibus dabit.

ACTVS QVINTVS.

CONIVX ASDRVBALIS

Maritum malorum omnium cauſam arguit, eiq; mortem imprecatur.

,, PRô fama veri neſcia, & falſi tenax !
,, Etjámne iniquum ſapere nos vulgus negat ?
,, Per te & ſceleſtum fœminæ arguitur genus,
,, Experſque fidei ? Quantulum eſt miſeris tamen,
,, Quod facere liceat ? noſter & quanto viris
,, Leviora ſexus peccat ? Exiguis, mali
,, Fas ſi quid ultrà geritur, in rebus latet :
,, Nec damna ſpectat publica, aut ſummæ intereſt.
,, At non virilis parva nequitiæ comes,
,, Parvoque luitur noxa. Quos rerum penes
,, Status, horum in omnês culpa, vel virtus redit.
,, Sed culpa potiùs. Hoc ſuo infelix malo
Experta patria eſt. Quidquid ærumnæ accidit,
Bis gemina quidquid meſſis adverſi tulit,
Libycum quod armis columen externis labat.
Quod Phrygia moles flamma Sidonias cremat,
Quod miſera periit, hoc Duci adſcribat ſuo :
Ducis ignis ille eſt. Teſtor everſæ rogos,
Cinereſque patriæ, Civium & manes ſinu
Fumantis hauſtos : vos quoque imbelles Deos,
Aut non amicos : me nihil rerum inſciâ,
Nihil tacente tulimus : & vidi prior ;
Nec credita umquam cladis interpres fui.
Scit illa Libyæ peſtis, Imperii lues,
Fax ſola patriæ. Nam quid appellem virum,
Qui me meoſque prodit ? Ah ! quoties tibi
Haud falſa cecini ! Nunc fidem eventus probat,
Nunc vera vates, ſed tui quondam arguor,
,, Priameia virgo, ſimilis. Eſt aliquod malis
,, Solamen hæc ſenſiſſe. Quâ potui tenus

Præſtare

Præſtare mulier ; precibus, hortatu, minis,
Lacrimis tetendi. Sed meus quales ſolet,
Admovit aures transfuga, & fruſtrà pias
Civis querelas fronte non aliâ tulit,
Quam rigida cautes, cùm laceſſentes ſalo
Turbante fluctus frangit ; aut Maurus nives
Ventoſque ſenior capite ſublimi excipit.
Et nunc relictâ conjuge, & gnatis abit,
Patriaque, Princeps perfidus, dirus parens,
Conjux nefandus. Nec quibus latebras locis,
Aut quos receſſus captet ignavus, ſcio.
Fugiſſe ad hoſtes rumor incertus fremit,
Muſſatque ſecum miles. Aſt alii procul
Per media Rutulûm tela mentito ferunt
Cultu evolaſſe ſoſpitem, & noſtro mari
Summota petere. Cui mage accredas ? utrum
Placuiſſe caſtra profugo, an externas putes
Migraſſe in oras ? Terror utrimque, & propè
Par eſt periclum : ſive deprenſum abſtrahat
Romanus, ultrò creditum in laqueos caput
Seu dederit. At quo fretus, aut quâ ſpe dabit ?
Parum eſt quod hoſtis; hoſtium quod dux, parũ eſt,
Quid ? cauſa belli pariter, & belli metus
Alterius ? audax ? tumidus ? infrænis ? vafer ?
Rebus novis addictus ? haud veterum tenax ?
Suſpectus ? olim inviſus effugiet ? Quid ? hic
Pubis Latinæ carnifex, faciles ſibi
Speret Latinos ? quaſque gentili illitas
Cruore Conſul meminit, admittat manus ?
Non faciet umquam. Supplici mors eſt viro
Olim parata ; ſceleribus tantis quidem
Certè haud ſemel commiſſa. Nec ſortem abnuo,
Nec deprecor. Sceleſtus, execrabilis
Vbicumque, quales meruit, inveniat Deos ;
Dignumque capiti funus arceſſat ſuo.

Lycas narrat ut Aſdrubal ſupplex à Scipione veniam impetrarit, utq; vix ab eo milites manus abſtinuerint.

LYCAS SERVVS.
CONIVX ASDRVBALIS.

LYC. QVis credat umquã ? Cuncta quæ fieri priùs
Haud poſſe dixi, poſſe jam fieri arbitror.
Nunc unda flammas paſcat, & gelidis rapax
Iungatur undis flamma. Nunc ſummus nive
Exhauſtus Atlas Sole ferventi æſtuet,

Nunc

Nunc terra piſces, pelagus educat feras,
Rebus diem nox referat, & noctem dies.
Dubitante nil me fiet. Auſonium Aſdrubal
Supplex ad hoſtẽ profugit! CONI. Ah! lentâ enecat
Nimiùm morâ, quem certa ſcitatum Lycam
Sollicita miſi. Mé-ne & hic ſpretâ ſibi,
,, Herum ſecutus, conſulit? Paucos habent
,, Adverſa fidos, proſpera infidos tegunt.
Eſt-ne ille? Sic eſt. Fare. Quid rerum Lyca?
LYC. Quod rêre numquam. CONI. Quò meus conjux abît?
LYC. Hoſtem vocabis. Conjugis nomen perit.
CONIV. Quidnam? LYCA. Inter hoſtes degit. CONI. Occultè, an palàm
Immiſſus? LYC. Adiit ſpontè, & oblatus Duci eſt.
CONI. Veniámne porro Conſul oblato dedit?
LYC. Dedit: & jacentem, genuaque amplexum ſolo
Levavit. CON. Æquè hoc miles, ac Ductor probat?
LYC. Fremuit ſuorum ſtragis horrendæ memor;
Nec facilè capti cæde carnificis manus
Abſtinuit? CONI. Vtinam faceret! atque unâ duos
Nece vindicaret! LYC. Pars dari in flammas jubet.
Obruere ſaxis alius, aut ſudibus parat.
Pars, ſocia quales corpora in pœnas agit,
Candente ſtringi forcipe, & liquidâ pice
Ambuſta ſpargi membra; vel tumulo infodi
Vivum imperat. Ductoris ad nutum ſtetit
Compreſſus ægrè fremitus. CONI. O factum malè,
Quod adhuc ſuperſtes ſpirat! LY. Hæc, cultu Italûm
Simulante, caſtra ingreſſus, hiſce oculis modò
Subjecta memoro. CONI. Vade, & hæc ſociis refer,
LYC. Haud placida forſan, digna ſed ſcitu eloquar.

Pœnas ſtatuit ſumere de mariti perfidiâ liberoſq; trucidare cum patrem non poſſit.

VXOR ASDRVBALIS SOLA.

O Quiſquis orbes numinum æthereos regis,
Hominumque volvis fata! Si quiſquam tamen
Humana Superûm curat, & noſtrâ Deus
Cauſâ laborat aliquis: & certè ferunt
Eſſe aliquem, in omnes ſceptra qui teneat, Iovem,
Sævo tremendum fulmine. Hunc, quiqui eſt, voco,
Teſtorque. Túne hoc cernis: hoc pateris nefas?
Quò fulmen illud? quò Giganteo faces
Cruore paſtas? ſceleris aut quò vindices

Reponis

Digitized by Google

Reponis iras ſegnis ? Vbi fandi arbiter
Ille & nefandi eſt oculus ? Vbi cœlum tenens
Iuſtitia, fas, pudorque ? Quid teſtor Deos ?
Quid ſurda pulſo numina, & lentas nimis
Precariaſque perfidi pœnas moror
Capitis ? Leve eſt, ſerumque. Mihi pœnâ eſt opus
Præſente : per te hanc quære : totas pectori
Permitte habenas. Si quod ignotum eſt adhuc,
Nec uſitatum facinus : aut, alio licet
Auctore factum, ſi quod etjamnum eſt atrox,
Et par furentis feminæ ingenio ſcelus,
Quod nulla poſt te faciat, hoc vel tu prior
Invade, vel poſtrema. Nec ſexu minor
Nimium extimeſce. Fraude tam turpi nocens,
His noſter animis exuit conjux virum :
Tu feminam depone. Sic vecors abît ?
Sic me relictâ fugit ? exciſo lare,
Patriâque ſolam ? perditam ? afflictam ? obrutam ?
Hæc civium inter funera ? hos urbis rogos ?
Saxa & ruinas inter ? has Numidum manus ?
Barbaricaque inter arma, devotum neci
Deſeruit agmen ? Quod meum ob facinus ? niſi
Quòd nimium amavi, quòd fidem impendi, comes
Aſſidua : quòd te voce, conſilio trucem,
Et obſtinatum in ſcelera nequidquam fovens
Ad ſana volui flectere. Has reddis vices
Ingrate ? Socii jura ſic ſervas tori ?
Hæc connubî ſunt fœdera ? In furias agor.
Sævitque rabie mixtus, & creſcit dolor.
Non ſic Veſevi clauſa, vel Siculi ſpecus
Ardet caminis flamma. Non Coro fretum
Agitante tantos unda ſe in fluctus ciet.
Non ſtricta jaculo tigris, aut raptis fremens
Leæna catulis impetu tanto inſilit
Prædone viſo, quantus hunc animum coquit
Æſtus, furorque. Non ego ulciſcar ? Sciet
Quid læſa poſſit mulier. Invadam omnia.
Perdam, aut peribo. Siccine illudi juvat ?
Conſulere capiti voluit ? Vnà & conjugem
Servare decuit. Digna ſed letho fuit
Perire conjux ? Liberos certè parens
Eripere ſecum potuit. Ignavum caput !
Vadit ſuorum oblitus : arſuram domum,
Armiſque ſeptam, & carcere, unius memor
Sui, nefandus prodit. Immanis Getes,
Hominumque paſtus dapibus, aut rigidus Cyclops,
Aut Colchus, aut Hyrcanus, aut ſparſus Scythes
Quod ſimile monſtrũ vidit ? Heu! quid nunc ſequar?

Quid

Quid agam ? Manere patria me clades vetat.
Abire, forſan Conjugi infenſus Nomas :
Qui proditoris crimen in gnatos Ducis,
Nuptamque meritò vertet. Et quamquam exitum
Permittat ; ad quos miſera perfugium parem ?
Nempe iter ad hoſtes ; quò meus tutum exſilî
Habuit receptum Transfuga. Huic caſus dabo
Me comitem in omnes ? Egóne? Conſortem abnuo,
Deteſtor. Huic me rurſus adjungam ? alloquar,
Quem nec tueri libeat ? Ah ! numquam dies
Tam miſera veniat. Antè pax undis erit
Flammiſque ; & agnis ante jungentur lupi ;
Et fida ratibus ſternet Heſperiis vada
Vel Scylla, vel Charybdis : & ſtabili ſalo
Fallax arenas Syrtis incertas premet,
Odiſſe quàm te deſinam, aut placidum geram
Et mite pectus. Quò ferar ? quaſnam pagas ?
Quæ maria obibo ? quem fugæ expediam locum ?
Hîc hîc manere ſatius. Et moriar quidem :
Sed ulta moriar. Vnde me ulciſcar ? quibus
Violenta pœnis odia ? quo ſcelere expleam ?
Vtinam hîc adeſſes ! ora ſuffoderem unguibus.
Per viſcera ipſa perfidi ad latebras viam
Mihi cordis hac hac panderem : hac, inquam, manu
Diſſecta jacerem membra. Non ſobolem magis
Furibunda Agave ſparſit. Ego gnatum impii
Menſis parentis, ceu Mycenæas dapes
Sol vidit, horruitque, diſcerptum darem.
Aut qualis Atthis barbaro conjux Ityn
Lacerum Tyranno coxit ; & hoc mulier viro
Irata fecit. Te quoque Æetæ ſenis
Generoſa proles ſequerer : ô ſimilem mei,
Et paſſa & ulta conjugem ! ac ſimplex nefas,
Sed gravius illo teſte, productam patris
Ante ora ſtirpem manibus abriperem meis.
Quamquam iſta quid nunc prohibet ? Heu! quæ me rapit
Vis ſubita ? quid ago ? quò feror ? Iamjam ſubit
Neſcio quid altum, immane, quod fari piget,
Horribile, tetrum. Quæ nova effigies mali
Animis recurſat ? quis Deus mentem Deus
Impellit ? Actum eſt. Sceleris inveni modum.
Non te habeo diræ fraudis ad pœnam Aſdrubal,
Tuumque corpus : habeo quod pœnæ eſt ſatis,
Partem tui, meique : ſed partem tui.
In hanc manus armentur : hi pro te occidant ;
Ac te velim ſpectante. Quid demens loquor ?
Dii melius. Abſit, Ecquid inſontes, rogo,

Potuere ? Nullum eſt crimen. Hoc crimen luent,
Quod perfidi ſunt patris : at matris quoque.
Quid mater in ſe admiſit ? hi noxâ carent.
Et tùm carebam, cùm ferox ſine me parens
Diſceſſit. Horum in capita genitoris nefas,
Iramque transfer conjugis. Matris fides
Amorque pereat : nuper his patris perît.

Amore filiorum mater commovetur.

PVERI ASDRVBALIS FILII. CONIVX.

P. QVò Mater abiit ? C. Matris ad vocẽ tremunt
Concuſſa ab imo viſcera. O matris potens
Blandumque nomen ! Cor mihi attonitum ſalit.
Hebet ira, languet animus, extortus furor.
Adeſte gnati. P. Mater ! C. Ah ! pectus fodit
Vincitque mater. Vivite. Ego ſtirpis meæ
Spargam cruorem ? P. Quid doles ? A.P. Quid fles parens ?
C. Flenda & dolenda patimur. Ætati, puer,
Invideo veſtræ ; quòd mala hæc nondum rudis
Perſentit animus. Vtinam & hoc quiret parens !
P. Vbinam eſt pater? C. Quid gnate ſopita excitas
Rurſum, & reponis odia ? Quid patrem cies ?
Vrit paternum nomen, & matrem aſperat,
Stimulatque : ut acres jacula proritant feras.
Iterum furori reddor. In facinus malè
Compreſſa rabies gliſcit. Omne illud placet,
Quod antè metui. Perge. Sed ſobolis jugum
Geminæ hinc recedat. Fortibus cœptis amor
Maternus obſtat. Ite ; vos genitor vocat.
Duc fide cuſtos ; milite, atque armis procul
Adytis recondе pignora. Ego certa eruam ;
Quid de parente rumor haud mendax ferat.

VXOR ASDRVBALIS SOLA.

Rurſus ad filiorum necem ſe exſtimulat.

AGe ſola tecum ſtatue. Quid toties fugant
Alterna ſeſe vota ? Nunc odiis amor,
Nunc odia amore victa caſtifico excidunt.
Vbi ſis malorum, cerne. Bella, arma undique,
Cædes, rapinæ. Miles hic victoriâ,
Spe lucis alter intùs ereptâ, furit.
Cum prole ſola es : prolis iſtius pater.
Horum, & tui deſertor. Vlciſci cupis ?
Potes. Adde vires pectori, & vel tu dole,

Modò

Modò & ille doleat. Per tua hunc fixo velis
Trajicere ferro viſcera. En gnatos habes.
Tua ſunt, tua illi viſcera. Hîc, quà vulneri
Patet, appetendus genitor. Hîc merito eſt locus,
Prævertere hoſtis tela. Quippe aliàs manet
Romanus illos gladius. Vt parcam; brevi
Tamen eſt carendum. Matris abreptos ſinu
Iamjam trahi conſpicio. Nihil horum poteſt
Prodeſſe utriſque vita. Mors noſtro utilis
Fiat dolori. Teſtor inviſos Deos,
Non prima ſcelus hoc facio. Damnavit parens
Nece, dum reliquit: patris arbitria exequor.
Quænam hæc Averno turba prorupit lacu?
Quid video? Sontes agmen infernum plagas
Deſeruit, & me invadit. En tortos quatit
Megæra colubros. Mugit horrendùm ſpecus
Tartarea: rictu ſæva tergemino Canis
Vipereus ora pandit. Hinc ſtricto minax
Mucrone volitat umbra: cui currum trahens
Squamifera geminus colla ſubmittit Draco.
Hinc alia trunco vibrat abſciſſum caput
Puerile. Ego ambas noſco. Threïcii nurus
Cecropia Martis illa. Quam currus vehit,
Phaſiaca nupta eſt. Implet alterius gregis
Attrita dextras urna. Deeſt numero ſoror.
Hujus vicem præſtabo. Pòſt paulò ſequar;
Parſque aliqua turbæ ſontis, aut princeps ero.
Abiêre. Nunc te ad facinus egregium refer.
Sed miles ad me graditur. Et vultu quidem
Toto furoris indices præfert notas.

Milites fœminam fruſtra à cæde liberorum avocare conantur.

CONIVX ASDRVBALIS. PHAMEAS DVX TRANSFVGARVM. MILITES.

C. QVò denſa properas turba? PH. Num tu etiam virum
Imitata mulier ſtirpe cum geminâ fugis?
M. Non fugiet umquam. Perfidi pignus Ducis
Mecum hæc domus peribit. PH. Vbi natos regis?
M. Prolem exhibeto. C. Sinite: plus aliquid dabo.
Non fugio, non reſiſto, non gnatos clepo.
Sponte hîc manebo: nam mori matrem juvat,
Pueros neceſſe eſt. Hos ego. At nondum eloquar.
PH. Quid facere properas? C. Nulla quod taceat dies.

PH. Ecquid ſceleſti conjugis facinus probas?
C. Fac compotē hujus: ſcelera quàm placeant ſcies.
Quamquā & ſcies. M. Odiſſe te hunc meritò decet.
C. Odiſſe tantùm? Imbelle: nec forti eſt ſatis.
M. Quid, fare, præter odia vindictæ ſtruis?
C. Pœnas, cruorem, funera, & cædes volo.
M. Abeſt maritus: quantulum abſenti noces?
C. Peperi. Furori quod ſat eſt, uterus tulit.
M. Gnatiſne cædem mater, ánne aliud paras?
C. Factura quid ſim, tempore agnoſces ſuo.
M. Sobolis profundes ſanguinem? C. Vt doleat parens.
,, M. Tanti hoc mereris? C. Maximum ulciſci lucrum eſt.
,, Sollicita cùm ſit cætera, & luctus capax,
,, Suave hoc poteſtas Principi, atque ingens parit,
,, Impunè quòd non aggredi hunc aliis licet,
,, Cui liceat omnes. Sorte privatâ amplius
,, Hac dote regnū eſt. M. In meum quamvis caput
Culpa hæc mariti vergat, & clade obſidis
Fas ſit piare generis, hinc ſodes tamen
Diſcede potiùs, tale quàm pecces ſcelus.
C. Antè haud ſinebas, nunc domum hoſtilē foves?
,, M. Tam dira fugio exempla. C. Moriturus times
,, Aliquid? M. Nihil tam crimine ex illo horreo,
,, Quàm crimen ipſum. C. Fiet: audebo viris
Horrenda mulier. Liberûm in cædes ruam,
Meamque. Si quis ſceleris aſpectum pavet;
Ante occupare fata, vel condi licet.
M. Moritura proles ede quas latebras tenet?
C. Hàc ſequere, ducam. M. Num gradum ad facinus citat?
C. Matura nondum cœpta: necdum omnis phalanx
Educta caſtris: quippe Romano velim,
Atque utinam & illo teſte, quod placitū eſt geri.

Fæminæ exemplo ad generoſam mortem oppetendam ſe ſuoſq; animat.

PHAMEAS AD MILITES.

O Fæminæ ingens ſpecimen! ô turpi viro
Indigna conjux! triſte & horrificum nefas
Etſi ferox moliris; & prolem neci
Me non probante, tradis: at gratum eſt, meo
Quod in hoſte peccas: quod mihi ultricem moves
Præſtaſque dextram. Non diu inſultans dolis,
Et inultus in nos tacita deſertor feret

Fla-

Flagitia : in æquo eſt quodque commiſit, brevi
Et quod videbit. Præmium immitis fugæ,
Ac pejerati numinis fructum Aſdrubal
Scelerate capies. Quamquam & hoc, ſocii, pudet,
Animis præire fœminam. Exemplum dabit,
Vincetque ? Nil ſe ? nil ſuum penſi genus
Habeat, torique jura, dum pœnas pati
Vel conjugem ipſum cogat ? Ego ſegnem impetum
Moribundus, exſpes, ultimæ in peſtis metum,
Caſuſque tantos conferam ? Ego forti parum,
Parum virili dexterâ obnixus diem
Claudam ſupremum ? Si quis etiamnum eſt vigor,
Meliora ſocii. Quod poteſt unum, Deus
Producere ultrà ſpiritum inſenſus vetat ;
At honeſta nemo fata ſortiri vetat.

Scipio transfugas parat aggredi; Phameas eos hortatur, ut animoſè ſe defendant.

SCIPIO. PHAMEAS TRANSFVGARVM DVX.

SC. HVc huc frequentes agite, dum ferrum tepet,
Pœni reliquias nominis, Templum Deo
Tutore vacuum, quæque Sidoniæ gerit
Monimenta fraudis, ſede furtivâ erutam
Abolere Byrſam pergite. PH. Armorum novus
Vibrat per auras fulgor, & duplicat diem.
Properè expedite tela. Subrectis adeſt
Infeſta pilis legio. Perrupto eſt opus.
Denſetur agmen : impete ut capto ruens
Stricto minax mucrone perfringat globus.
Spes eſt in armis tota. Quem lucis tenet
Cupido, mortem haud metuat. Elapſus fugâ
Ignavus abiit Ductor. Vrbem hoſtis tenet.
Arx capta tandem eſt. Templa perfugium breve
Hæc una præſtant : his quoque incluſos fames
Veſana cruciat. Precibus evinci furor,
Satiandus uno ſanguine, hoſtilis nequit.
Quid deinde miſeri facimus ? Ad quorum fidem ?
Quorum arma, opemq; fugimus? In ferro eſt ſalus.

Aſdrubal à Scipione in ſuorum conſpectum adducitur, atque à Phamea graviter perſtringitur.

SCIPIO. ASDRVBAL. PHAMEAS IN ARCE. MILITES.

SC. ANimo metum depelle. Securum benè
Sperare de me jubeo. Ne dubita: ratum eſt
Romana quidquid hoſtibus ſanxit fides.
Nunc te ad tuorum ſiſtere aſpectum libet,
Ne ſpes moretur aliqua. AS. Verùm obſtat pudor.
S. Captum putabunt, non meas profugũ in manus
Veniſſe ſponte. Templa conferti ambiunt.
Iubete ſiſtant jacula. PH. Scipiadæ tegit
Latus Aſdrubal, ni fallor; & certè tegit.
SC. Quâ ſpe arma miles? quo duce infelix capis?
Huc flectite oculos. Ecquid hic veſter fuit
Quondam Aſdrubal, nunc noſter? AS. Hæ Martis vices.
Hæc fata, ſocii. Templa vobiſcum aſſequi,
Nec fugere quivi. Sicque deprenſus, vias
Dum me per omnes refero, pars prædæ fui.
PH. Ain' ſceleſte? ſcilicet captus venis?
Clam me eſſe verò facinus, & turpis fugæ
Indigna credis furta? Nil jam, perfide,
Nil me relictum, & turpibus captum dolis,
Dextramque fidei conſciam, aut Superûm querar
Violata per te numina. Hæc nec tu times,
Nec eſſe ſtatuis ulla: nec tanti eſt mei
Iactura. Sed cui conjugem, & gnatos iners
Fugitive linquis? quantus inſani ſtupor
Capitis, furorque? Facere quos hoſtes paras,
His tanta credis pignora? Horum odiis faves?
,, In te miniſtras tela? Sic numquam improbis
,, Conſulta mens eſt. Quamlibet fraudes ſtruat,
,, Nullum ſat omni parte proviſum eſt ſcelus.
Quàm bene tuum illud quas daret ſecum tulit,
Docuitque pœnas! Nempe, niſi nuptam ſimul
Prolemque eodem crimine abjiceres nocens,
Tibi quod referrem deeſſet. Egregiè dolor
Per illa noſter, ſponte quæ præſtas, ruet.
Agedum vir eſſe diſce; totque oculis domus
Intrepidus hauri funera: Aſdrubalem exhibe
Illum priorem. Cæde natorum tepens
Materna jamjam viſcera hic, quem tu vides,
Perfodiet enſis. Majus hoc aliud geri

Fors & videbis. M. Sobole cum infauſtâ parens
Ruit ecce; quali modica Teumeſſi gradu
Aut celſa Nyſæ culmina Ogygio ſubit
Percuſſa Thyrſo Mœnas. M. En conjux adeſt
Tuus, hoſtium armis ſeptus.

Aſdrubalis conjux in conſpectu mariti filios ſuos, ſeq; trucidat.

CONIVX ASDRVBALIS. ASDRVBAL. SCIPIO. PVERI ASDRVBALIS FILII.

CONI. Hic conjux adeſt?
Vbi peſtis illa? Profugis infidum caput!
Profugis, tuoſque prodis: & lucem vides?
Et os nefandum, ac nocte perpetuâ objicis
Tenebriſque dignum? Condere infelix, abi.
Non hinc recedes? non Styge, atque Erebo petes
Vlterius aliquid? Quæ tuos vultus ſatis
Opaca nox abſcondet? aut patulo ſatis
Tellus dehiſcens gurgite abſorptum premet?
,, Non hoc virile eſt; facinore admiſſo reum
,, Aſpicere contra poſſe, nec latebris tegi.
,, Furor ille, furor eſt. Summa nequitiæ attigit,
,, Quem non pudor metuſque poſt culpam movet.
Prô vilis anime! generis opprobrium, lues,
Labeſque gentis! cæcus, attonitus, tremens,
Humiliſque ad hoſtem vadis? & ſi fas peti
Vtcumque tuta fuerat, hæc ſolus, petis?
Non comite me, vel conſciâ? Ah! pectus ferum,
Timidumque! cui tu pignora hæc ſaltem parens,
Hos innocentes tradis? Vbi ſortem ſupra
Ille acer, atque invictus, & flecti timens,
Nullique ſupplex animus? Vbi faſtus prior?
Quàm facilè inanes ſpiritus fœda arguit
Spes lucis, & cupido! Degeneri fugâ
Quos perdidiſti prodis? O lentum Iovem!
Quis ille mos eſt? Vnus exitio nocens
Subtrahitur: in nos crimen inſontes redit.
Scelere hic peracto gaudet. At non & diu
Gaudebit. Huic tu parcere? Hunc tecto hoſpitem
Excipere eodem, Conſul, & dextræ potes
Sociare dextram, quo duce in dominos Libys
Rebellat? ictum fœdus amborum cadit?
Fas omne ruptum eſt? Hic tuum aſpectum tulit?
Non ora cædis conſcia indignæ horruit?
Non illa tremuit caſtra? non tot vindices

Diræ ſuorum cladis expavit manus,
Quot illa teſtes habuit ? Huic vitam datis,
Qui ſocia veſtros corpora ante oculos ſecans
Lentâ peremit morte ? Cui tandem ſpei
Monſtrum hoc reſervas Scipio ? An placidum forè,
Fidumque in hoſtem reris, infidum in ſuos ?
Dîs execrandum ? Veſtra ſi novi benè
Conſilia : non huic pœna, ſed pœnæ modus
Tempuſque lucro dabitur. Hoc victor tuis
Præſtas triumphis. Ante Tarpejum ad Iovem
Sacrâ præibit, colla ſubſtrictus, viâ :
Captique Princeps agminis paſſim nurus
In ſe Latinas vertet. Hinc laqueo gulam
Fractus tenaci, rupe vel celſâ datus
Præceps peribit : carcere aut clauſus, ſitu
Horrenda noctis clauſtra perpetuæ colet.
Sed lenta nimis hæc, debita & veſtro ultio
Per ſe dolori eſt. Majus, & proprium quoque
Sibi noſter aliquid poſcit, ac refugit moras.
Hos tu vides crudelis, & fato, & patre
Meliore dignos ? Fruere, poſtremûm aſpice.
Periere. Patrium hi crimen inſontes luent,
Matris perempti dexterâ, at culpâ patris.
A. Ah! parce conjux! C. Conjugē hic etiam vocat?
A. Ignoſce gnatis mater. C. Hoc genitor doces ?
A. Per ſi quid umquam dulce tibi noſtrum accidit,
Per ſacra thalami jura communis precor ;
Ne perime : mea ſunt ſcelera : me potius pete.
C. Vtinam ipſa poſſem ! nunc tuas ſoboles vices
Mihi te vidente debet. O fauſtum diem !
Gnatos, quod unum deerat ad pœnas, amat,
Adeſtque genitor. Nil meum hoc factum foret,
Niſi & ille amaret. Perage. S. Quid mulier facis ?
Abſiſte furia. C. Lumina huc ſodes leva.
Agnoſce : tuus eſt. Primus hic enſem imbuat.
P. Miſerere genitrix. C. Dirus hoc prohibet pater.
I nunc : relinque conjugem. A. Eſt odio ſatis
Mactatus ille. Liberûm vitam alteri
Concede: ſolum hunc poſco. C. Ni peteres, darem.
Quod me voles feciſſe, velle iſtud nega.
Hunc cui precaris, cui times, ipſum hoc, cupis
Quod eſſe ſalvum, perdet. Hâc ferrum inſeram.
A. Eſtíſne Superi ? Nullus hic fulmen rotat ?
Nemo hanc leænam, liberûm hanc peſtē opprimit ?
Date tela, flammas ſpargite : hâc vivam manu
Eviſcerandam rapite. C. Iam fortem juvat :
Iam te virum ſpectare. Quod ſatis eſt, doles.
Nunc ulta, nunc beata, nunc victrix ferar.

Rara

Rara hæc voluptas hoſtium luctu frui.
Factum eſt abundè. Plus meis odiis litas,
Quàm quod cupivi. Læta tibi de me invicem
Moritura reddo. Facibus & ferro Aſdrubal
In me paras ſævire. Nil ferro eſt opus,
Nil facibus iſtis. Idem erit ſceleris tenor.
Per me quod optas cædis officium exſequor.
Inviſa morior: poſtque præmiſſas Stygi
Vmbras recentes propero. Qui patriam cremat,
Idem & parentem rapiet, & ſtirpem rogus.
At tu ſuperſtes, exſul, alieni aſſecla
Vilis triumphi, famulus, inviſus, pavens,
Victoris ad ſpem vive. Vel, ſi fas mori eſt,
Hinc te quid agere deceat, exemplum cape.
A. Perge execranda, perge, Dirarum gregem,
Seu mox tribus jungenda, ſeu pars es trium,
Cumula, vel exple. Belidum ceſſet labor,
Et ſicca refugus ora decipiens latex.
Et quæ perenni conſcium audacis ſtupri
Revoluta verſat turbine, ac numquam ſilet,
Rota transferatur. Tundat æternum jecur
Obſcœnus ales, & renaſcentes fibras,
Vacante Tityo, nulla non carpat dies.
Quidquid ſub imis horridum tenebris capax
Ditis coërcet regia, & turbæ irrogat
Quidquid nocenti torvus Aſopi nepos,
Ioviſque proles Gnoſſia, & conſors fori (gravet.
Rhadamanthus, unam hanc laceret, hanc unam
Prô! miſſa Averno peſtis, atque ævi probrum!
Quonam freto? qua caute? quo monſtro editam
Noſtra hanc tulere ſæcla? quæ longâ fame
Incenſa Tigris? quæ lupa? aut gelido poli
Sub axe candens urſa tam ſævas alit,
Aut Hydra flammas? Liberi infauſti patris!
Quis veſtra dignè funera & caſus fleat?
S. Miſeranda pateris, fateor. At qui ſis memor,
Onerare planctu temet imbelli cave.
Age hunc retractum cladis aſpectu alleva,
Caſtriſque recipe. Lenit afflictos quies.

Scipio ad evertendam arcem ſuos animat.

IDEM SCIPIO AD MILITES.

VRgenda belli reliqua. Tam tetrum nefas
Verſâ expietur arce. Quâ durum eſt iter,
Nec ſolida calle planta devexo labat,

Pendente clivo, fulciat primos ſequens.
Erigite in auras ſcuta. Præ ſe habeat prior.
Pone alius ordo capita ſubrectis tegat.
Huc machinas, huc ære præfixas trabes,
Huc ferte tela. Vineæ arrectâ ſude,
Pluteique agantur : levia queîs crudo bovis
Tabulata corio tecta Vulcanum pice
Sparſum tenaci, miſſile & ferrum arceant.

Nuntius Scipioni exponit ut Aſdrubal ſibi mortem intulerit.

NVNCIVS. SCIPIO.

N. HEu ! Pœnus obiit flebili Ductor nece.
SC. Novus ecce miſeros caſus ex alio rotat.
Quâ morte cecidit ? N. Enſe confoſſus jacet.
SC. Suapte cæſus dextrâ, an alterius ? N. Suâ.
SC. Nullúſne mortem vetuit ? N. Adventum celer
Noſtrum occupavit. Arce progreſſos iter
Cùm nos teneret urbis, hic paulum viæ
Secreta ſimulans ceſſit, & dicto ocius
Lethale ferrum pectore immiſſo capit.
Nos trepidi ad illum currere, & fruſtra patens
Cohibere vulnus. Vulnere exhauſtus cruor
Bibulum tepenti ſparſerat rivo ſolum ;
Tamen hæc profatur. Non tuæ certè occido
Pars ulla pompæ. Plura dicturum halitus
Defecit. Oculos ferreus clauſit ſopor.

SCIPIO

Magna momento obrui everſâ Carthagine docet, optatq; ne id aliquando Romæ accidat.

,, GEneroſa laudo funera : anteactæ notam
,, Labemque vitæ ſæpe mors pulchra eluit.
Sed hæc vel hoſtis digna ſunt luctu mala,
Vrbis, Duciſque pariter ; aſt urbis magis.
,, O lubrica ævi fata ! quis veſtras vices
,, Aut novit, aut non metuit ? I, vitæ bonis
,, Confide nimiùm. Quantulum humanas opes
,, Impellit ? An nos urbis everſæ repens
Caſus feroces reddit ? At timidos facit
Idem hic & animos minuit everſæ cinis ?
Iacet inclytum urbis ſpecimen, & mundi alterum
Decus :

Decus : hæc tot annos robore, atque opibus vigens
Tota in ruinas abiit : hic operis labor
Ingentis illæ turrium eductæ polo
Cecidere moles : illa tectorum vapor
Fumificus ambit culmina : hæc Superum flagrant
Delubra, & ædes : illa tot ſæclis potens
Carthago inanis campus, atque ingens ſolum eſt
Atque aliquis illam vomere exercens humum,
Hîc Tyria dicet mœnia, hîc arces erant.
Quod fuerat, hoc es Roma: quodque illa eſt modò,
Potes eſſe, eriſque. Veniet hæc forſan dies,
Qua te ſuperbam (pace ego patriæ loquar)
Fors ſimilis alto excutiat, & lapſam quoque
Hoſticus adurat ignis. Hoc felix time.
,, Ego timeo. Ventis ſæva momento tument ;
,, Vertuntque maria : quæque ludentes ſalo
,, Lux vidit, eadem naufragas puppes videt.
,, Tantùm minantur fata, quantùm homini favent.
Sed tarda veniat, ſi qua ventura eſt tibi,
Aut nulla veniat peſtis ; hoc potiùs precor,
Potiuſque Divûm numine affirmet ſator.
Vos hunc honeſtâ morte perfunctum rogo
Extruite, & oſſa Libycus abſcondat lapis.

DIO-

Digitized by Google

DIONYSII PETAVII AVRELIANENSIS

E SOCIETATE IESV

VSTHAZANES,

SIVE

MARTYRES PERSICI

TRAGŒDIA.

AR-

Digitized by Google

ARGVMENTVM TRAGOEDIÆ.

FLORENTIBVS in Perſide Chriſtianorum rebus, Sapores Perſarum Rex cùm vetere impulſus odio, tùm Magorum ac Iudæorum artibus in illos commotus, primùm iniquis exactionibus, ac moleſtiis vexare: tum Eccleſiarum, ſacrorumque vaſtitate ac direptione: poſtremò Sacerdotum & Antiſtitum, ac reliquorum adeò cæde funditùs opprimere inſtituit. Erat tum Seleuciæ ac Cteſiphontis Epiſcopus Simeon; cujus auctoritate ac virtute niti Chriſtianorum apud Perſas religio videbatur. Hunc proditæ majeſtatis inſimulatum comprehendi, & ad ſeſe catenis onuſtum perduci jubet. Interim Vſthazanes Regis educator, & inter Palatinos proceres principē locum obtinens ob Chriſtianam profeſſionem delatus, minis ac terroribus

de

de conſtantiâ dejicitur ; atque ad Chriſtiani nominis deteſtationem ſacrilegam Ignis ac Mithræ venerationem adjicit. Non eumdem in Simeone tentando ſucceſſum Saporis conatus habuit. Cujus ille non minùs ſævitiam, quàm blanditias promiſſaque contempſit, ac deſertori inſuper ſalutem attulit. Nam cùm ad ſeſe venientem, illum, ac pro veteri neceſſitudine officiosè ſalutantem probris ac conviciis rejeciſſet, negaretque quidquam ſibi cum nefario transfuga commune eſſe poſſe : Vſthazanes hac offenſione, ac ſceleris ſui horrore perculſus ad Regem adit, ac Chriſtianum ſe eſſe coram eo profitetur. Quâ repentinâ mutatione vehementem non in ſe modò, ſed & in Chriſtianos omnes Principis iracundiam convertit. Itaque capitis damnatus eodẽ die glorioſiſſimam pro Chriſto mortem ſuſtinuit. Verùm antequam ad ſupplicium traheretur, magnopere hoc ab Rege poſtu-

poſtulavit; ut elogium ſuum, neciſque cauſſa publicè à præcone pronunciaretur; ne quam perfidiæ proditioniſque de ſe ſuſpicionem in vulgus relinqueret. Sed eò nimirùm poſtulatio illa ſpectabat; ut ſi quibus fraudi offenſionique ſceleris exemplo fuiſſet, iiſdem mutatæ voluntatis, ac ſuſceptæ ob fidē Chriſti necis præconio conſuleret. At Rex ceterorum ad terrorem quod rogabatur pertinere ratus, ultrò conceſſit. Intererat ſpectantium turbæ Puſices Regiis artificibus præfectus. Qui ut metu mortis attonitū ac titubantem Ananiam Simeonis Presbyterum vidit, nihil cunctatus voce hortatuque ſuo illius animos erexit. Ob id comprehenſus & ipſe paulò pòſt interfectus eſt. Cæſus eſt Vſthazanes Conſtantii & Conſtantis anno 7. feriâ V. majoris Hebdomadæ. Simeon verò ac ceteri poſtridiè, hoc eſt feriâ VI. ſive Paraſceve. Hæc Sozomenus lib. VII. cap. VIII.

PER-

Digitized by Google

PERSONÆ.

VSTHAZANES.
DATHYS CHRISTIANVS.
SAPORES REX.
PRINCEPS MAGORVM.
SIMEON.
ANGELVS.
MILES.
PVSICES.
ANANIAS.
CHORVS PERSARVM.
CHORVS CHRISTIANORVM.

AC-

Digitized by Google

ACTVS PRIMVS.

Vſthazanes Dathyn ad conſtantiam in ſide hortatur, ſimulq; Saporis odium in Chriſtianos exponit.

VSTHAZANES. DATHYS.

QVid huc relicto Principe errantem gradum
Diverſus urges, turba dum ſacris frequens
Operata Procerum Solis adſtantem focis
Ambire Dominũ geſtit ? D. Hoc ipſum eſt
Quod me retorſit, ne quid ex illâ traham (retrò
Contage ſceleris. Te quoque haud diſpar ſcio
Cauſa huc ſubegit. V. Fateor idem animus, procul
Fugere execranda ſacra ; nec coram pati
,, Ritus profanos. Quippe nec viſu tenus
,, Polluere Chriſti in jura tranſcriptum caput
Fas eſſe didici. Quod tuâ dignum eſt fide,
Et cui favemus numinis cultu, ſapis.
I, ſequere porrò. Perge melioris tenax
Dum vivis, animi. Perſtet ambobus precor,
Acer ſuique ſimilis, & numquam malis
Victus fatiſcat. D. Si quod in nobis ſitum eſt
Spondere certo liceat ; æternùm ſibi
Conſtabit. V. Hac nos mente venientem decet
Quamquam opperiri turbinem, & contra gradum
Firmare, trepidat pectus, atque horret tamen
Quo ſe minax procella, & impulſus dabit
Iræ æſtuantis fervor. Haud facili reor,
Medióve tantus ſcelere fungetur furor.
Magnum aliquid in nos ſævus atque odio favens
Molitur : hunc vos fallite ô Superi ! metum.
Nec me illa dubium cura privatim mei
Sollicitat : hæret noſter in ſolido ſtatus :
Si fas loqui eſt, fretuſque nil cœlo pavet.
Cauſâ timendum eſt publicâ. In Chriſti genus
Nomenque ſceptro ac decore regali tumens
Inimica vis aſſurgit. Hæc non jam dolis,
Non cæcâ, ut olim, fraude Achæmenius parat
Subruere Princeps , ſed palam aggreſſus quatit.
Hucuſque ſolis opibus infeſtus, gravi
Preſſit tributo, capita deſcribens atrox
In quæque pretium. Verùm ubi exhauſtis nequit
Excutere firmo pectore hærentem Deum ;
Iam mole apertâ pugnat, exardet, fremit.

Nec vetera tantùm, ſolitaque in noſtrum gregem
Supplicia renovat, ac remetitur diu
Deſueta terris generis exempla horridi.
Parum hoc, parum eſt, nimiumque vulgaris notæ,
Quod uſitatum eſt : quæritur ſceleris novum
Nec cognitum orbi ſpecimen. Et, ne quod nefas
Deſit furenti, non rudem ad facinus virum
Vrget miniſter ſceleris, ac ſubdit faces,
Hinc ille Domini cæde pollutus, ſacer
Hebræus, exlex, advena, impoſtor, vagus,
Gens orbe toto ſparſa, ſine regno & lare;
Suiſque pulſa ſedibus, noſtris gravis.
Inde alia Regni major Aſſyrii lues
Profanus ignis cultor arcani Magus
Stygiaque pollens arte. Sic gemina Sapor
Peſte efferatus gentis in cædem piæ
Graſſatur : & quas mentis etiamnum potens
Nondum ille habebat ; ſive Threïcii metu
Premebat intùs Principis, totas modò
Effundit iras. Sic ubi emiſſus foras
Tandem recluſis prodit è caveis leo
Propior furenti graditur, & nondum furit.
Mox latera ſtimulis foſſus, aut torti procul
Crepitu excitatus verberis, caudâ latus
Stimulante vaſtos corpore excutiens toros
Præceps ruit, furitque, nec ſeſe capit.
Haud alia Regis pectora amborum ad nefas
Inſanus acuit livor. Heu ! miſeris ſalus
Quænam relicta eſt ? Quis modus furiis erit ?
D. Paulùm querelas reprime. Neſcio quis ferit
Modulatus aures ſonitus. En vocis canor
Crebreſcit ingens. V. Solis è templo redit
Comitata Regem pompa. Congreſſum viri
Eſt impetus fugiſſe, ſubducar domum.

CHORVS

Magorum Ignem ac Mithram celebrantium.

ANAPÆSTICI.

Qvacumque vago gurgite Nereus
Complexa ſolum brachia pandit :
Sub utroque procul ſole jacentes
Vnus populos Perſicus anteit.
Quæcumque poli vertice in alto
Sacrata focis templa merentur,

Vnus

Vnus ſuperat numina Mithra.
Sic præ reliquis inclyta terris
Majus reliquis numen adorat.
Canite ô juvenes! Patrio Mithram
Dicite ritu.
Tibi feſta Magus carmina fundit.
Tibi Achæmenidûm turba virenti
Velata gerens tempora myrto;
Niveoſque trahens ſplendida cultus,
Delubra piis cumulans votis,
Dat turicremas munera ad aras:
Lætiſque ſonat vocibus æther.
Agite ô pubes Perſica magnum
Celebrate Deum.
Quà quà celebri ducta paratu
Feſtam graditur pompa per urbem
Linguis faveant, verbaque paſſim
Fauſto cives dent fauſta die.
Nullus querulo murmure pulſas
Polluat aures: lamenta vacent.
Hunc ſolicitis parcite curis
Onerare diem. Sit molle jubar
Nullis liquidam miſceat æthram
Imbribus Auſter: denſaque nuſquam
Incubet atro Turbine nubes.
Nec freta piceis acta procellis
Nunc ſuſpenſos ad celſa ferant
Sidera fluctus: nunc obſcuros
Retegat manes unda dehiſcens.
Altâ ſupero quidquid in orbe eſt,
Altâ ſileat pace profundum.
Dum miſta viris mollior ætas;
Matrumque choris innuba proles
Mithræ celebrat cœleſte jubar.
Quo perpetui fœdera mundi
Auctore manent; per biſſenos
Partita fluunt tempora menſes.
Et nunc placidis laxata viret
Zephyris tellus; nunc æſtifero
Gratas revocat ſidere meſſes.
Mox Autumnus pomifer uſtas
Riguo glebas temperat imbre.
Nunc brumali frigore torpens
Gelidis Boreæ flatibus horret.
Sic alternis natura parens
Vicibus patitur damna, novoque
Reparat priſcum ſplendore decus.
Hæc humanis commoda rebus.

Digitized by Google

Providus iſtas diſpenſat opes
Fugitiva regens ſæcula Mithra.
Tu quoque rerum pars magna fave
Sacer Aſſyris ritibus ignis.
Agilis cujus vigor æthereos
Continet orbes ; dociliſque rapi
Partim Heſperium torquet in axem ;
Partim Heſperio torquet ab axe.
Idemque polo denſior ardens
Facibus latè ſparſa coruſcis,
Quæ nocte vides ſidera, monſtrat.
Hinc vivacis ſemina flammæ
Magnos mundi fuſa per artus
Occulta meant ; vivida quorum
Genitale fovet corpora robur.
Illinc hominum, pecudumque genus ;
Quidquid volucrum ſecat aëria
Nubila penna : quod marmoreo
Claudit gremio cærula Tethys ;
Animam ignifero ducit ab hauſtu.
Nec tu rerum maxima tantum
Penetras, mundi fœcunde ſator !
Sed viſceribus nulla vel imis
Corpora terræ depreſſa Deo
Vegetante carent. Sentit flammas
Solidata tuas, & avara hominum
Vota fatigat dives fulvi
Vena metalli. Quin & ſilice
Ferróve ſilex icta latentes,
Quos fœta gerit, reddidit ignes.
Par cœlicolum nobile ſalve.
Date fauſta piis tempora Perſis.
Quique officio lætus utrumque
Ambit Perſis numen amicum
Et communes inſtruit aras :
Æterna precor ſceptra viciſſim
Regi memores reddite Regum.

Princeps Magorum Vſthazanem apud Saporem accuſat, qui eidem extrema minitatur.

SAPORES REX. PRINCEPS MAGORVM.

S. PEracta ritè ſacra, & auſpicibus reor
Superis litatum. Largus ante aras cruor
Tot cæde pecudum, totque mactati greges,

Et

Et lætus Arabum ture ſublatus vapor
Et odora Cilicum meſſis, & caſtæ preces,
Et quæ ſuperbis dona ſuſpendi tholis;
Quæque ipſe vovi, proſperum Imperio ſtatum,
Noſtriſque felix omen inceptis ferunt.
,, P. Audita ſuperis vota: ſupplicibus favent
,, Suis, amantque: nec piè orati preces
,, Surdâ capeſſunt aure. Contrà illi impios
,, Odere, faſtu bella qui tumido movent
,, Paterna regni in ſacra; nec cultu Deos
,, Dignantur, & qui jura præ patriis habent
,, Peregrina; quiq; hos premere cùm poſſint, fovēt.
S. Nempe hos rebelles, hos mihi exoſos canis
Chriſti execrandos nomine. P. Hos ipſos loquor,
Perdenda letho capita, quos ultrà cave
Patiare Princeps; peſtis occultæ amputa
Ferale virus: gliſcit, & populos vagum
Latè per omnes ſerpit, offenſi trahens
,, In nos Tonantis odia. In inſontes cadit
,, Cives nocentum culpa, ſi pœnâ caret.
Nec tu ſacrorum hæc proinde, vel noſtri puta
,, Referre tantum. Publicæ ex uſu rei eſt
,, Eadem eſſe cunctis numina: haud quales velit
,, Arripere cultus quemque, nec ritu minus
,, Quam Rege eodem vivere, hoc ſceptris fidem
,, Pacemque populis ſancit. S. Hortatu nihil
Opus eſt: peregi cuncta mecum animo priùs.
Odi ipſe, quantum hos nullus: & Superûm, & mei
Cauſsâ nefandos perſequi, exitio dare,
Abolere prorſus meditor. P. Æternùm tibi
Hac mente firmas ſceptra. S. Non animo recens
Aut temerè in illos cœptus incubuit furor.
Vetus eſt; nec olim ſi quid indultum eſt, nefas
Fovere volui: tempori & regno datum eſt:
Non huic remiſſum: preſſa modò ſeſe efferant
Conſilia. Vos non ore, & admonitu tenus
Favere cœptis, ſed manu & factis volo.
P. Properare curſu concitos celeri jubes.
Sed quam in laboris fare nos partem voces.
S. Excutite profugos: rapite; per tecta & lares
Inquirite; urbes, rura, deſertos legat
Saltus oberrans miles. Hic veſter labor
Eruere ſontes undique, ulciſci meus.
,, P. Huic gerere morē eſt facile, qui quod vis jubet.
In perduelles Imperî, atque hoſtes Deûm
Violenta mandas bella. Quis juſſa abnuat;
Niſi & hoſtis; & cui ſceleris exemplum placet?
Sed quid latebris abditos cæcis juvat,

Procul & fugaces petere, ſi facinus palam
Tutum in propinquo patimur: & Regni in ſinu
Manifeſtus hæret hoſtis? S. Haud nobis quidem.
Quis ille, tandem exprome. P. Chriſticolûm caput
Columenque. S. Nēpe hunc capite damnatū refers;
Qui Cteſiphonte vinctus Aſſyriâ ſenex
Huc me imperante trahitur. P. Imò alius magè
Illo timendus, opibus, & longâ potens
Turbâ clientûm. S. Iuris an noſtri eſt? P. Tui.
S. Ambage miſſâ fare quem memores virum.
P. Qui te te alumnum jactat. S. Ergo etiam miſer
Galilæus ille eſt, & cruci affixum colit?
P. Solum hoc adorat Numen, inque oculis gerit:
Et vana credit reliqua. Nil cœli jubar
Radiantis illum tangit, aut adytis ſacer
Repoſtus ignis. Quin ſuos furtim excipit,
Conditque tectis, atque ope afflictos levat.
S. Vbinam eſt? P. Pedē iſtinc retulit. S. An mecum comes
Delubra Solis adiit? P. Hæc Erebo fugit
Oditque graviùs. Quippe Tartarei ſpecus
Simulacra, & Orci ſtabula, & Eumenidum lares
Hæc fana vocitat. S. Regiâ hunc aliquis vocet.
Itáne eſt? Deorum ſacra me vivo abnuit?
Ego præſidem almæ lucis, & gemino Deum
Cornu minacem teſtor, aut Chriſtum abnegans
Ritus priores repetet, aut letho diem
Clauſum antevertet. Nec meâ ſi nunc foret
De ſtirpe: non ſi frater, aut conſors thori,
Aut gnatus, aut, quod graviùs eſt dictu, parens,
„ Effugeret umquam. Regium hac ſi quis manu
„ Eripere ſceptrum, pellere aut regno velit:
„ Parcam atque inultum patiar? Haud leviùs nocet,
„ Scelerisque in æquo eſt, qui mihi longo Patrum
„ Tranſmiſſa ab ævo jura ſacrilegus rapit,
„ Legeſque patrias. Nec pari in culpâ tamen
„ Ego utrumque ſtatuo. Graviùs haud paulò nefas
„ Inferre ſacris bella, quàm ſceptris, reor.
„ P. Par ille cœlo eſt animus, ac ſtabili loco
„ Quicumque ſceptro & Regiis opibus potens
„ Dîs ſe minorem ſentit. Hic culmen ſupra eſt
„ Mortale, quem non aula, non auri nitor,
„ Non veſtis iterum murice Aſſyrio rubens,
„ Non arma, non ſatelles, aut quidquid foris
„ Altum, & ſuperbum cingit, oblitum ſui
„ Nimiùm & ferocem ſorte regali extulit.
„ Rarum hoc decus, tuumque. Sed prodit domo
Longævus altor.

Vſthazanem fruſtra blanditiis à fide Catholicâ Sapores avocare tentat: minis tandem terret.

SAPORES. VSTHAZANES.

SAP. VEráne hæc de te ſenex
Mihi fama retulit? Dîs modò exoſis, vetus
Queîs poſuit ætas templa, neſcio quem trabe
Fixum cruentâ colere fallacem Deum?
Nec ſacra, ut antè, ſolita nobiſcum exequi,
Nec templa obire noſtra. Quæ quamquam diu
Suppreſſa conſtans rumor in populum ferat,
Nil facere cauſâ graviùs indictâ liber.
Proloquere quid tu mente conſilii tegas.
VS. Quid pectore imo conditũ & tacitum premam
Iubes profari? Fas ſit hoc unum priùs
Rogare princeps. SAP. fare. VS. Gentiles feror
Mutaſſe ritus: ſceleris hæc ſumma eſt, Deos
Quod non priores veneror. An quicquam eſt ſuper?
S. Vna hæc abundè eſt noxa, ſi facinus probas.
V. Quid operta penitùs dubiaque in crimen trahis?
,, Cæcum eſt quod intus geritur, & fraudis capax
,, Quod quiſque ſolus novit. Hoc quod tu imputas
Negare crimen finge; quem damnas reum
Age quî revincis? Quin mihi hoc potiùs vide,
Poſtquam illa patriis ſacra deſertis ſequor,
Novumque veneror, quiſquis hic tandẽ eſt, Deum,
Qui noſter in te eſt animus: obſequiis fides
Quàm ſolita conſtet: Quod mihi ex illo nefas?
Quod facinus actũ eſt? Fraude quâ teneor nocens?
Palam hoc, nec ullis abditum tenebris patet
Cœloque geritur recte. S. Cur fari times?
Ambigua turpe verba neſcio quid volunt.
Eloquere apertè; ſacra Achæmenidum colas?
Chriſtóne nomen dederis? hoc ſolum moror.
VS. Dediſſe fateor: nec dati etiamnum piget.
SA. Quid hic polum flagrante percurrens rota,
Et nocte pulsâ lucidum inſtaurans diem?
Deum eſſe Mithram credis? aut cujus calent
Vi cuncta, egentque, ſemper ardentem foci
Penetralis ignem. VS. Vetus hæc finxit ſator,
Hominumque ad uſus peperit. At fruſtra Deos,
Fruſtra potentes credula & ficti tenax
Sacravit ætas. Scilicet vitâ Deus
Animaque, quam nos trahimus ex illo, caret!

Et mole mutâ conſtat, & ſenſus egens
Inane corpus lucis obſequio rotat.
Aut ſorte nunc extinctus alternâ redit,
Nunc moritur ; Illîc major, hîc ſeſe minor,
Vtcumque libitum eſt, pabulo vivax novo,
Famulaſque præſtans dapibus humanis vices.
Hos templo & aris digner ? Egregium Dei
Opus eſt utrumque & munus : at Divos nefas
Putare Princeps. SA. Pergis in ſuperos loqui ?
Sile obſecro ; oris impetum excordem rege.
„ Senile vitium eſt fræna præcipiti nimis
„ Laxare linguæ, pluſque conceſſis loqui.
Ætatis iſte eſt morbus : errori quoque
Pars imputanda eſt. Novi ego artificis dolos
Fraudemque ſectæ. Subdolum & fallax genus
Spe vanâ hiantem luſit. A te utinam mali
Hæc orſa labes, non tuam ad peſtem rapax
Per tot meorum exitia feciſſet gradum !
At tu per illud proximum gnatis caput
Dextramque alumnus te tuam, & dominus precor.
Si fas precari eſt, ſive cuſtodem voco,
Seu te parentem : turpe conſilium exue,
Iam melior, & te priſtinum ad morem refer.
Barbarica profuge ſacra : dum ſceleris parum
Adhuc peractum eſt. Siſte furialem impetum.
V. Quæ ſceleris in me culpa? S. Quòd ſpernis Deos.
V. Quos eſſe falsò credis. S. At Perſis fide
Olim receptos publicâ. VST. Excluſos procul
„ Pene orbe reliquo. S. More quæ patrio obtinet,
„ Lex eſt ſacrorum cuique. V. Si vitio vacat.
„ S. Toleranda vel ſic illa, quæ ſe aliis probant.
„ V. Dū quod ſequare meliùs in promptu eſt nihil.
„ S. Legúmne quidquam meliùs obſequio putas ?
V. Hæc vana ſpecie legis & titulo caret.
S. Erras. Tot unus ſæcla ſollicitas ſenex ?
„ V. Quàm vera quivis memoret, haud qui ſit, vide.
„ S. Raró is ſapit, plus ſapere qui ſe aliis ſtudet.
„ V. Pro ſe æſtimanda cauſa, non numero venit.
S. Hæc teipſa Superos cauſa tentantem gravat.
V. Errore fictos nil ego & falſos moror.
S. Tuus ille credo potior, & dignus Polo eſt.
V. Hic ſolus orbem præpotens nutu regit.
S. Mortalis olim, quem Deum adſcribis, fuit.
V. Hominem Deumque pariter haud fictum colo.
S. At ille letho preſſus infami perît.
V. Idemque poſthac vivus ad Superos redît.
S. Fixas latronum medius extendit manus.
V. Iterum ſub auras morte calcatâ ſubît.

S, Du-

Digitized by Google

S. Dubium hoc; at illud luce perfectum palàm eſt.
V. Humana tantis emitur impenſis ſalus.
S. Mihi is ſalutem, quam ſibi haud potuit, daret.
V. Potuit : ſed iſto libuit eventu mori.
S. Quem noſtra mergunt fata, nil hominē ſupra eſt.
V. Qui paſſus eadem vicit, eſſe hominem nega.
S. Vulgata temerè rumor hæc mendax jacit.
V. Expreſſa quantis illa prodigiis fides !
,, S. Poſt fata nulli patuit ad Superos iter.
,, V. Morte ut pateret præſtitit Chriſtus ſuâ.
S. Cur ergo nulli tot nece ex hauſtis patet ?
V. Et hos ſub auras læta reſtituet dies.
S. Spes eſt futuri longa, præſentem fove.
,, V. Brevis hęc fugaxque. S. Certa præ dubiis fero.
V. Fac certa maneant : quantulo his ſpatio fruor ?
S. Serò aliquid ævi parte jam extremâ novas ?
,, V. Nulla eſt honeſtis ſera conſiliis dies,
S. Quid acta retrò vita damnatur tibi ?
,, V. Revocare ſatius, quam dare in præceps pedē.
S. Conſulere tibimet jubeo. V. Conſultum eſt ſatis.
S. Sequere imperantis juſſa. V. Quà fas eſt, ſequor.
,, S. Regum extimeſce ſceptra. V. Quod ſalvâ licet
,, Pietate, timeo. S. Fors tuo edoctus malo
Quod facere ſponte renuis, invitus dabis.
V. Quid ex coacto præmii ac victo feres ?
S. Dominum eſſe me, Regemque, te famulum ſcies.
V. Novi equidem. S. At herclè noſſe te factis negas.
V. Men' te negare Principem? S. Vt ne ſim, facis,
Dum juſſa refugis. V. Facere quod poſſim, impera.
S. Tuo imperare me tibi arbitrio doces ?
V. Vtrimque dubius angor. Hinc mihi Rex jubet,
Rex inde Regum prohibet.: è votis utri
Parere fas ſit, ſtatue. S. Quid tempus tero ?
Sat jam execrandâ voce contactas diu
Præbuimus aures. Plura ſcitari piget.
Agedum efferatos pectoris motus premens
Ad ſana mentem flecte, teque ipſum juva.
V. Vnum hoc remitte, cetera ad nutum geram.
S. Adhibenda vis eſt. V. Nulla vis Chriſtū auferet.
S. Etiámne pergis ? Aliquis hîc hodie mihi
,, Damno ſuopte ſapiet. V. Haud ullum Deo
,, Damnum timeri gravius erepto poteſt.
S. Removenda comites verba : damnatum neci
Rapite hinc. Sed antè lenta cruciatu effero
Pœna irrogetur : verbere, ardenti face,
Candente lamnâ, forcipe, atque unco miſer
Lanietur ungue : ſede luxatos ſuâ
Vivax metalli fervor, & liquidæ picis

Digitized by Google

Populetur artus. Tremuit : hac parte eſt ſenex
Vrgendus iterum. Rapite. Fors illum dolor
Terrorque mortis ſubiget : augebo metum.
,, Sæpe & feroces ſpiritus letho cadunt
,, Præſente. Nec ſi flectere hunc animum eſt potis
Vis aliqua, carum tot retrò meritis caput
Periiſſe malim. Vadam & hoc præſens geram.

Chriſtianorum conſtantiam deprædicat.

CHORVS CHRISTIANORVM.

NVlla vis terris, Ereboque tanta :
Nulla flammati rabies furoris ;
Freta quæ Divis, & amante Chriſto
Pectora frangat.
Creſcit hic damnis amor, & fugaces
Deſpicit vitæ pereuntis annos.
Non minas, non vel jugulo imminentes
Palluit enſes.
Vaſta ceu rupes medium profundo
Æquore attollens caput, icta crebris
Fluctibus latè reſonantis arcet
Verbera ponti.
Haud ſecus duri patiens doloris
Cœlitum devota cohors Parenti
Quodlibet lethi genus irretortis
Spectat ocellis.
Non enim longi violentus horror
Carceris ; non ære graves catenæ
Mille pœnarum laniata formis
Corpora terrent.
Viſcera obductos penetrans per artus
Flammeus torret vapor : hinc flagello
Acriùs ſcindit moribunda dirus
Membra ſatelles.
Ille ſublimi lacer in cataſtâ.
Hic pice adſperſus, liquidóve plumbo.
Cujus ærato latus omne ſulcat
Vngula morſu :
Durat, inſtantiſque manus laceſſit
Sponte lictoris ; metuenſque flecti,
Quâ licet languente Deum fatetur
Murmure Chriſtum.
Impius quantâ metui Tyrannus
Mole pugnavit ! ſceleriſque quantis
Artibus cœli bene pertinacem
Torſit alumnum !

Ille detractâ cute, ceu triumpho
Clarus, Eoo ſaturos amictus
Murice oſtentat, tumidoſque regum
Æquat honores.
Quid loquar pœnæ genus inſolentis?
Vncta cùm ſevo, pice vel ſequaci
Turba nocturnos facis atque tædæ
Arſit in uſus?
Subditis alter reſupina flammis
Membra torretur; ſuper & flagranti
Crate diſtentus graviore Chriſti
Æſtuat igne.
Quid fame enectos querar, aut ferino
More membratim periiſſe ſectos?
Quotque erant artus, toties recenti
Cæde peremptos?
Mira vis Chriſti: ferus ut leonem
Solvit impaſtum caveâ magiſter,
Hunc face, & ferro, ſtimuliſque totâ
Vrget arenâ,
Ille nec ferro, face nec ſubactus
Sævit in nudos, placidoque lambit
Ore; tum blandæ pavitante mulcet
Verbere caudæ.
Talis antiquæ Babylonis hoſpes
Horridas inter jacuiſſe pernox
Beſtias fertur Daniel, paterno
Numine tectus.
Pro nefas! quanto genus eſt ferarum
Mitius noſtro! Quibus acta plagis
Tigris, horrenduſque leo, feroxque
Abſtinet urſus,
Damnat hos letho cruciatque Iudex;
Nec ſatis pœna eſt jugulare vivos,
Sævit infelix, laniatque ferro
Luce carentes.
Mergit hos ponto tumulo carentes,
Aut feris linquens, avibuſque prædam,
Tollere exangues vetat, & paternâ
Condere glebâ.
Quàm benè hic cœlo tegitur; nec ullis
Abditus clauſtris latet; aſtra cujus
Obtinet, cœloque animus potitur
Liber aperto!
O nimis fauſtos! quibus empta parvo
Conſtat æternis agitanda ſæclis
Vita; queis Chriſtum parit invidendæ
Gloria pœnæ.

O meum ſi quod meritis piorum
Tempus adſcribat ! mea ſi quis aure
Proſperâ captans Superum benignè
Vota ſecundet !
Non ego Eois opulenta terris
Sceptra : non gazas Arabum nitentes
Præferam : nulli magis expetitus
Serviat orbis.

ACTVS SECVNDVS.

Simeon Martyrii deſiderio accenditur: ex Angelo Vſtazanis lapſum intelligit, jubeturq́ eum ad martyrium animare.

SIMEON. ANGELVS.

S. Immenſa rerum ſpatia qui nutu regis
Dominator orbis, noſtra quem patrio è ſinu
Felicis ævi compotem in terras, ſalus
Pietaſque traxit : generi ut adſcriptus, nefas
Commune lueres : debitam & noſtro luem
Tuo expiares capite : qui clauſum poli
Penetrale reſeras : qui triumphatæ Stygis
Victor ſub axes ſpolia ſidereos trahis.
Quem mente, quem nos ore concipimus Deum :
Cui ſacra ſoli ferimus. En voti reus
Tibi ſancte grates genitor & vindex ago.
Habeo expetitum tempus : ad pœnas vocor
Pro te cupitas. O meis ſerò datum,
Serò impetratum precibus & lacrymis diem,
Quo te Deum confeſſus, has pro te vices,
Hęc vincla merui! Quamquã ego hîc meritũ loquor?
Non eſt, nec illud merita contingunt decus,
Gratiſque conſtat omne. Quod ſupereſt, ades.
Fer opem ; labantem, ni tua auxilio manus
Succedat, ultrò robore immiſſo alleva.
Cœptum eſt : eatur : noſter in curſu eſt labor.
Imbelle pectus concute, atque animos ſeni,
Sed non ſeniles ſubde. Deeſt votis adhuc
Mors jam propinqua. Da mihi extremum hoc, mori
Liceat : vel ante mortis exitium, manet
Quodcumque durum, atroxque : per pœnas eat
Intrepidus omnes animus. Huic facilis ſpei,
Placidoque Chriſte numine aſpirans fave.
Non ille pelagus puppe longinquum ſecans,
Quem tenera proles, caſta quem conjux diu
Expectat,

Digitized by Google

Expectat, atro turbine implicitus, lares
Repetere tantum geſtit, ac reditum vovet.
Non tam avidus imbres campus æſtivos bibit,
Iam ſole longo putris, Icarius face
Hiulca torrens arva cùm findit Canis.
Nec ille canibus actus, & feſſus ſiti
Tam cupidus amnes cervus egelidos petit,
Quantum illa pro te perpeti, hunc lethi exitum
Felicis opto. Tu mihi hoc ſolus dare
Potis es, dabiſque Chriſte! Sic præ te Deos
Nihili orbe toto faciat hinc Phœbo tepens
Oriente populus: inde præcipitem mari
Condens Ibero: quique tranſverſi poli
Sub utroque degunt axe; nec ſola inclytum
Auſonia numen regna: ſed Perſæ tremant;
Qui nunc regentum ſcelere prô! miſeri jacent
Altâ ſepulti nocte. Sic Superum chori
Te ſancta celebrent agmina, ô mentis jubar!
Cœleſte mundi ſidus: hoc tantùm ratum
Quod petimus eſſe, patere. A. Ne dubita, ſenex,
Ratum eſt, quod optas. En ego interpres poli,
Voti ſequeſter fidus, auditas preces
Illinc reporto. Voce quam aſſiduâ rogas,
Conceſſa mors eſt: cuncta cui debes, brevi
Vitam imputabis: Nulla promiſſi mora eſt.
Clarum priuſquam craſtinus Solem premat,
Claudatque Olympum veſper, inſignem datâ
Cervice titulum mortis optatæ feres,
Victo triumphans Rege. Nec juſſu occides
Solus Tyranni; plurima effuſo comes
Ibit cruore turba; quam parili nece
Super Aſtra tecum pompa communis vehet.
S. Quàm grata nobis, quiſquis es Superûm, refers,
Tam merita ſupra noſtra. Tibi mundi Sator,
Trinum atque ſimplex numen & grates habet,
Et aure fata famulus hæc pronâ capit.
Accingor. A. Hæc te certa, ceu dixi, manent.
Sed antè dextram perdito, & miſero dabis.
S. Quis iſte? A. Regis altor infelix jacet
Tibi carus ille atque hoſpes. S. An letho perît,
Aut jam peribit? A. Corpore incolumis, gravi
Mentis ruinâ cecidit. S. Afflictum premit
Quis deinde caſus, quóve perculſum modo?
A. Chriſtum abdicavit. S. Num leves cultu Deos
Dignatus? A. Ignem & Solis agnovit jubar.
S. Hoc ſponte num coactus in facinus ruit?
A. Coactus ægrè ceſſit: at ceſſit tamen.
S. Sed quo peractum eſt ordine? A. Ex illo ſcies,

Huc

Huc fama celerem quem tui adventus agit.
S. Vbinam eſt ? A. Propinquat. Tu , virûm ut par eſt, malis
Obſiſte firmo pectore, & Regum minas
,, Contemne. Levis eſt ira, quæ vitæ amputat
,, Pereuntis aliàs ſpatia : quæ corpus rapit
,, Animumque , magis hanc metue. S. Jampridem metus
Hic me remordet. A. Nec minùs lapſum erige.
Nam tempus ultrò dabitur. His cœptis viam
Molitus, huc te cœlitum advexit parens,
Per te ut ruina ſtratus ingenti ſenex
Iterum reſurgat : hunc tui extremum rogat
Fructum laboris. S. Hoc quidem faxo, & lubens :
Non ſi ille flammas ferre in adverſas caput ;
Aut ſtricta jubeat tela : ſi furvæ Stygis
Sub opaca ruere Tartaro immerſum velit,
Parere dubitem. A. Dignus hic cœlo vigor.

Simeon à Dathy plangi ſe vetat, jubet potiùs Vſthazanem lugeat, qui Mithræ tus adoleverit.

DATHYS. SIMEON.

D. O Magne Chriſti interpres, & lecti gregis
Longæve cuſtos ! quid tuo adventu gerat
Præ ſe animus hæret ; læter, an doleam magis.
Tua lætus ora cerno, & alloquio fruor.
At mole preſſum ſortis indignæ grave eſt
Aſpicere. Téne hæc vincula ? has collo graves
Ferro catenas trahere ? Me miſerum ! quibus
Subeſſe fatis, quem virum & qualem intuor !
S. Bona verba quæſo. Parce quem Chriſti vides
Causâ hæc ferentem perditum ac miſerum queri.
,, Non eſt, nec eſſe rere. Qui ſcelere æſtuans
,, Errore cæco premitur, & lucem fugit,
,, Miſer eſt ; ſecundis quamlibet rebus fluat :
D. O te beatũ hac mente! S. Quid tu? tu aliter ſapis?
D. Ita luce caſſum ſedis æthereæ quies,
Et vita nullos maneat occaſus pavens :
Vt iſta tecum ſentio. Et miſeret tamen
Et ora lacrymæ ſponte, nec juſſæ, rigant.
S. Quo me beatum credis, hoc plangis ſtatu ?
D. Non cauſa triſtem cladis, at clades facit.
,, S. Rudis ille veri eſt decoris, & ſolidâ minor
,, Virtute, cui non dulce pro Chriſto pati.
D. Nimiùm ſupremo diſtat, ac vilis notæ eſt.

Tete

Tete hic amici ſquallor & luctus necat?
Mea ſunt, mea illa vota. Quem pro me capis,
Pro me laborem mitte. Si rectè æſtimas,
Non eſt amoris ille, at invidiæ dolor.
D. Tibi inviderem, luce quem charum magis,
Oculiſque ego ipſis habeo? S. Quin, ſi qua eſt fides,
Gratare, quòd ſe fata tam læta explicant.
Sibi regna opeſque mundus, & fructum brevis
Vitæ caducus habeat. Hæc mihi ſors placet,
Quâ me eſſe miſerum fingis, & gemitu obſtrepis.
Quas tu ſenili corpore implicitas, gravi
Cernis catenas pondere, illuvie obſitum
Iuvat juvat traxiſſe. Non ſi me ducem
Sub jura miſſus orbis, & dominum tremat;
Hoc me beatum decore, ſed miſerum rear.
Quamquam iſta ſolum perpeti, & vinclis tenus
Tua Chriſte, famulum fata ſectari piget.
Cur non per ignes ſanguis admotos fluit?
Nec aduncus artus unguis extentos fodit?
Imbellis, heu me! miles intactum, integrum
Hoc vile terræ pondus, hoc ſenium gero.
Sed ſpes propinquæ cædis, ac pœnæ caput:
Vinctus Tyranno ſiſtor. D. Hoc utinam foret
Ignavus animo transfuga, & Chriſti recens
Deſertor. S. Ecquis ſceleris eſt tanti reus?
D. Ætate feſſum Regis altorem tenes?
S. Pietate clarum noveram, & meritis virum.
D. Nunc ille præceps culmine ex illo ruit. (ſcias.
S. Quid hocce memoras? D. Luce quod geſtum hac
S. Chriſtum abnegavit penitùs, ánne aliud refers?
D. Et juſſa Mithræ tura cornigero dedit.
S. Huc tu querelas confer; hîc lacrymis locus:
Sors iſta gemitus poſcit; hæc miſerum facit
Non qua dolebas antè. Sed quinam obſecro
Hunc caſus, aut quæ cauſſa præcipitem dedit.
D. Primum hæc Tyrannis ſueta, blanditiæ, preces,
Promiſſa; terror inde, pœnarum minæ,
Et quidquid ardor Regis irati poteſt.
Quæ voce ſola quamdiu, & factum citra
Admota vis eſt; pectoris contra vigor
Haud pœnitendus hæſit. Vbi ventum ad manus?
Vbi ſecta crebro verbere, & lentâ face
Aduſta ſenſim membra: tum nudum latus
Ahenus unguis carpſit: aut ſulcos arans
Dentatus hæſit pectine infeſto chalybs.
Labare primum ſenior, & pœnæ moram
Paulùm precari: ſubſtitit ſævi manus
Carnificis. Exin precibus, hortatu Sapor

Inſtare;

Inſtare; & omnes inde pœnarum ſimul
Objicere facies, armaque: hinc aram, & focos
Micaſque Eoi turis, ac turpis Mithræ
Simulacra; Et, horum fas tibi alterutrum modò
Optare, Princeps clamat: aut digitis tribus
Excutere in ignes tura (quippe aram ſuper
Manum coactus tendere, & ſummis gerens
Inſerta digitis ſtabat) aut quæ tu vides
Rurſum experiri. Quantulum eſt Divis ſemel
Dare tura? Contra hæc pavidus & mortis ſenex
Terrore fractus ceſſit. Vt Tauri jugis
Medióve Orontis vertice annoſam ruunt
Adverſa quercum flamina. Hæc primum ſitu
Concuſſa dubias hinc & hinc criſpat comas;
Iam jam ruenti ſimilis; ac tandem ſolo
Avulſa præceps turbine ingenti cadit.
Sic antè nutu noſter incerto minax
,, Demum ruinam traxit. S. Et quiſquam ſibi
,, Confiſus animos pectore ingentes alit?
,, Supraque reliquos vertice erecto tumet?
,, En ſumma Libani culmina aërio tenens
,, Enodis apice cedrus; ac totum comæ
,, Virtute ſubter una deſpectans nemus,
,, Afflicta terræ eſt. Inclytum latè jubar
,, Claro propinquas lumine obſcurans faces
,, Cœlo refixum cecidit. Hæc noſtris fides
,, Habenda rebus: quantulum humanæ queant
,, Vires, ab uno diſce. Magnum aliquid vetat
,, Iactare de ſe lubricus vitæ tenor.
,, Pronuſque ab alto lapſus. Haud levior freti
,, Impulſa ventis unda diverſis furit.
,, Nec, quæ inchoantis frigus Autumni rapit
,, Leviora ſylvis folia populatis volant
,, Hominũ caduca ſtirpe. D. Quæ memoras, Pater!
Meditatus equidem, veraque expertus, ſcio.
Sed nil perinde, fateor, ut præſens viri
,, Eventus hoc me docuit. S. Alterius ſape
,, Doctus periclo: fragilis ac ſortis memor
,, Moderata ſequere: tutus hâc curſum reges.
,, Nec te Tonanti ſubditum; & nocte ac die
,, Arcana cœli fata metuentem, opprimet
,, Ille ille noſtras hoſtis in clades vigil;
,, Cui præda factus alter. Ex illo cape,
,, Quid te pavere deceat. Hic fructus mali eſt.
,, Quippe hoc ſuperbos ruere conſilio ſinit
,, Terræ atque Olympi Rector; ut ſtantes gradum
,, Firmare diſcant: pœna ut in paucos, metus
Fructuſque in omnes paria metuentes cadat.

CHO-

CHORVS

Chriſtianorum Vſthazanem lugentium.

ANAPÆSTICI.

NOs Chriſticolûm turba Tonanti
Tecum paribus devota ſacris
Caſus lacrymis gemituque tuos
Mœſti inſequimur, perfide magni
Principis altor! Tibi noſtra, ſenex!
Tantis meritò perculſa malis
Crebræ feriunt pectora palmæ.
Lugeat orbis quacumque plagâ
Gens fallaces exoſa Deos
Caſtæ ſobolem Matris adorat.
Sed te reliquis juſtius una
Perſis miſerum plangat alumnum.
Nunc flebilibus lamenta modis
Prodant tacitos conſcia luctus.
Nunc perpetuis, haud ſurda tamen,
Pulſata ſonent aſtra querelis.
Quales, lacerum dum plangit Ityn,
Ales gemitus Daulia fundit.
Aut aëriâ triſtis ab ulmo
Ciet amiſsâ compare turtur.
Cùm jam ſolitæ ſecura dapis,
Sicco immoritur ſtridula ramo.
Vndique mœſtos fundite fletus:
Larguſque genas perfluat imber
Non Ieſſæi miſeranda magis
Olim fuerit nænia Regis.
Seu cum Allophylo Marte jacentem
Regem ſocerum, ſocerique genus,
Dulcem cecinit triſtis amicum.
Seu cum meritâ cæde perempti
Horrenda gemit funera nati.
Qui fatidico ſcelerata movens
Bella parenti, patulæ quercus
Denſâ implicitus crate pependit.
Tergaque certæ ferienda miſer
Præbuit haſtæ.
Non vos querulis vocibus alter
Superet vates: cui parva dedit
Ortus Anathoth; flebile carmen
Victrix Babylon, verſaque in ignes.
Vrbs barbaricis inclyta bellis.

Digitized by Google

Inſtare ; & omnes inde pœnarum ſimul
Objicere facies, armaque : hinc aram, & focos
Micaſque Eoi turis, ac turpis Mithræ
Simulacra ; Et, horum fas tibi alterutrum modò
Optare, Princeps clamat : aut digitis tribus
Excutere in ignes tura (quippe aram ſuper
Manum coactus tendere, & ſummis gerens
Inſerta digitis ſtabat) aut quæ tu vides
Rurſum experiri. Quantulum eſt Divis ſemel
Dare tura ? Contra hæc pavidus & mortis ſenex
Terrore fractus ceſſit. Vt Tauri jugis
Mediòve Orontis vertice annoſam ruunt
Adverſa quercum flamina. Hæc primum ſitu
Concuſſa dubias hinc & hinc criſpat comas ;
Iam jam ruenti ſimilis ; ac tandem ſolo
Avulſa præceps turbine ingenti cadit.
Sic antè nutu noſter incerto minax
,, Demum ruinam traxit. S. Et quiſquam ſibi
,, Confiſus animos pectore ingentes alit ?
,, Supraque reliquos vertice erecto tumet ?
,, En ſumma Libani culmina aërio tenens
,, Enodis apice cedrus ; ac totum comæ
,, Virtute ſubter una deſpectans nemus,
,, Afflicta terræ eſt. Inclytum latè jubar
,, Claro propinquas lumine obſcurans faces
,, Cœlo refixum cecidit. Hæc noſtris fides
,, Habenda rebus : quantulum humanæ queant
,, Vires, ab uno diſce. Magnum aliquid vetat
,, Iactare de ſe lubricus vitæ tenor.
,, Pronuſque ab alto lapſus. Haud levior freti
,, Impulſa ventis unda diverſis furit.
,, Nec, quæ inchoantis frigus Autumni rapit
,, Leviora ſylvis folia populatis volant
,, Hominũ caduca ſtirpe. D. Quæ memoras, Pater !
Meditatus equidem, veraque expertus, ſcio.
Sed nil perinde, fateor, ut præſens viri
,, Eventus hoc me docuit. S. Alterius ſape
,, Doctus periclo : fragilis ac ſortis memor
,, Moderata ſequere : tutus hâc curſum reges,
,, Nec te Tonanti ſubditum ; & nocte ac die
,, Arcana cœli fata metuentem, opprimet
,, Ille ille noſtras hoſtis in clades vigil ;
,, Cui præda factus alter. Ex illo cape,
,, Quid te pavere deceat. Hic fructus mali eſt.
,, Quippe hoc ſuperbos ruere conſilio ſinit
,, Terræ atque Olympi Rector ; ut ſtantes gradum
,, Firmare diſcant : pœna ut in paucos, metus
Fructuſque in omnes paria metuentes cadat.

CHO-

CHORVS

Chriſtianorum Vſthazanem lugentium.

ANAPÆSTICI.

NOs Chriſticolûm turba Tonanti
Tecum paribus devota ſacris
Caſus lacrymis gemituque tuos
Mœſti inſequimur, perfide magni
Principis altor ! Tibi noſtra, ſenex !
Tantis meritò perculſa malis
Crebræ feriunt pectora palmæ.
Lugeat orbis quacumque plagâ
Gens fallaces exoſa Deos
Caſtæ ſobolem Matris adorat.
Sed te reliquis juſtius una
Perſis miſerum plangat alumnum.
Nunc flebilibus lamenta modis
Prodant tacitos conſcia luctus.
Nunc perpetuis, haud ſurda tamen,
Pulſata ſonent aſtra querelis.
Quales, lacerum dum plangit Ityn,
Ales gemitus Daulia fundit.
Aut aëriâ triſtis ab ulmo
Ciet amiſsâ compare turtur.
Cùm jam ſolitæ ſecura dapis,
Sicco immoritur ſtridula ramo.
Vndique mœſtos fundite fletus :
Larguſque genas perfluat imber
Non Ieſſæi miſeranda magis
Olim fuerit nænia Regis.
Seu cum Allophylo Marte jacentem
Regem ſocerum, ſocerique genus,
Dulcem cecinit triſtis amicum.
Seu cum meritâ cæde perempti
Horrenda gemit funera nati.
Qui fatidico ſcelerata movens
Bella parenti, patulæ quercus
Denſâ implicitus crate pependit.
Tergaque certæ ferienda miſer
Præbuit haſtæ.
Non vos querulis vocibus alter
Superet vates : cui parva dedit
Ortus Anathoth ; flebile carmen
Victrix Babylon, verſaque in ignes.
Vrbs barbaricis inclyta bellis :

Et pacifico fundata Duci
Delubra pari ſparſa ruinâ.
Non ſtrata ſolo mœnia, & arces
Face ſuccenſas; lethóve datum
Cari querimur corpus amici.
Nos nos animi graviora movent
Damna ruentis. Nos ſacrilegis
Injecta focis tura, merique
Fuſos latices Solis ad aram.
Nos Tartareis caput obſtrictum
Ritibus: & te magno ſoboles
Æquæva Patri Chriſte! negatum
Timidi querimur voce ſodalis.
O fallacis nimiùm vitæ
Cupidos homines! Cui tarda cutem
Contrahit ætas: gravidæque caput
Splendens niveo flore ſenectæ
Vocat inſtantis tempora lethi.
Tum procurvâ cervice rigens
Pronis tumulum luſtrat ocellis:
Spes ille tamen longi in ſpatium
Porrigit ævi: votaque demens
Vltra Pylios prorogat annos.
Ac dum dubiæ lucis avarus
Incerta timet perdere lucra;
Sibi certa miſer damna rependit.
Quis te tumidis fluctibus hauſtum?
Quis te laceræ parva trahentem
Ratis infidæ tabulata, ſenex,
Superûm ex alto ſpectet Olympo?
Facileſque tibi Numinis æqui
Applicet aures?
Huc tu lacrymas, huc verte preces:
Queîs nulla dies, nox nulla vacet.
Eadem juſti mota doloris
Tibi quæ fragilis convenit ævi.

Digitized by Google

ACTVS TERTIVS.

Sapores Simeonem ad cultum Mithræ & Ignis fruſtrà pertrahere nititur.

SAPORES. CHORVS. SIMEON.

SA. DEripite collo vincla : laxatis ſenex
Compedibus ægros cominùs greſſus ferat,
Licet huic ſceleſtũ rumor affingat nefas.
Ego ſparſa canis tempora, & longo caput
Ævo gravatum veneror. Ac forſan ſibi
Iam ſanus ultrò tuta conſilia expetet.
Quæ capere porro jubeo, vel, ſi fas, precor
Te, quem ſenili decore conſpicuum ferunt
Pollere mentis dote : quem populos ſuprà
Conſpicua virtus nobilem, ac toto inclytum
Oriente celebrat. Decora, quod meritò doleo,
Tot una labes carpit ; in Superos ferox
Quòd vana ſequeris ſomnia ; & turpem Deum,
Vetitoſque nimiùm credulus ritus foves.
Quantum iſta per ſe ſceleris impietas trahat,
Contage quantum noceat in vulgus, piget,
Quod me tacente cernis, incaſſum exequi.
Sed certa tamen eſt venia, ſi culpæ modum
Malè pertinacis ſtatuis, atque iſtam paras
Exuere mentem. Criminis tanti poteſt
Quæ levior eſſe pœna ? Quin, ſi nos amas,
Geminos latrones inter obſcœnæ crucis
Fixum pudendo ſtipite abjura Deum.
Veniamque Superos poſce. Mutati feres
Securus animi præmia : allectum gregi
Procerum, & cohorti regiæ in paucis fides
Te magna rerum ſpectat. Hoc uno minor
Sceptro, capeſſes cetera. CH. Haud ſanum putes ;
Ab Rege quiſquis talia invitus capit.
,, SA. Tanti eſt ſagaci pectore atque uſu comes
,, Populos regenti ; cujus arbitrio & fide
,, Commiſſa tractet ſceptra. Nam Regni decus
,, Non arma ; non vis militum ; aut cæcis opes
,, Latebris repoſtæ : non in hoſtilem imperium
,, Diſpoſita latè caſtra : ſed Regum in manu
,, Conſilia firmant. Sic ubi imbriferâ jubar
Gravidum procellâ crine terrifico exerit
Minax Orion, ſive Parrhaſiæ jubar
Pluviale capreæ ; non laceſſitas Noto

Numeroſa puppes remigum explicuit manus.
Sed qui profundi ſæpè permenſus freti
Longinqua obivit ſpatia : nec cœli rudis
Stat puppe celsâ rector, & curſum regit.
Hæc ſupplicem me proinde ; te noſtro facit
Regno expetitum cauſa : deſcendi ad preces,
Nec Rege dignas. Fruere, dum per me licet,
Pietate noſtrâ ; teque ad obſequium refer.
Placare Superis : manibus admotus piis
Incendat aras turis Eoi vapor.
CH. Pia eſt petentis cauſa, quid tanto ſequi
Auctore dubitas ? vanus abſcedat tumor.
,, SI. Heu ! quàm potenti blandus illecebrâ favor ;
,, Et aura Regum facilis, & bonitas trahit
Armata precibus. Cetera abſiſtant licet ;
,, Qui quod precatur cogere invitum poteſt,
,, Cogit precando. Mortis accedat timor,
,, Et pœna præſens : ſtare quis preſſo gradu ;
,, Atque irretortos figere obtutus queat ?
,, Sed digna cœlo pectora, ut ſtabili domus
,, Fundata ſaxo, turbine haud ullo labant.
Abjicere Chriſtum, veſtraque amplecti jubes ;
Nec parva ſcelere pretia pro tanto paras ;
Prope jura regni ſocia. Nil causâ loqui
Noſtrâ neceſſe eſt, quid tua interſit vide.
,, Ars prima Regum eſt, noſſe cui tota Imperî
,, Arcana credant, quoſque in obſequium legant,
,, Probare fidos. Paululum hoc tecum exige.
Mihi quiſquis ille eſt, odia quem contra foves,
Deus eſt, eritque ſemper Hunc meritò, an ſecùs
Errore ſtatuam ; nil meam ad cauſſam facit.
Quippe eſſe talem ſtatuo. Nunc pro te Deum
Abnuere, & aris pellere inſontem jubes.
,, Finge obſecutum. Quem fore in dominum putas,
,, Qui cogi ad iſta potuit ? Hic tanti capax
,, Sceleris, datamque Numini extortus fidem,
,, Impendet homini ? Proſpero Imperium ſtatu
Tuum eſt, diuque ſervet hoc Chriſti favor.
Sed verſa crede fata : quique acie modò
Infeſtus in nos bella Romuleâ parat.
Paulùm ſecundo Marte trans geminum legat
Porrecta flumen, quaque ſolicitas prece,
Quâ ſpe metuque ſubigis, in partes vocet.
Quid facere ſodes deceat ? An patriæ immemor
Auſonia vilis caſtra deſertor petam ?
An mille ſatius mortis in ſpecies rapi
Tua quam reſolvi jura ? Sic vel te reor
,, Auctore quivis faciat. Ergo iſtis modò

,, Præ-

,, Præludere animis patere, nec veteres metu
,, Mutare dominos, prodere aut pretio doce.
,, Eademque metue. Quippe perfidiæ ſeges
,, Magnum illa fœnus pariet. Ac ne te morer,
Operamque fruſtra dederis; hæc paucis memor
,, Cape dicta Princeps. Regium ut populo caput,
,, Sic rege Deus eſt major: huic præ te obſequor,
,, Cui te ſubeſſe ſceptra tractantem ſcias.
SA. Quod me rogante renuis, hoc forſan dari
Renuente cupias. Vela, dum venti favent,
Et tuta placidis unda miteſcit vadis,
,, Committe pelago. SI. Tuta quæ ſperes, brevi
,, Mutata fervent maria. Sic dubiâ vice
,, Fallax potentum eſt gratia. & mollis favor.
,, Vt cum coruſcâ Solis oppoſiti face
,, Cærulea nubes ardet, ille oculos tenens
,, Arquatus orbe fulgor incepto micat.
,, At mox caducâ luce vaneſcens perit.
,, Sed certa finge præmia; & fortis tenor
,, Faventis idem maneat. Vt primùm ſopor
,, Æternus ora clauſit, & furvo caput
,, Damnavit Orco, decoris hic veſtri excidit
,, Cùm luce pariter fructus. Hac vecors tamen
,, Mercede Simeon Tartaro obſtringat caput,
,, Turpemque diri ſceleris arceſſat notam?
Non, ſi quid iſto in corde vel minimum ſapit,
Hoc faciet umquam. SA. Quin age evictus malis
Servire diſce tempori, & ſpecie tenus
Præ te iſta ſaltem habere. SI. Quò flecti jubes?
SA. Quò juſſa cogunt regia. SI. Vt vano Deos
Errore fictos, ſilice & informi colam
Exciſa trunco monſtra? vis nulla exprimet
Tam turpe facinus. Nulla me Chriſto dies;
Mihi nulla Chriſtum rapiet. SA. Hunc oculis vides
Almæ parentem lucis, æterno celer
Qui cuncta raptu vegetat, & mundum regit?
Quodnam orbe toto majus aut melius potes
Optare numen? Lumina huc agedum leva.
Quid is pudendum ſupplici, atque infra Deum,
Æternus, expers labis, ac felix habet?
Saltem hunc adorans cœlitum ex omni lege
Numero, ſacriſque recipe. Qui vitam dedit
Cujuſque liquido ſpiritum ex hauſtu trahis,
Hunc refugis. & te numinis tanti piget?
Huic facile gratæ vocis officium negas?
,, Quæ laude merces, memoris atque animi fide
,, Bene in merentes levior? At tanto nefas
,, Etiam hanc negantis gravius. S. Hunc Solē jube

Aſpicere? SA. Vt ipſo numen aſpectu ſcias.
SI. At tu viciſſim cerne. SA. Quid porrò libet?
SI. Quodque hunc coruſcâ ſiderum intextum face
Sublime cœlum turbine aſſiduo rotat:
Et vaſta Nerei ſpatia; quæque infra polum
Librata tellus æquore in medio natat.
Hæc tu intuere cuncta. SA. Nil factu grave eſt.
Sed quæ tuendi cauſa; quóve iſtud rogas?
SI. Cœlo revulſum citiùs in præceps quati
Solem hunc videbis; vel face extinctâ diem
Subtrahere rebus. Antè ſe in terras poli
Operoſa moles ſolvet: indeque hujus locum
Subvecta tellus ſcandet; ad priſcum Chaos
Fractus redibit orbis; ego tales Deos
Quàm thure & aris digner, aut mortis metu
Vel ſpe ſubactus, Chriſte, præ te aliquid parùm
Seu fortis animus, lingua ſeu mendax ferat.
,, Proinde iſta ſodes mitte. Quod nullâ queas
,, Vi facere, ſtultũ eſt perſequi. S. Vt mendax fidem
,, Plerumque in omnes fama de paucis capit!
,, Nam quid ſenile ſapere plus aliis caput,
,, Sedemque canos conſilî ac mentis ferunt?
,, Quàm fatuus ille eſt ſæpè, quem longo ſenem
,, Vſu peritum, pluraque expertum putes?
SI. An & ille, fatuum ſæpè quem credas, ſapit?
SA. De te haud fatebor. SI. Sapere me hoc animo (negas?
Ego te, tuoſque quiſquis inſanus Deos
Aut poſſe credit aliquid, aut mutos colit.
SA. Quamquam feroci eſt corde, nec linguæ modũ
In nos procacis novit, ac rigidâ jugum
Cervice refugit: aliud actutum loqui
Vindex docebit nervus, & pernix rota,
Et fune torto membra diſtendens equus.
His ille forſan victus abſiſtet rigor.
,, Et igne ferrum coquitur, & crebrâ chalybs
,, Incude domitus cedit. SI. Acceleres licet,
,, Noſtra antevertent vota. SA. Non idem malo
,, Vrgente conſtat animus; & præſens dolor
Magnifica reprimet verba. Vos intrò virum
Compingite æris pondere, ac vinclis gravem.

Vſthazanes culpam ſuam agnoſcit & deplorat.

VSTHAZANES. SIMEON.

V. SAlvere gratum jubeo Cœlicolis caput,
Decuſque gentis Perſicæ. Huc placidos, pater,
Converte vultus. S. Propiùs accedas cave,

Dextramque

Digitized by Google

Dextramque ſocies. V. Nam quid occurſum negas?
S. Abi hinc, faceſſe. Parce ſacrilegâ pias
Obtundere aures voce : nil tecum eſt mihi
Commune poſthac. V. Petere ſi amplexum vetas,
Agnoſce ſaltem. Quod meum ob crimen furis ?
S. Pergin' moleſtus eſſe ? Quà viſum eſt iter
Proſequere porrò. V. Siccine excidimus tibi ?
S. I nunc : jubarque Solis, aut Mithræ focos,
Ignemque adora. Veniet hæc veniet dies,
Quâ te iſta tangant facta. V. Quid potui miſer ?
Coacta ſi quod lingua ſimulavit nefas,
Mens intùs horret. S. Pergis inviſos adhuc
Objicere vultus ? V. Per ego te æterno ſatum
Genitore numen. S. Vocis infeſtæ ſonum
Eſt impetus fugiſſe. Iam condi juvat.
Duc me hinc Satelles. Pollui etiamnum ſacri
Contage timeo capitis. V. Et meritò timet.
Hic ſceleris ille fructus. In medio pedem
Sermone retulit. Vt feram aſpectans procul ;
Aut, qui ſub alto gramine implicitus latet,
Pallens viator angue calcato fugit.
Quantum eſt quod ille exhorret, ac refugit malum ?
Cur refugit autem ? Cur nec aſpectum tulit ?
Hæc me libido lucis : hæc quavis pati
Pejora morte mortis impellit timor.
Quæ ſpes ſalutis reliqua ? quò vertam preces ?
Hic me ille pridem notus, atque hoſpes truci
Vultu ſuperbus abigit ; hic noxæ reum
Nullius in ſe, tactu, & alloquio fugat.
Quanto, hæc negantis culpa quem propiùs petit,
Tremendus orbis Rector in me odio furit
Graviore ? quem nunc juſtus accendit dolor.
Det ille veniam ſupplici, aut ullas tamen
Poſt tam ſceleſtum facinus admittat preces ?
Vix hæc licet ſperare : nec tantùm ſibi
Promittere audet animus. Et melius quidem
,, Neſcio quid intùs agitat. Hæc fruſtra in malis
,, Orata numquam, pronaque in miſeros Dei
,, Pietas recurſat : nulla quam moles mali
,, Pervincit. Et, ſi vera correpti Deo
,, Cecinere vates, crimini ingemuit nocens
,, Quâ luce cumque nulla parcendi mora,
Promiſſa venia eſt. Sceleris ah ! ſceleris piget,
Puderque nimiùm. Teſtis occulti arbiter,
Quem nil ſub imo pectore abſtruſum latet ;
Feciſſe quantum doleat. Ah ! potiùs forem
Damnatus atrâ nocte ; nec nitidum poli
Vtero parentis fuſus aſpicerem jubar,

Aut vitæ in ipſo limine extinctum ſemel
Præcox acerbo funere obrueret dies.
Sed tarda nimiùm vota. Tunc decuit mori,
Cùm templa peteres : tura cum ſacris dares.
At tu profundi ſpatia qui mundi reples ;
Has cerne lacrymas Genitor ! hos gemitus cape
Teſtes doloris. Solita ſi tecum eſt adhuc
Pietas : per illum corpore exhauſtum pio
Precor cruorem : perque crudeli latus
Mucrone foſſum ; perque dejectum ſolo,
Fixumque acutâ vepre ſidereum caput.
Sin penitùs actum eſt : capite ab impuro graves
Per te ipſe pœnas poſce. Seu cœlo magis,
Seu petere terris arma, ſeu pelago libet.
Tibi militabit orbis. In me omnes ſimul
Intende furias. Veniat excuſſum manu
Potente fulmen : Terra me vivum obruat.
Qualis rebelles juſſa Legifero duci
Nabathæa tellus hauſit, aut qualis polo
Flagrante ſubitò miſſus inceſtas latex
Sulphureus urbes merſit : Hæc decuit pati :
Hac execratum ſorte damnari caput.

CHORVS CHRISTIANORVM

Gratulantium Vſthazani, & hortantium ad conſtantiam.

CHORIAMBICI.

O Felix animi ! cui ſubjtus favor
Tam præſentis opem Numinis attulit.
Cui ſenſum horrifici criminis, & metum
Offenſi pariter Iudicis indidit.
Quo mortale genus fata ſub arbitro
Inconcuſſa manent : cùm populos tubæ
Tyrrhenus tumulis excierit ſonus.
Tunc rerum facies horrida ; cùm frequens
Pennis Aligerûm præpetibus cohors
Huc illuc volitans ſigna jacentibus
Rauco prodiderit murmure cornuum.
Mox effuſa hominum corpora, liberum
Tellus è latebris fundet in aëra.
Quodcumque in cineres fluxerat obrutum.
Quidquid morſu avidus vermis adederat.
Quodcumque æquoreis piſcibus, aut feris,
Aut crudis fuerat præda volantibus.
Quidquid flamma vorax carpſerat ; Alitis

Momento horribilis reſtituet fragor.
Et magni ſolio Principis offeret;
Quod flammâ, & rapidis fulguribus minax,
Curvabunt rutilo nubila fornice.
Huc cum ſceptriferis Regibus infimos
Permiſcens populos ſæva neceſſitas,
Ferratis miſerè nexibus implicans,
Flecti non docilem coget ad arbitrum.
E heu! tunc ſcelerum conſcia pectora
Quantus terror aget! Quò rapiet fugam?
Quas ſeſe in latebras? quos dabit in ſpecus
Infelix hominum progenies, Dei
Iracunda timens cernere lumina?
Pars injecta ſuo culmina montium
Optabit capiti. Pars patulis, humo
Laxatâ cupiet faucibus obrui:
Et quem juſſa petet, mox Erebo tegi.
Circùm flamma rapax; orbis & igneæ
Ardentis prohibent effugium faces.
Tum rupta horriſonis fulmina nubibus:
Armatæque vetant carnificum manus.
Donec læta bonis præmia dividens
Sontes fulmineâ voce perennibus
Vindex Omnipotens ſubdiderit rogis.
Hæc commiſſa tibi ſupplicia eluent
Mutati in meliùs pectoris indices
Fletus, & lacrymæ; nobilis impii
Altor Principis! & ſolicitæ preces.
Tum flammata fides, auſa potentium
Decertare odiis; atque adamantino
Regnantûm furias robore perpeti:
Occluſum timidis evehet ad polum.
Abſterſâ melior jam maculâ nites
Orci Tartareis faucibus erutus.
Securus veniæ, quâ licet, acriùs
Obſtantes remove firmiùs impetus.
Non te mollis inertia:
Lucis non amor improbus:
Non mortis ſuperet timor;
Pœnarumque leves minæ.
„ Duris empta laboribus
„ Fortes palma viros beat.
Quem victoria compotem
Frondis fecit Olympicæ?
Cui claros reduci ad lares,
Curru quadrijugo vehens
Muros diffidit urbium?
Si non curriculo citos,

Aut ſaltu explicuit pedes :
Aut crudis patiens pugil
Strinxit brachia cæſtibus ?
Si quem Chriſticolûm decus
Tanti nominis allicit :
Cui promiſſa fugacibus
Ærumnis requies placet.
Quem Chriſti auſpiciis juvat
Signa, & militiam ſequi :
Cur miles pavidus ſui
Exemplum ducis abnuat ?
Hic jurata ſuum in caput
Orci dira ſatellitum
Nullus caſtra perhorruit.
Hic lethi genus aſperum
Turpi ſtipite pendulus
Inſons pertulit, & Deus.
Nos vitæ, ſcelerum rei,
Mortaleſque ; quis hoc ferat ?
Vitæ parcimus : & brevis
Per diſpendia temporis
Æternis caput ignibus
Subtraxiſſe ; vel arces
Captaſſe æthereas piget.
Divis macte bonis ſenex !
Eradendus inutilis
Ævi, quod reliquum eſt, amor.
Poſt mentis ſpecimen probæ,
Poſt certamina fortibus
Inſtaurata animis, parem,
Si non vana monentibus
Aures commodus applices,
Inceptis dabis exitum.

ACTVS QVARTVS.

VSTHAZANES

Scelus ſuum plangit, atque ad mortem pro Chriſto ſubeundam ſe excitat.

,, QViſquámne vitæ credit ? heu quantas vices
,, Nec opina celeri tempora evolvunt rotâ !
,, Quâ nil perenne eſt! quodq; manſurũ putes,
,, Brevis hora ſpem votumque fruſtrata impulit !
,, At mens futuri cæca, nec rebus modum
,, Servare lætis, ſtare nec didicit malis.

,, Incerta

,, Incerta vecors, nec ſui aut ſortis memor.
,, Vt ſparſa levibus ſtipula vaneſcit Notis;
,, Vt gravida ventis bulla conceptis natat,
,, Summoque pelagi marmore undantis tumet;
,, Mox fracta in æquor ſidit: Haud aliâ fluunt
,, Humana ſorte. Quidquid invitus tuli,
Hoc quidquid egi mortis attonitus metu;
Nec ſi polo delapſus Aligerûm fore
Cecinisset aliquis, faceret huic homini fidem.
Nunc ille demum rigidus, indomitus, tumens,
Acerque, nec dum robore expenſo ferox
Turpi ruinâ ſternor. Vt cecidi miſer!
Vixque hoſte pavidus terga conſpecto dedi!
Pudet heu! pudet ceſſiſſe. Sed pudeat licet,
Ceſſi. Quis iſtâ labe maculatum eluet
Aut Tanais, aut ſeptena torrentes aquas
Per ora volvens Iſter? aut qui Perſicum
Euphrate Tigris auctus in Pontum ruit?
Non ſi rubente penitus immergar vado;
Totumque Nerei corpore excipiam fretum,
Purgare poſſim. Criminis tanti notam
Mors expiabit ſola: fundatur cruor;
Largoque terram flumine exhauſtus riget.
Ille æſtuantes ſceleris in pœnam mei
Reſtinguet ignes: ille & occluſâ Styge
Meritis negatam pandet ad ſuperos viam.
Pergam adeò, & ipſum aggrediar. Acturum foras
Erumpere animus geſtit. Haud parvo ſcio
Conſtabit iſtud. Qualis ardentes ciet
Punicea Tauros pila, vel Lucas boves;
Vt torta ſævas verbera irritant feras
Patente Circo: Talis ad voces meas
Immane quantùm barbarus Princeps fremet.
Sed perimat. Hæc hæc una, ſi jubeat mori,
Merces abunde eſt. Nam quid in vitâ eſt ſuper,
Quare ipſe lethum verear? In pretio malâ eſt
Tot occupare morte. Nec vitæ bonis
Supereſſe. Tu me robore afflatum novo
Olim rebellem; nunc tuum, ſi fas loqui eſt,
Accinge pugilem. Da metu vacuum necis,
Da forte in hoſtem pectus, & linguam expedi.
Atque ille contrà graditur. Eſt animus virum
Præſtare.

Vſthazanes errorem ſuum agnoſcit, quem Sapor fruſtrà à ſaniore mente auocare conatur.

VSTHAZANES. SAPOR.

V. Placidas commodes paulùm precor
Aures loquenti. SA. Quàm voles faciles dabo.
,, V. Si ſana ſemper capere mortales queant
,, Conſilia, Princeps, nullus errori locus;
,, Nec pœnitendi cauſſa: nec veterem novâ
,, Mutare mentem tardus incumbat labor.
,, Nunc qualis actos calle prærupto videns
,, Auriga currus, hæret, ac dociles ſequi
,, Flectit quadrigas. Tale ſubſidium eſt, retrò
,, Malè conſtitutis ferre decretis pedem.
His ſapere nunc me caſus exemplis docet.
S. Ambigua mitte verba: quid portes rei
Ediſſere agedum. Fronte quid mœſtâ premis?
Quid iſte cultus ſquallor inſoliti arguit?
V. Quod te minùs fortaſſis auditum juvet.
S. Committe in aures cuncta ſecurus meas.
V. Fas ſit fateri crimen. S. Ergo ullum tibi
Crimen peractū eſt? V. Turpe, & horrendū, & nece
,, Quavis luendum. S. Quis ſuum nullo ſcelus
,, Cogente prodat? V. Quem bene admiſſi pudet.
S. Quis ille porrò eſt, quē tuum hoc ſpectat nefas?
V. Te, magne Princeps, turpibus prudens dolis
Ego te feſelli. Quippe non animo tibi,
Non obſecutus mente; ſed dextrâ tenus
Quos execrabar, Perſico ritu Deos
Supplex adivi. Teſtor hunc alium poli
Ego quem potentem veneror: extortum metu eſt
Quodcumque feci. Proinde devotum in caput,
Si pœna ſatis eſt ulla, quæ culpæ eſt ſatis,
Decerne, Princeps. S. Pœna, ſi noxæ piget,
Remiſſa ſonti eſt. Nunc te age in melius refer.
Mecumque Divûm ſacra non fictus cole.
V. Num vera porro liberè effari jubes,
Nec fallere ultrà? S. Iubeo. V. Nec Mithræ jubar;
Nec qui[illegible]ductis veſter in latebris manet
Æternus ignis, numinis quidquam reor
Habere. Mutum hoc corpus, & ſenſu caret,
Infraque ſortem eſt hominis, & vitæ datus
Vterque in uſus. Hæc tibi ex animo palàm
Non lingua mendax aperit, ac vanâ fide
Demulcet aures. Rurſus hunc teſtor Deum

Qui

Qui pectore unus condita arcano videt.
At tu, penes quem eſt corpus, & vitæ ac necis
Ius omne, quidvis ſtatue; diſcerpi jube,
Lacera, perure, diſtrahe; in partes ſeca.
Non aliud umquam pectore ex iſto auferes.
S. Quis te repens væſane præcipitat furor?
Quæ ſaga magico murmure, aut herbis anus
Tui impotentem reddit? Haud fallax tamen
Chriſti gregales artis illicitæ reos
Olim peregit fama. Sic vulgi ferunt
Illudere oculis: verbera, & mortes pati:
Et mille monſtris fallere. Haud umquam tulit
Documenta ubique ſparſa terrarum fides
Præſentibus majora. Quid turpem allinis
Labem ſenectæ? quoſque maturus decor
Commendat annos, fraude puerili implicas?
V. Hic ille pavido nuper extortus Deûm
Mendax ad aras cultus; hoc veſtræ ſcelus
Fraudi imputandum eſt. S. Nilne te Regũ movent
Imperia? V. Fixum eſt: Nullus extundet timor.
S. Parata mors eſt. V. Veniat: optanti dabis.
S. Haud illa ſimplex dabitur, aut facilis tibi.
V. Fac lenta veniat, ſævaque, & ſenio graves
Populetur artus: Lætus exſolvam Deo
,, Quod decuit olim. Dura quod meliùs feras,
,, Merces repoſta eſt major. S. Haud compos tui es,
Quænam illa rabie ſecta veſanâ æſtuans?
Hic hominis ille ſenſus, an potiùs feræ?
Laceſſere ultrò fata, & in ferrum impetu
Induere ſemet? V. Melior extinctum manet
Cùm Rege Chriſto vita, nec lethi capax,
Tranquilla, felix. Hanc ego amplexus ſequor
Ardore toto. S. Nempe quod paſſim occinunt
Melioris ævi præmia. Hac ſectam fovent
Mercede. Quid tu ſomnia hæc tanti facis?
,, V. Tanti eſt obire fata, dum cœlo fruar.
S. Quid certa perdis pretia, dum ignotis ſtudes?
Quòd ſi necis cupido tam vecors agit,
Odiumque vitæ; compotem voti dabo.
Chriſtũ ſequêris. Quis malùm hic hominis ſtupor?
Hoc ille ab urbe ductus Aſſyriâ ſtruit
Sectæ magiſter: qui malè, ut meruit, nocens
Luce hac peribit. Saxeo conde hunc ſpecu.
Regnare fruſtra dicar; & fruſtra manus
Inane ſceptri pondus Eoi gravet,
Impunè per me tale ſi exemplum licet.
Avehite monſtrum hoc. Vive tantiſper, genus
Dum mortis in te, quale commiſſum eſt, paro.

Vſtha-

Uſthazanes geſtit in vinculis, militemq́; inducit palàm, ut proclamet Chriſtianæ fidei causâ captivum ſe detineri, quò Chriſtianis exemplo ſuo fortè timidis conſulat.

VSTHAZANES. MILES.

V. BElle eſt. Secundos vota ſucceſſus habent.
Optanda miſeris, debita & ſonti propè eſt
Mors luce potior. Summa contigimus ſpei.
Morière. Ferro, aut igne penſandum eſt nefas.
Obeunda tandem pœna. Quam potui bene
Sine crimine inſons perdere, hæc ſceleri meo
Vilis litetur anima. Sic ſatis eſt ſemel
Periiſſe? Fac ſit Numini offenſo ſatis.
Quid quos tuo deſertor exemplo trahis?
Qui te Deos auctore fallaces colunt?
His conſulendum eſt. Proinde tentandum eſt iter,
Mecum ut revulſos Tartaro ex imo eruam.
Agenda mecum hæc ſpolia. Sic læſi furor
In me Tonantis ponet. Hac pompâ ducem
Comitante ſuperas lætus in ſedes ferar.
Quî dabitur autem? Sentio: inventum eſt mihi,
Niſi fallit animus, ſpeſque, quâ lapſis opem
Reditumque præſtem. Quiſquis eſt culpæ comes,
Hic ſi pigere ſceleris auctorem audiat,
Mortemque ſerò petere: fors illum pudor,
Et emenda pretio lucis afficiet ſalus.
Ergo illa noſtræ fama, quàm longè poteſt,
Spargenda necis eſt; urbe quo totâ ſciant
Quam me abnegaſſe pudeat. Hæc ſiſtet dies
Pronum in ruinam vulgus, aut lapſum eriget.
Atque ecce miles: commodùm hîc cuſtos adeſt.
Per hunc quod optas, dabitur. Huc ſodes veni.
M. Quæ cauſa? V. Quod me petere te fas exequi eſt,
Abs te impetrare liceat. M. Haud fruſtrà petas,
Quodcumque ſalvo capite præſtari poteſt.
V. Nil tale noſter petere conſuevit pudor.
M. Agedum profare quidquid impenſum cupis.
V. Facile eſt, & ipſum precibus hoc ſolis eget.
M. Quem me jubes adire? cui ferri preces?
V. Qui regna patrio Perſica imperio regit.
M. Et quid tuopte nomine hunc ſupplex rogem?
V. Quod tam roganti ſuave, quàm factu leve eſt.
M. Pœnam ut remittat, cui tuum addixit caput?

V. Méne iſta cenſes cupere, cui votum mori eſt ?
M. Laxare ſaltem tempus ut mortis velit ?
S. Neque hoc petendum, nec levis tanti mora eſt.
M. Quidnam aliud ergo eſt, quod tuâ exorem vice?
S. Scin' quo revinctus crimine in pœnas agor ?
M. Quod Chriſti adoras Numen, ac cœlo inſeris.
S. Palàm hoc per urbis ora differri juvat.
M. Quid ? Obire fata temet, ac juſſum mori ?
S. Imò hoc peremptũ crimine. M. At quorsũ cupis?
Quod iſte pretii titulus aut fructus habet ?
S. Ne quod nefandum, facinus adſcribant reo.
M. Parúmne veſtra hæc ſceleris impietas ſubit ?
S. Ergo illa noſtræ cauſæ prodatur necis.
M. Quidquámne ſpargi gravius in populum times?
S. Timeo. M. Quid illud deinde ? S. Perfidiæ nefas
Ne quod ſiniſter rumor in populum trahat,
Lethumque tacitâ fraude commiſſum putet.
Ergo hæc cavenda eſt fama. Tu Regem pete :
Affare. Si me cætera inſontem probet,
Culpaque vacuum : Si mea haud ullâ fides
Aſperſa maculâ eſt : una ſi Chriſti gravat
Pietas, Deumque turba non patrio mihi
Dignata cultu : hunc ſeri in vulgus ſinat
Titulum necis cauſamque. M. Quid lethi propè
Poſitum ſub ictu cura ſollicitat minor ?
Quin tu ipſe ſervas temet, ac Regi obſequens
Vitam caputque, dum licet, morti eripis ?
V. Factum eſt : Abire, nec retrò, ut libeat, pedem
Revocare poſſum ; nec mihi, ut poſſim, libet.
Proin tu monere deſine : ac, ſi quid facis,
Mandata perfer Principi. M. Haud deero quidem ;
Nec ille credo facilè morituro neget.

Simeon lætatur viſo Vſthazane, eiq; ſuadet præteritam ut culpam lacrymis expiet.

VSTHAZANES. SIMEON. MILES.

V. QVidnam aliud ultrà reſtat ? hoc unum reor ;
Tandem ut verendi ruere in amplexus ſenis,
Et adire caſto liceat. Hunc utinam alloqui,
Vtinam intueri detur ! atque eccum ſubit.
Gravant catenæ colla, & informi riget
Pædore corpus : blanda ſed ſolito magis
Facies renidet : conſcium & ſibimet benè
Geſtit, ſalitque pectus. SI. O fauſtum diem !
Quàm lætus aures rumor ad noſtras iit !
Miſerum hunc relictâ fraude fallacis viæ

Rediiſſe

Digitized by Google

Rediiſſe tandem; teque, qui ſolus regis
Humana, conſors maximi ſoboles patris,
Regis profeſſum ante ora. V. Quò celeras gradum?
S. En; túne nobis redditum ac cœlo caput?
Tranſlate Chriſti in jura? fer propiùs pedem.
Quò te retorques? V. Frontis hic caſtæ decor:
Hic ille vultus terret: aſpectus pios
Mens ſceleris horret conſcia. S. Hunc etiam times,
Qui te vel ipsâ luce, pluſque oculis amat?
Ades: licet jam labe purgatas manus
Dare, dum piæ ſunt. Teneo, quem votis diu
Lacrymiſque petii: cujus haud parvo mihi
Revocata pietas conſtat. Eſt certè Deus:
Certè aliquis illic corde conceptas preces
Non lævus audit. Quàm bene impenſus labor!
Quàm non inanis noſter hic pro te fuit
Gemitus dolorque! V. Quid tibi hæc contra queam
Referre? Grates quas tibi infelix agam?
Tu mihi parentis inſtar: Imò adeò parens
Tutore propior. S. Reſpice auctorem tuæ
Chriſtum ſalutis potiùs. Huic te te imputa,
Quem nemo fruſtrà lapſus auxilio vocat:
Volente nemo periit. V. Agnoſco libens,
At te ſecundum hunc veneror: Hanc animam tuis
Debere meritis fateor: abſque illis foret,
Adhuc jacerem. S. Robur ex illo cape
,, Animumque caſu. Diſce quo lapſus modo,
,, Quánam ruinâ ſtratus, ac rebus pete
,, Documenta dubiis. Numinis virtus habet
,, Proprium hoc & ingens, ut bona ex ipſis trahat
,, Majora damnis. Ille de pecorum grege
Iſacia quondam ad ſceptra tranſlatus puer,
Vt adultus arſit veneris illicitæ face;
Poſt illa demum ſtupra, & infames toros,
Cædemque, & hoſti proditum inſontis caput,
Ardore quanto tactus ad ſeſe redit!
Quid ille? Chriſtus cui ſuas moriens vices
Commiſit, orbis Rector, & cœli arbiter?
Quali ruinâ fractus, & famulæ metu
Quo tu jacebas ſcelere commiſſo. gradum
Revocante Chriſto retulit, & caſu ſtetit
Firmatus illo? Cetera ut parcam eloqui
Operoſa ſeries cogit. Exemplo utere:
Gemituq; Superos flecte. V. Quid gemitu? Parū eſt:
Niſi & hoc rebelli ſpiritu, ac vitâ exuam
Senile corpus, jamque devotum neci.
S. Magnum eſt & iſta cupere: ſed voto amplius
Potuiſſe. Nunc te ad facinus egregium para.

CHO-

CHORVS CHRISTIANORVM

Pœnitentiæ vim extollentium.

QVis non cœlo terriſque Deum
Te, magni ſoboles Patris,
Nec magno inferior Patre,
Regnare credat? Cui nihil arduum
Qui cuncta imperio flectis, & intimo
Illapſu penetrans, quò libitum eſt, agis.
Tu nocte denſâ ſcelerum implicatis
Attollis Phœbo ſplendidius jubar.
Tu lethi ab ipſis faucibus erutos
Vitæ reponis. Te miſer auſpice
Culpæ ſordibus obſitus
Maculas dolenti
Pectore exhorrens, veniam meretur.
Ceu cum frigore
Condito terris placidus Favonî
Mulcet agros tepor, paſſim ſolutæ
Per plana rivis diffugiunt nives.
Liquitur ſummis regelatus humor
Collibus manans.
Sic cum rigenti corda nocentium
Durata ſaxo Chriſtus amabili
Afflavit aurâ;
Perfuſi lacrymis ora rigantibus
Horrificam labem eluunt.
Sic Princeps populis jura fidelibus
Olim daturus, mox ut inſtanti
Ceſſit puellæ;
Timidaque Numen prodidit linguâ;
Miſerante Chriſto fletibus largos
Emiſit imbres. Nec infamis
Leviore noxas diluit luctu
Flens perditum Magdalis pudorem.
„ Quid non imo corde profuſæ
„ Poſſunt lacrymæ? Qui cuncta ſuper
„ Eminet unus; triplicis mundi
„ Latè imperio regna coërcens,
„ Cedit lacrymis. Sæpè rubentem
Armans trifidâ cuſpide dextram:
Cùm jam certos deſtinat ictus.
Sive in populos ira rebelles
Collecta furit: ſeu privatum
Ruitura caput: ſimul ac ſcelerum
Conſcia ſontes pectora plangunt;

Veniamque humili voce precantur.
Reprimit ſeſe, lentaque diu
Criſpata manu tela recondit.
Quid non miſeros ſperare jubet
Vrbs Aſſyrio fundata Nino?
Quam fatidico ferale canens
Amathi proles terruit ore.
Hæc poſt decies quater exactos
Vertenda dies, expers Cereris
Laticiſque, polo brachia tendens,
Tum ſquallentes pulvere ſparſo
Fœdata comas; vilique tegens
Corpora ſacco; ſæva minantis
Victrix Domini, fatique, truces
Diſtulit iras, lacrymiſque alios
Iterum meruit ſtare per annos.
Quid lapſa moror ſæcula? Noſter
Nihilo priſcis memoranda minùs
Vſthazanes documenta tulit.
Quem peſtiferâ labe jacentem,
Tetroque animi funere merſum,
Pius ad ſuperos, vitamque dolor
Medio revocans traxit ab Orco.
Age nunc animi, generoſe ſenex,
Chriſtique tenax, nimiùm pavidos
Compeſce metus; nec præteritæ
Reſoluta time vincula culpæ.
Quæ te ſubito turbine adactum
Placidi recreat cura Tonantis,
Magniſque parem reddidit auſis,
Hæc illa tuis nova ſufficiet
,, Robora cœptis. Numinis aude
,, Sperare fidem. Qui nunc latice
Tua Palladio membra perungens
Mediâ pugilem ſiſtit arenâ;
Alacres campo figere greſſus,
Tandem & modico parta labore
Dabit haud modicæ præmia palmæ.

A C-

ACTVS QVINTVS.

Sapores Chriſtianorum conſtantiam miratur, multa eis mala affingit Magorum Princeps.

SAPORES. PRINCEPS MAGORVM.

SA. QVid eſſe dicam, quod ſuperbifico tumens
Sacrilega faſtu turba, ſuffixũ hunc Cruci
Tam pervicaci mente Galilæum colit,
Huic ſervit uni? Nec metu, aut certo necis
Terrore cedit? Alitur, & gliſcit malis:
Suiſque majus robur è damnis capit.
Non alia monſtri fama, quod capitum ferax
Herculeus ægrè contudit flammis labor.
Sic miſſa magnos ſerpit in populos lues,
Omnique potior arte contactas domos
Tabifica peſtis haurit. Anne aliud rear,
Quod nulla ſectam pœna graſſantem premit,
Terrorque revocat nullus? Et juſtus tamen
Quodcumque in illos potuit, exprompſit dolor.
Quidquid ferox, immane, terrificum fuit,
Fractum irritumque eſt omne. Nec blandâ prece,
Crebriſve rabies victa pollicitis ſtetit.
Per dura perque mollia indomitus furor
Tenore eodem conſtat, & flecti nequit.
Nec utrumque in æquo ſtatuit: in pretio mori eſt;
Pœnaſque in omnes ruere, nec facili diem
Clauſiſſe letho: quodque mirandum magis;
Vt quiſque plura pertinax animi tulit,
Animamque lentâ cæde luctantem expuit,
Huic invidetur. Cetera ut leviùs querar
Ignota Regi capita; Quid ſolo minor
Genitore fidus altor? hunc quantâ mihi
Ægrè receptum mole, & obſequio datum
Recidivus iterum rapuit in præceps furor?
PR. Mira hæc, ſed iſtis ſolita, quos Chriſti in fidē
Sacrilegus aris cultus à patriis rapit.
Paucis receptum hinc ad bonam mentem Deus
Indulſit; & referre permiſit gradum.
Pars major hæret, certa in exitium priùs
Quodcumque ruere, juſſa quàm Regum exſequi.
Imo hæc Avernæ turba, ſi neſcis, Stygis
Orcique famula eſt, Dæmonum interpres, Deos
Exoſa ſuperos, bella quos contra ciet.

Ergo irretortus, voce cum tacitâ jubent,
Stat luce mediâ Phœbus, & preſſos agens
Siſtit jugales : nocte vel ſubitâ dies
Oppreſſa, ſtellis parte decedit ſuâ.
Iuſſere : fulvo lapſa de curru ſoror
Phœbea terras æthere ex alto petit :
Qui molle rhombo ſtamen implicitum trahit.
Iuſſere : puro fulmen è cœlo cadit ;
Nullaque adactum nube. Vidi egomet retrò
Converſa cantu flumina, & ſiccis dare
Calcanda pedibus arva, quæ nuper citis
Patuere ratibus. Iuſſa mox eadem ſuum
Ad gurgitem unda rediit. Hic alius ſpecum
Tellure ruptâ perviam ad manes dedit.
Alius revulſos penitus, atque imâ erutos
Radice montes ſede qua libitum eſt, locat.
S. Quis iſta credat ? P. Vera qui dici ſciat ;
Non aure tantùm excepta, ſed viſu palàm.
Hunc ipſe, tua quem vincla damnatum tenent,
Simeona vidi ſæpè cùm nudus pedes
Caputque, ſparſis barbarum in morem comis,
Puraque cinctus veſte, medicatos levi
Latices refundens rore, tum ſecum inſonans
Neſcio quid, avidâ pœnè conſumptos lue
Curaret ægros. Reddita eſt cæcis dies ;
Claudiſque greſſus. Caſſa quin etiam æthere
Revocata vitæ corpora. Imò aliud viro
Iubente eodem, quodque vix habeat fidem,
Factum eſſe memini. Murmure exiguo, Deûm
Simulacra, nullo turbine, in terram gravi
Cecidere lapſu ; templaque operosâ diu
Conſtructa mole : vidi, & indolui malis
Licuiſſe tantùm. SA. Dignum ob hoc pœnâ reor
Graviore, quam non, vita ſi ſupereſt mihi,
Effugiet umquam. P. Quin age : horrendum magis
Atroxque ſcelus eſt, fama quod celebrat vetus.
SA. Quod illud, aveo ſcire. PR. Secretos habent
Olli receſſus, nocte quos tacitâ petunt.
Atque huc remotis denſa ſe arbitriis manus
Infundit : ætas omnis, ac ſexus ruit.
Exin nefandus ſigna cùm antiſtes dedit,
Subitoque ſacris conſciam extinxit facem,
Promiſcuâ ardent Venere, & illicitos toros
Rapiunt ferarum more : tum gnati parens,
Gnatus parentis temere in amplexus furit.
SA. Quid eſſe tantis ſceleribus dignum poteſt ?
Quæ par ſceleſtis pœna? PR. Parva hæc ſunt mala.
SA. Quid gravius illis proloqui, aut pejus potes ?

PR. Vbi

PR. Vbi functa ritu turba funeſto diu eſt,
Rurſum aliud urgent facibus accenſis nefas:
Correpta puerûm corpora in partes ſecant
Ante ora matrum. Deinc Thyeſtæas dapes
Rabidi capeſſunt. Quodque nec mos eſt feris,
Suamet refundit viſcera in ſeſe parens.
SA. Prô cœlitum alme Rector! hæc oculis potes
Proſpicere? non hos terra demerſos vorat?
Non fracta cœli machina incumbens premit?
Non vaſtus haurit pontus? Atque etiam moror?
Et vivere ultra patior? ulciſci ratum eſt.
Sed jam evocentur: ſumma tentanda eſt mali
Medicina. Coràm ſiſte moriturum gregem.

Sapores Simeoni falſas Principis Magorum criminationes obiicit, quas refellit Simeon. Mortis tandem in Chriſtianos ac Vſthazanem præſertim ſententia pronuntiatur: permittit Rex edici eum ob fidem Chriſtianam mori.

SAPORES. SIMEON. MILES.

SA. NEc longa vitæ ſpatia damnatos manent.
Nec vana perdam allóquia. Quod petimus breve eſt,
Simplexque: Chriſtum abnuere; quos Perſæ approbant,
Adolere Divis jubeo. Qui faxit ſecùs,
Mors conſtituta eſt: luce nemo iſtâ amplius
Hunc quem rebellis ſpernit, aſpiciet Deum.
Quippe haud ferendum eſt; cujus auctorē abdices,
Vltra intueri lumen. Hæc contra libet
Audire paucis veſtra quò ſe mens dabit.
Tu quem ornat ætas gravior, exemplo præi.
Parumque ſanis pone conſiliis modum.
SI. Regi obſequendum eſt. SAP. Num fide hoc ſpondes bonâ?
SI. Quâ nulla melior. SA. Vtinā id ex animo velis!
SI. Æqua imperaſti; facere quæ poſcis, juvat.
SA. Et his relicto thura Galilæo dabis?
SI. At non jubebas iſta. SA. Quid demens canis?
SI. Præire ſociis juſſus, & ſana exequi
Conſilia, morem proinde, ceu juſſum eſt, geram.
SA. Si noſtra recipis Numina, & Chriſtum abjicis.
SI. Cur hunc relegas? quidve commeritum mali?
SA. Inviſa Divis ſacra celebrari veto.

Digitized by Google

SI. Si Stygia Divos monſtra Tartareos vocas:
His diſplicere laudis immenſæ eſt caput.
Sin fictus hominis hic tibi in ſpeciem ſilex,
Truncuſque Deus eſt, ſtipite exciſus ſuo;
Odiſſe nec nos iſte, nec Chriſtum poteſt;
Qui ſe nec ipſum ſentit. At lucis parens,
Qui certa curſu ſpatia dimenſo regit,
Hoc nempe veſtrum Solis exoſum eſt jubar.
Cur me perenni lumine afflatum fovet?
Cur non opacâ nocte ſubductos premit,
Conditque radios, & diem terris negat,
Cùm me vel iſtos cernit? SA. Haud meritò quidem
Tuo ſceleſte frueris. SI. At quodnam eſt ſcelus?
Quæ fare noxa eſt, cujus arceſſis reos?
SA. Minora taceo. Quid quòd arcana impiè
Magicas per artes ſacra, & infantum neces
Patrare mos eſt? quæque vulgari pudor,
Mœrorque prohibet noſter, hoc quidquid mali
Nox atra ſuadet. SI. Vana, nec certâ fide
Comperta memoras. Quippe tam dictu hoc leve (eſt,
,, Quàm non revinci facile. Si temerè licet
,, Iactare quidvis, ſolaque eſt dicti fides
,, Potuiſſe dici, nemo non fiet nocens.
,, SA. Vulgata in omnes fama quod cõſtans refert,
,, Credi neceſſe eſt. SI. Pars quota hæc orbis canit?
Quantoque veſtra major hanc ſectam fovet?
Quæcumque Phœbi lampas occidui videt:
Quæ medius axe torret æſtivo dies:
Quidquid Bootes frigore Arctoo premit,
Noſtra illa regio eſt. Iura ſub Chriſti Nomas
Vterque venit, quique Mæotin tenens
Vagam ferino temperat victu famem.
Et qui minaci ſubjacet Cancro Libys.
His adice Eoo quidquid in tractu jacet,
Tua regna præter; totus auctori ſuo
Famulatur orbis: hunc Deum, hunc Dominũ canit:
Hunc lingua memorat omnis: hunc templis Deum
Non Grajus, aut Romanus, aut ſi quis modo
Meliore ritu vivit. At ſparſus Scythes,
Feroxque Alanus: quique Phaſiacas bibit
Hinc Colchus undas; inde Caucaſeâ ſedet
Albanus exlex rupe, & Hyrcano mari
Quacumque propior Barbarûm tellus patet.
Hoc nemore paſtor avio, & viridi ſedens
Convalle nomen celebrat: hoc duro ſolum
Scindens arator vomere ingeminans vocat.
SA. Impunè garris iſta: nec quidquid malè
Conſulta ſequitur turba, ſi turpe eſt, amo.

SI. Quin

Digitized by Google

SI. Quin hoc quod omnes iſta mortales probant
,, Objecta purgat crimina. Improbitas diu
,, Paſſimque nulla regnat : utque homines brevi
,, Mentita fallat, fronte dum blandâ tegit
,, Lethale virus, tempore arguitur ſuo
,, Deprenſa tandem. Sola ſe virtus probat,
,, Firmatque ſenſim. Deſine inſontes probris
Vexare fruſtra, quæque nec viſu eloqui
Comperta, nec rumore, niſi vano, potes.
SA. Subducere oculis iſta, & aſpectu ſolent.
SI. Da ſceleris hujus conſcium, aut facti indicem.
Quamquam hæc requiro? Da mihi afflatum horridi
Sceleris vel umbrâ. Nil ego alienos moror ;
Si noſtra ſimulat aliquis, & ſceleris ſui
Transfundit in nos crimen : & plures ſcio
Sub hoc latere nomine, ut pecoris lupos
Sub pelle tectos. Nam quod arguimur ſtupri
Et execrandæ veneris : hinc quantum putas
Abeſſe, quorum exoſa genialis faces
Pars magna thalami cœlibem vitam colit ?
Pars fruge ſola Cereris, aut herbis famem,
Riguoque paſcit olere. Nec Baccho imbui,
Nec ora dulci carnium attactu ſinit.
Nedum cruentas avida contingat dapes.
Veſtrum omne, veſtrum hoc facinus : & ritu Magi
Didicêre patrio. SA. Longa fac ſodes lucri
Colloquia : teque ad tuta, ſi vitæ eſt amor,
Conſilia revoca. Miles hic tete labor
Reſpiciet. Omnes capite ſupplicium luant :
Niſi qui paternis tura reddiderit focis ;
Mithraque Chriſtum mutet. His noſter comes
Accedat alter. M. Munus extremum dari
Neſcio quod abs te ſenior ante obitum rogat.
SA. Quidnam eſt ? M. Peremptum ne quis ob facinus putet,
Fidemque Regi proditam, in vulgus feri
Vtcumque res eſt optat : haud ſe alio necem
Meruiſſe titulo ; quàm quòd exoſus Deos ;
Iterum negati nomen ad Chriſti redit.
S. Æqua impetrandi cauſſa. Nec noſtrâ minus
Referre ſtatuo : ne quis hoc tutum putet :
Quo Regis alter crimine occiderit parens.

Princeps Magorum fruſtrà Simeonem inducere parat, ut tus Mithræ offerat; Puſices Ananiam timentem animat; Vſthazanes ad ſupplicia, ad Regem alii abducuntur.

PRINCEPS MAGORVM. SIMEON. PVSICES. ANANIAS. CHORVS.

PR. Audite Domini juſſa. Cui cordi eſt ſalus,
Opibuſque patris Regis adjunctus favor;
Cæſâ potentem victimâ Mithram colat.
Quid tardùs hæres? Quin te ad obſequium paras?
SI. Occidere certum eſt potiùs, ac mortem pati:
Et ſi quid ultra eſt. Nec tamen facilem volo.
Conſume pœnas antè: perque omnes mali
Diſcurre facies. Seu rapi in partes jubes
Diviſa ferrò membra; ſeu flamis cremas:
Seu facibus ultos; ſive diſtractos rotâ
Volvente torques; nulla confiſos Deo
Tormenta quatient. PR. Abripe infandum ſenem.
SI. Sed tu fidelis turba, quam Chriſti ſacer
Erebo redemptam reddidit cœlo cruor,
Exempla ſequere noſtra: Nec Regum minas
,, Iramque metue. Sævit ad tempus furor
,, Mortalis, & nil corpus hoc ultrà appetit.
Non ſic Tonantis odia: nec vitâ tenus,
Fragilique ſævit corpore: at ſcelerum reas
Perennis animas pœna poſt obitum premit.
Damnata flamis hîc ubi exercet cohors
Supplicia, miſeris nulla quæ minuit dies.
His vos brevis, fugaxque carnificum manu
Ferroque nunc inflictus eripiet dolor:
Et mors bonis optanda. Quid mortem loquor?
An potiùs arces tutum ad ætherias iter,
Pretiumque Regni vile, quod votum ſupra
Magnificum, & ingens ille promiſſi memor
Cæſis rependet, eſſe qui mortem nihil
Docuit ferendo? PR. Pergis æternùm obloqui?
Hunc rapere ceſſas miles? aliquando premat
Linguam hanc procacem, mentis & vitio oblitam.
Tu fraude temerè inducta ſacrilegi cohors
Simeonis, ecquid pœnam & exitium tibi
Arceſſis ultrò? ſolus occumbat ſine
Quæ cæde meruit: cujus ingentes Deos,
Solemque in ipſum ſiderum ac mundi decus,

Digitized by Google

Effrænis ardet animus. Hanc mentem exue,
Quod facile factu eſt: turis Eoi focos
Fragrante micâ ſparge. Quid tantum eſt meri
Fudiſſe laticem? Non ego ut Chriſtum neges,
Eiaſque jubeo noſter. Vt ſpecie tenus
Vtcumque adores, moris admiſſi tenax;
Tuique ſimilis intus, effugium pares
Tibi cædis hujus: inde ſecurus domum
Ad priſca redeas. Cernis hoſtili in ſolo
Vt ſæpè cultus advena externos capit?
Et fraude juſtâ illudit, ac mortem cavet?
Aut nulla ritus culpa mentiti aut levis:
Perfidia quam non ſuadet; at lethi timor,
Neceſſitaſque, quam nec exorat poli
Æternus ille Rector. An Chriſtum times?
Dabit ille veniam facilè; ſi veniâ eſt opus,
Aut ſi ille Deus eſt. Quid truci aſpectu ſiles?
Quid tu, ſenectus tarda quem effœtum gravat?
Subſiſte trepidat, hæret. Vrgendum acriùs,
Huc ferrum, & ungues; ferte flammatas faces.
Pergin'? quot artus corpore in toto geris,
Obeunda toties pœna. PV. Quid dèmens moror?
Ego hunc perire patior? Ah! ſatius mori eſt.
Quid ſancte titubas ſenior, & mortem times?
Pauliſper oculos comprime. En cœlum patet.
Brevis eſt moræ diſcrimen, æterni decus
Inſtat triumphi. Quantulum exhauſto ſeni
Quod reſtat ævi? Sed lucro ingenti brevis
Iactura vitæ cedit. Eja animum polo
Fixus, caducæ lucis aſpectu nega
Viſura Chriſtum lumina. Hic qui te dolor
Lethi imminentis tardat, expertum levis
Etiam juvabit: Plura quo poſſis pati
Majore palmam decore conſpicuus feres.
PR. Hoc ſimile monſtri eſt. Alius ex alio labor.
Creſcit medendo virus. An Chriſtum pari
Furore ſequeris? PV. Mentis eſt certè furor;
Sed ille cœlo miſſus, & caſto ſacer
In pectore ardet. PR. Sors tibi eſt eadem necis
Obeunda; ſi par criminis nexus ligat.
PV. Ad hæc paratus venio; nec mortem abnuo.
Imo antecedo: junge præeunti gradum.
Mecumque vitâ functus ad ſuperos veni.
ANA. Sequor, ſequor, quemcumque me in caſum trahis;
,, Nihil moræ ultra eſt. Hæret in metis equus
,, Plerumque curſu fractus, aut ſenio gravis.
,, Sed mox ut ictu verberum, aut vocis ſono

,, Præſente ſtimulat rector : effuſis ruit
,, Velox habenis. Sic tuo hortatu redit
Vt lapſa nondum ; mole ſic ſubitâ æſtuans
Et dubia virtus. Mors ubi, & ferrum, ac rotæ ?
Vbi quas minaci voce jactabas faces ?
Largire pariter cuncta. Materiam dabit
Tuo hoc furori corpus. Eſt unde haurias :
Et æſtuantem ſanguine extinguas ſitim.
PR. Nimis herculè iſta ſtupeo. Quid ceſſo exequi
Iuſſa imperantis ? Hunc neci addictum rape,
Quò jam anteceſſit agmen. Ad Regis domum
Trahendus alter. Iudicem hunc illi fero.
,, CHO. Quàm falſa vulgi fama. Quippe homini lupum
,, Hominem eſſe jactant. Sed fidem eventus negat.
,, Deus alter hominum eſt alteri. Vt præſens manū
Iam jam ruenti ſubdit ! ut penè obrutum
Erexit ? Vdo ſic ego abreptum ſinu,
Aut crine vidi naufragum, atque hauſtis gravem
Emergere undis. Civicam huic meritò dabit ;
Mihi quam dediſſet ille ; ni facinus prior
Tantum occuparet. Quàm prope indicium fui !
Eadem parabam proloqui ; & ſummis natans
Vox iſta labris hæſit. Invideo tibi.
Sed me ſecundas agere nequidquam piget.
,, Nec ſponte ad iſta ruere conſultum putant ;
,, Dum nullus operæ fructus. At votis opem
,, Præſtare fas eſt. Supplicem ex alto Deus
Si me benignus audit, hunc, fortes viri,
Vobis faventem, & dura moderantem precor
Supplicia. Læto rore certantes tibi
Perfunde pugiles Chriſte ! Quas pro te parant
Profundere animas, corporum exemptas jugo
Super alta cœli templa ſublimes rape.

Dathys narrat mortem Vſthazanis.

DATHYS NVNCIVS. CHORVS.

DA. Felix alumno Rege, quàm noxâ, minus,
Tali piata morte, procubuit Senex.
CH. Iámne ille cecidit ? DA. Si qua ſpectanti fides.
CH. Quâ fronte ſpeciem mortis horrendæ tulit ?
DA. Qua ſceptra opeſque ferre mortales ſolent.
CH. Quis ordo pœnæ eſt? D. Colle ſub patulo jacet
Porrecta ad amnem vallis. Hanc vaſtæ ambiunt
Vtrimque rupes : media planities patet,
Diffuſa Circi meta. Quò vulgi frequens

Effuſa

Effuſa muris turba viſendi coït
Accenſa ſtudio. Pars viri indignam queri
Miſerata ſortem. Fremere pars tantùm ob ſcelus
Quidvis mereri. Magna & in cauſſam cadit
Invidia. Poſtquam plena productus ſubit
Per ſpatia vinctus ſenior; & firmo gradu
Intrepidus hæſit: vulgus attonitum ſtupet.
Movet ille cunctos annus, & cani decor
Capitis: nec ullo mortis obductus metu
Frontis verendæ fulgor. Inſolitus quoque
Ardere toto viſus in vultu nitor.
Iam nemo gemitus cohibet: in lacrymas fluunt
Reſoluta plebis ora. Stat rigidus ſenex,
Lacrymis, metuque major. Hinc fixo genu
Suſpenſa cœlo lumina, & palmas diu
Vtraſque tenuit: donec exhauſtâ prece,
Cervice ferrum pronus immotâ tulit.
Et nunc feretro Regia impoſitum cohors
Truncum paternos corpus ad tumulos vehit.
CHO. Non hæc lacrymis, non degeneri
Vrgenda ſenis funera luctu:
Quem non fragili corpore functum
Nox atra premit: nec Tartareos
Adiit manes: ſed perpetuâ
Luce beandum ſuper ætherias,
Turbâ Aligerûm comitante, caput
Extulit arces. Vbi Cœlicolûm
Conſors patriam proſpicit urbem:
Proprioque regit numine Perſas.
Hic noſtra, Pater! vota ſecundas
Committe pii Regis in aures:
Et quæ petimus confecta refer.
Seu Chriſticolûm permiſſa ſacris
Otia reddis. Seu nos parili
Nece perfunctos tecum optatis
Inſeris Aſtris.

IACO-

IACOBI LIBENI ANTVERPIANI

E SOCIETATE IESV

IOSEPH

TRAGOEDIA.

PER-

PERSONÆ.

IACOB.
IOSEPH.
SIMEON.
LEVI.
RVBEN CVM FRATRIBVS RELIQVIS.
NVNTIVS.
CHORVS.

Digitized by Google

ACTVS PRIMVS.

Iacob cùm ſenectutis, tum vel maximè viduitatis ſuæ pertæſus lamentatur: filium Ioſeph ſupervenientem mittit ad fratres.

IACOB. IOSEPH.

QVò me laborum mole tantorum gravem,
Duriſque fractum rebus, infauſtũ patrem,
Infauſtiorem conjuge heu! raptâ virum
Adhuc reſervas ſtirpis ô noſtræ ſator
Tutorque, præſens numen Abramiæ domus?
Atrâ malorum nube denſorum obſitus,
Nimiumque longas vivus in pœnas ſenex
Iam vix moleſtæ pondus ætatis fero.
Incurva cervix, quo tremens ponam caput,
Quærit ſepulcrum; vertice incano diu
Pars aliqua mortis errat; & vitæ monet
Me jam caducæ pronus in lapſum gradus.
Equidem fatebor, quando conſortem meo
Neceſſitatis dura vis rapuit toro,
Partemque parti ferreâ avulſit manu,
(Heu! flenda memoro) tempore ex illo dies,
Purùm ſereno fulſerit mundo licet,
Aliiſque lætam ſparſerit ridens comam,
Mihi mœſta luxit. Benjamin! amor, & dolor;
Pretioſa ſoboles! lugubri matris puer
Redimende caſu! matris, ah! utinam patris!
Non ergo in auras gnate, niſi jam tum nocens
Exire poteras? luce vix viſâ benè,
Iam parricida, cùm ferox danti rapis
Vitam parenti, menſium & novem graves
Vteri labores flebili penſas nece.
Malegrata proles munere in tanto! ah nimis
Sors miſera matrum! ſceleris hic partus tui
Quæ prima quondam Numine irato parens
Damnata pœnis in tuum latè genus
Mox tranſituris. Et mea hoc luis Rachel.
Heu! cara quondam, vita dum ſivit, Rachel,
Nunc triſte funus, & viro numquam ſatis
Cinis ſepultus! Quin & ad pios avi
Patriſque manes, & tuos viduum vocas?
Iuvat ire, geſtit liber animus ingredi

Habitata

Habitata Abrâmo ſpatia, quæ ſanctis Deus
Secrevit umbris. Cauſſa vivendi ſeni
Iam nulla ſupereſt, magna moriendi: piget
Tantum in miſerias vivere; ubi creſcit novam
Se major ipſo ſemper in meſſem dolor,
Fit morte pejor vita. Pertæſum moras
Eritne qui me ſolvat, & jungat meis,
Dolore longo, morte conſumptum brevi?
Tu te ipſe lento corporis nexu expedi.
Aſſertor animæ, per reſiſtentes fibras
Et per tenaces viſcerum eluctans ſinus
Avita quære liber umbrarum loca.
Vt cum vetuſtam puppe divulsâ ratem
Multoque quaſſam turbine & fluctu gravat
Vis ſæva Ponti, & ira ventorum impotens;
Tumultuoſo rector ereptam ſalo
Velis citam remiſque ſecuro impiger
Locare portu jam fatiſcentem, & latus
Dantem adlaborat. Paria nos urgent mala,
Gravibuſque portum quærere ærumnis jubent.
Quò mente præceps agere veſanâ ſenex?
Quas in ruinas debilem impellis gradum?
Conſiſte. Cauſſa quæ mori cogit? fides,
Vinclumque conjugale. Seu puro micet
Lux prima cœlo, feſſus aut cadat dies,
Rachelis adſtat umbra, me comitem ſibi,
Me conjugem optat: ibo, & uxori virum,
Reddamque amorem. Reprime dementẽ impetũ,
Agat ille juvenes, ratio ſed ducat ſenes.
Quin liberorum reſpice ad turbam, regis
Tot unus; in te magna conſiſtit domus:
Vitam tibi uni ſi negas, multis negas.
Ergo laborum plenus, ætherias miſer
Peroſus auras, debitum letho caput,
Retrovolutos tot per ætatis gradus
Elumbis, atque effœtus, annorum trahens
Grave pondus, &, quod maximum in tantâ reor
Turbâ malorum, viduus, extremæ tamen
Moras ſenectæ quamlibet triſtes feram.
Et hoc amori liberûm detur; patrem
Natura vincis, ſponte fugientem artubus
Animam coërcens, jamque properantem mori
Senem retardans ſola. Quid malè conſulis
Pignoris amorem conſilî expertem? vide,
Natura utrimque eſt: repetit hinc Rachel virum,
Heu! vidua, & illinc liberi tenent patrem.
Pars utra vincet? hinc & hinc reciprocus
Amor duellat, corque diviſum rapit

Lævâ

Lævâ atque dextrâ. Liberis peccas, pius
Conjux ; piuſque, conjugi peccas, pater.
Ingrate. dubitas ? jura conjugii, & fides
Sic excidêre ? vincat, ut debet, Rachel ;
Hanc ſequere : ſic natura, ſic pietas jubet ;
Pars illa potior ; redde quam debes, tuæ
Vitam Racheli. Numquid & natis ? dedi
Natis. Quid ultra eſt ? hanc quoque ut ſerves; licet,
Servabo, vel poſt fata ; ſat vivam pater
Diviſus in tot, melior & major mei
Pars eſt in illis ; tenue quod ſuperat, meæ
Dandum eſt Racheli. Dabitur ; ad tuos celer,
Quod decuit olim, pronus in tumulum ſenex
Manes recurro ; recipe nunc uxor virum
Secura, & avidis ſtringe complexu obvio
Rachel lacertis ; ſtringe. Quid vanis capi
Somnis amaſti, ludicro & paſci dolo
Miſerande Iacob ? ſtare, quo ſoles, gradu,
Nec eſſe ſub dolore, majorem malis
Senem decebat, generis & memorem tui
Non indecoro terere lamento diem.
Quin ipſa, tanto quâ voves frui ambitu,
Tenetur à te, ſpirat in natis parens ;
Supereſt, Rachelis magna pars, Ioſeph tibi :
Et Benjamin pars magna ; & hos caſus licet,
Deúsve matri jungat, ereptos patri,
Conſtante, & æquo immotus animo perferas
Tamen neceſſe eſt. Reſpice ad avitam indolem,
Proniſque Iſâci pendulum cervicibus
Revolve ferrum, patriâ ſtrictum manu.
Ad illa nunc exempla duris arduum
Oppone pectus : quod jubet cœlum pati,
Infractus animo vince par avo nepos.
Indigna canis pelle lamenta, & viro
Turpem querelam ; patere longanimus tori
Ingrata vidui tædia, & tua obſequens
Permitte ſuperis fata. Sic placuit. Bene eſt.
Vivamus. O ! qui ſemper & jam nunc pius,
Et non ſuperbas ſupplicum preces Deus
Audire facilis, dirige hoc quidquid traho
Vitæ, & caducum, nam potes, firma gradum
Senio trementem debili ; & quo nil queam
Majus precari, liberos ſimiles avo
Simileſque patri præſidis dextræ pio
Ductu guberna. Tota bis ſenis ſtetit
Natis propago, exinde poſteritas Abræ
Promiſſa toties, ſiderum vincens faces
Olim exitura : ſurgit hinc meis ſeges

Immenſa

Digitized by Google

Immenſa curis, ne quod ex ullo fluat
Scelus in nepotes. Da, precor, vitæ integros
Cœlo obſequentes, legibus promptos ſacris,
Dignum Abrahamo, dignum & Iſaco genus
Conſtare, ſic & agere, ut infirmum patrem
Adhuc juvet vixiſſe. IOS. Iam volucres celer
Per media cæli ſpatia ſol agens rotas
Lucem quadrigâ librat ambiguâ parem,
Medioque plenum dividens orbi diem
Exhaurit umbras; ſtare ſolliciti patris
Ante ora jam decebat; affatum, ſcio,
Vultumque gnati cupidus abſentis ſitit,
Queriturque longam, quamlibet brevem, moram,
En ipſe fuſo Numen implorans genu
Senio trementes tendit in cælum manus.
IAC. Quid pepulit aures? cujus adventu fores
Crepuere? quiſnam fert gradum contra puer?
IOS. Paterna velox capere, velox exequi
Imperia Ioſeph; nutibus promptum tuis
Me genitor, en me. IAC. Túne defeſſi ultimum
Senis levamen? túne quem Rachel mihi?
Heu cara conjux! ſera poſt Liam Deo
Miſerante mater jam ſeni partum dedit
Meliore tardam prole compenſans moram?
Cor micuit intus gaudio, & fractis nova
Lux fulſit oculis. Sume complexum, & meis
Pendens lacertis gnate, da patri oſculum.
Luctus tot inter, totque ſortis invidæ
Caſus acerbos una ſuſtentas mora
Ioſeph ſuperſtes. Me diu raptum æthere,
Comitem Rachelis vidua repetebat cinis,
Niſi tu teneres liberûm princeps, meus
Sanguis tuuſque. Vivis in Ioſeph parens,
Nec omnis atro clauderis Rachel ſpecu.
Hoc multa miſeris unicum parentibus
Solatium natura commiſerans dedit
Numquam inſuavi prolis aſpectu frui.
Hæc eſt laborum grata magnorum quies,
Hoc eſt ſenectæ gaudium inamænæ ultimum.
Sed ad dolores quantula hæc pars eſt meos
Gnatûm voluptas: gravius hanc etiam ſubit
Agmen timorum, & mœſta curarum phalanx.
Iam me tuorum, nate, metuentem occupat
Memoria fratrum. Prole quam multâ torus
Tam fertilis timore, numeroſâ domo
Aliquid verendum ſemper: hoc conjux habet
Nempe invidendum cœlibi. In Sichimis pecus
Paſcunt paternum, vade veloci via,

Et quæ meorum diſce gnatorum, & gregis
Fortuna : mox celer inde ſuſpenſo refer
Reſponſa patri certa. IOS. Quò jubes, feror.
IAC. Heu ! ſors parentũ miſera, queîs numquã ſatis
Cautum eſt in horas ! fructus hic tori ultimus,
Timere multis, quidquid è gnatis perit,
Perit parenti. Subita quæ obductis diem
Caligo circumfuſa luminibus rapit ?
Vnde inſolenti contremit motu caput ?
Exſanguibus quod ſerpit heu ! venis gelu
Plus quam ſenile ? genua cur greſſum negant ?
Natura ſenſit aliquid, atque aliquid mali
Mihi triſtis augur murmure elingui occinit.
Seni heu ! timentur cuncta : tu meos quoque
Immane quantum creſcis in metus puer.
Ah nate ! nimiùm creduli falſas procul
Vmbras amoris pelle vanè ſuſpicax
Semper ſenectus : fide nunc etiam Deo
Tot in periclis vindici, & ſtellis pares,
Pareſque arenis ſtirpe fluxuros tuâ
Populos daturo. Tu memor tantis parens
Adferre Iacob diſce promiſſis fidem.

CHORVS ACTVS I.

Diſquirit, liceátne Parentibus filios inæquali amore proſequi.

MIſer heu Ioſeph ! multorum odium,
Vnius amor, patri nimiùm
Dilecte puer !
Quàm fœcundam trahit invidiam
Non æquus amor ! quantis emitur
Odiis parium gratia diſpar !
Quid non ſimili maleſane parens
In amore locas, quos ipſa pari
Iungere gaudet natura gradu ?
Omnibus idem Iupiter ; idem
Omnibus æquo lumine Titan.
Nec diſſimili fovet amplexu
Pignora tigris, nec diſparibus
Pullos ſtudiis educat ales.
Tellus eadem frugibus ; idem
Floribus hortus ; diſpenſat opes
Chloris gremio ſemper eodem.
Nec flava Ceres uni mater
Prodiga, & uni ſæva noverca.

Et ſitientes variâ campos
Non rigat urnâ æquabile cælum :
Quem mea rorem bibit herba, bibit
Tua non pejor. Cernis ut æquo
Librare Themis pondere lances
Sancta laboret ? lumina nulli
Magè blanda jacit, velata caput ;
Nulli faciles commodat, arctâ
Cluſas galeâ, pronior aures.

ANTISTROPHE.

Vertite carmen : dicite felix
Ioſeph, magnæ ſcopus invidiæ.
Splendet ab atris virtus odiis
Ducitque diem ; duris vivit,
Creſcitque malis, laudemque ſuis
Trahit ex probris neſcia vinci.
Age nunc fratrum rivalis amor,
Et ſanguineas pectore anhelo
Vindicis iræ concipe flammas :
Coge indigno malè præcipitem
Plorare ſpecu, coge immeritâ
Cervice pati ſervile jugum :
Olim prono timidus vultu,
Supplexque manu, diſces dominum,
Quando magnis jura ſuperbo
Clarum ſolio dantem populis
Non-ſtante coles poplite fratrem.
Tuque ô Iacob bene non ſimili
In amore locas, quos non ſimilis
Ornat virtus. Te quoque ſcimus
Fratre minorem jura paternæ
Rapuiſſe manus. Agare natum
Scimus Abramiden patrio pulſum
Limine, ſylvis erraſſe vagis.
Nec Iovis ales pariter curat,
Sive ſereno proles oculo
Totum geſtit hauſiſſe diem,
Sive retorto pavet aſpectu :
Mox degenerem culmine ab alto
Terræ ſpolium dedit ungue ferox.
Neque tu ſimili luſtras Titan
Omnia vultu. Nec terra parens
Omnibus arvis reddis eodem
Sata læta ſinu. Colle nec omni
Fœta marito vivis Iaccho
Brachia curvas : feſſa nec omni
Regione graves exonerari

Digitized by Google

Pondere ramos arbor anhelas.
Neque tu juſti regula & æqui
Æterna Themis quodcumque pari
Munere penſas. Malè non ſimili
Venit obſequio ſimilis merces.
Emitur meritis bene diſparibus
Gratia diſpar.

ACTVS SECVNDVS.

Simeon & Levi deliberant de perdendo Ioſeph, ac repugnantem Rubenum in partes trahere conantur.

SIMEON. LEVI. RVBEN.

SIM. IN noſtra natus damna, Rachelis genus,
Ioſeph, timendus ſemper, & numquam ſuis
Sat invidendus, vivit? ô fratrum pudor!
Vt in paternæ creſcat exitium domus;
Noviſque toties impotens ſomnis caput,
Superbus olim dominus, & ſui immemor
Nos inſolenti ſubditos calcet pede
Natu priores? fuerat hoc etiam parùm
Quod noſtra durus ſcelera punivit pater
Hoc proditore, niſi Deo tumens puer
Moleſtus augur cæteris, bonus ſibi
Præcineret olim ſupplices (fari pudet)
Et nos futuros? LE. Rapuit affectum patris;
Et dividendum pariter in totum gregem
Abſtulit amorem ſolus, invidiæ capax
Majoris; & ne fratribus deſit probrum,
Variâ triumphat veſte pretioſus puer.
SIM. Ignava, fratres, turba, quin malis paras
Obſtare tantis? veniat, & mentem occupet
Par ira probro. LE. Nempe Simeonis manus
Dinæ pudorem clade tam magnâ virûm
Quæ vindicavit, languet ad pueri necem?
SIM. Dedatur umbris; fata multorum, unius
Redimenda fato. LE. Cauſa ſed noſtrum poteſt
Tardare facinus una, miſericors Ruben.
Non ille ſocias fratribus junget manus;
Obſtabit etiam; novi ego ingenium viri
Flexanime puero. SIM. Novi ego ingenium viri
Audere promptum; patrius hoc didicit torus.
Facilè obſequetur. LE. Ipſe fert contra gradum;
Adeamus.

Adeamus. SIM. Hic eſt, qui tuum, Ruben, dies
Ad auſa fratrum magna conatum petit.
Molimur aliquid ; ſocia te vocat fides.
RVB. Natura fratres junxit, & junget fides.
Profare Simeon. Ira turbatis recens
Quæ ſpirat oculis ? SIM. Ira commotas agit
Non media fibras, fateor ; accenſum æſtuat
Dolore pectus ; quodque me torquet magis,
Vritque, puer eſt, qui meo diras faces
Subdit furori. Vah puer ! pœnas tui
Dature ſomni. Sis vel amplexu patris
Defenſus, illo rapiet hæc ſontem manus,
Matrique junget. Quid retrò ignavus pedem ?
Exhorruiſti ? facinus haud fiet novum.
Cain præivit : eſt & in noſtrâ domo,
Ductor nepotum, patruus ; illius manu,
Procul ad Labanum ni refugiſſet, pater
Olim jaceret. RVB. Quis novus plagas dolor
Obliviofo jam propè obductas ſitu
Exulceravit ? unde tam ſævam cinis
Sepulta flammam fomite accenſo extulit ?
SIM. Sic exciderunt odia ? non animum fodit,
Vrgetque in iras vindices haud unius
Memoria ſomni ? non adorantes memor
Solvis maniplos ? Solis auratum caput,
ubarque lunæ argenteum, & rutilas faces
Numero haud inani ſupplices, eventibus
Portenta feris ? ſcilicet turpi jugo
ratres, & ipſum deſtinat, pudor ! patrem
Malè ominatis turgidus viſis puer.
Quid vetera querimur ? aliud ex alio minax
ert ſomnus omen. Iam meum inflammat latus
miſque piceam viſceribus abdens facem
Pectus fatigat furia, & ultrices manus
n arma poſcit. Nunc tibi oſtendam puer,
Quid vana proſint ſomnia ; hic tandem dies
Non-vera prodet fata nocturni auguris.
RV. Meliora Simeon ; comprime effrenē impetum
Gliſcentis odii, corque populantem doma
lammam furoris. SIM. Pectus ambuſtum igneus
Depaſcit ardor. Vnus hunc cruor poteſt
eſtinguere æſtum, ille, ille. RV. Quid? pueri cruor?
IM. Olim Tyranni, vera ſi portat ſopor.
VB. Et eſſe vanis tu putas ſomnis fidem ?
I. Ne ſit, cavendum eſt. RV. Ludit & viros ſopor.
IM. Sæpe habuit omen. RVB. Sæpiùs dolum.
SIM. Iuvat
ræoccupare. Noſtra erit tuto in loco

Fortuna, ſi quod fata portendant malum.
RVB. Certare puero turpe; ſi placuit ſcelus,
Alium tibi hoſtem, qui virum deceat, lege.
SIM. Sat dignus hoſtis, qui nocet, quamvis puer.
RVB. Ecquid nocere, ſi velit, puer poteſt?
SIM. Rogas? tenentur ſomnia. Superbo improbus
Me, teque, & omnes, & patrem calce obteret,
Ac domita franget colla, fatorum minas
Hæc niſi refellat dextra, & avertat probrum
Grave ſervitutis. RV. Frater eſt. SI. Hoſtis quoque.
RV. Fraterque Ioſeph. SI. Tangis hic ipſos metus.
Ioſeph! dolori ſubdit atroces meo
Vox illa ſtimulos. Non leve eſt puer malum;
Ioſeph timetur. Egon' ut incurvâ obſequens
Cervice, famulas humilis admoveam manus
Major minori? vilis ad genua accidam?
Meaſque Ioſeph tumide Simeonis preces
Olim jacentis aure ſurrectâ bibas?
Prohibete Superi probra. RVB. Si placuit polo,
Quiſnam refiget legis æternæ notas
Adamante ſcriptas? SIM. Illa Simeonis manus.
Stat experiri, reperiet ferro viam
Per ipſa victrix fata. RVB. Sic reris Dei
Conſilia vanis firma turbari minis?
SIM. Ioſeph docebit, victima infelix meis
Litanda manibus. Noſtra tu tantum pari
Ad auſa niſu haud degener veni. RVB. Tenet,
Retrahitque pietas. SIM. Ergo pietatem putas?
Scelus eſt. In unum, noſtra ſi cœpta adjuves,
Peccas; in omnes, ſi abnuas. Pecca minus,
Cum cogeris peccare. LE. Quod cuncti probant,
Cur refugis unus? RVB. Si fugæ cauſam rogas,
Hæc una abunde eſt, quod jubes frater ſcelus.
Egon' ut manus cruore cognato inquinem,
Meumque demens cuncta in exitium vocem?
Nimis ille noſtros errat ante oculos Cain
Exul, pavens, inviſus, hoſtis omnium
Suuſque, cælo pariter ac terræ gravis.
Aderit profecto Numinis vindex manus,
Pœnaſq; reperet. LE. Timide. R. Ad exemplũ patris
Avi, atque proavi. LE. Quid moras curſu objicis
Iam concitato? prohibeas licet, tamen
In deſtinatum facinus abripior. RVB. Preme,
Preme frater iram. Reſpice ad avitam domum,
An deceat hoc te. SIM. Reſpice ad patruũ; decet.
RVB. Quin ad Abrahamum reſpice, Iſaacum, patrẽ.
Hac procreatum ſtirpe par avis vocat
Virtus nepotem: pectus animoſum æmulus

Succendat

Succendat ardor; te tuum hortetur genus.
LEV. Et ille ferrum ſtrinxit in pueri caput.
RVB. Iubente cælo. Non furor rapuit virum,
Sed trepida pietas. SIM. Quid meas etiam tenes
Ingratus aures monitor? implacabiles
Fert animus iras, hæret exeſis tenax
Invidia venis, igneam inflammans ſitim.
RVB. Tuum ipſe Simeon ſanguinem demens ſitis.
SIM. Meum? RV. Parentis numquid unius genus?
SIM. Sed non Rachelis. RVB. Lia Racheli ſoror.
Per utramque matrem, perque commune patrem.
SIM. Omitte patris nomen. RVB. O nimiùm patri
Dilecte Ioſeph! LEV. Odia multorum trahit,
Qui placuit unus. RVB. Vivit in puero ſenex.
Perire fratrem ſi cupis, patrem cupis.
SIM. Hoc eſt quod avidam tenuit à cæpto manum.
Pridem ſub umbras iſſet æternas puer;
Patri peperci. RVB. Nunc & in patrem furis
Fruſtra miſericors, fruſtra adhuc fratri pius?
SIM. Adhuc peperci, fateor; ulteriùs vetat
Vrens medullas ira. RVB. Sed pietas jubet.
Pars aliqua noſtri frater eſt, ſanguis meus,
Tuuſque Simeon; ſi parum hoc, etiam patris,
Servandus hic eſt. Genitor occurrat tibi
Grandævus, aſtris carus; heu! quas lacrymas,
Quos ille gemitus, quos miſer planctus dabit!
SIM. Quis noſtra prodet auſa? RV. Qui ſolet, dies.
Quin teſtis animus, & ſuum accuſans ſcelus,
Semperque pavidus vindicis pœnæ metu,
Se prodet ipſe. Nihil in occulto eſt diu,
Cum trepidus urget conſcium pectus timor.
Sed fac latebris crimen æternis premi,
Tamen orbitatis triſte tormentum novæ
Devexa miſeri fata properabit ſenis.
Graves peroſus lucis ingratæ moras
Et huc & illuc vota non certus feret
Suum requirens ſanguinem! Evulſis ruet
Canis. & atras quæret umbrarum domos,
Nulli ſatis ſolandus, & natum ſequi
Properabit. Illum, ſera ſeu cadet dies,
Seu prima ſurget, voce lachrymabili
Geminabit. Heu me! Sancta canities ſenis,
Et qui perire neſciet patris dolor,
Te mente ab iſtâ moveat. Haud unus cadet
Ioſeph, in uno capite mactabis duos
Bis parricida. Redde te tandem tibi
Iam melior, atrâ recipe turbatum face
Pectus; nec umquam labe tam immani domus

Hæc polluatur? Eſt & hoc noſtro probrum
Infame generi, criminis tanti viam
Vel cogitaſſe. SIM. Neſcio quid intus meis
Tremuit medullis. Serpit invitos gelu
Pigrum per artus, labitur ſegnis manus,
Ferrumque refugit; pectus extincto riget
Ardore, pereunt odia. Nolentem quoque
Natura vincis. O Ruben! melior Ruben
Simeone! Ioſeph vivat, in Ioſeph pater.
Quid hoc? recedis? tam citò imbellis furor
Vinceris amori? ſegnis, excors, deſeris
Benè inchoatum facinus? ô iners manus!
Elumbe pectus! ſicne violatæ efferum
Nuper ſororis vindicem invaſit tremor?
Conſta anime, conſta, perge. Si parcis patri,
Parces & illi. Rurſus increſcit dolor
Ex ſe renaſcens. Aude age, & ſimilem tibi
Te redde Simeon, qualis Hævæo ferox
Stabas Tyranno, ſtrage cum vaſtâ in Sichem
Patrii furebas generis ulturus probrum.
RVB. Quid rurſus odio temet in furias agis
Majore Simeon? durus, intractabilis,
Sine mente, monitis ſi negas aurem meis
Bene obſequentem, ſtabo; Simeonem Ruben
Major minorem comprimam. Irato dabis,
Negata precibus. LEV. Certa ſi fratrum negas
Decreta concors exequi, at patiens tamen
Permitte. RVB. Lucis teſtor auctorem, abditæ
Secreta mentis ima penetrantem Deum,
Pars nulla tanti ſceleris innocuum attigit
Pectus Rubeni. LE. Si quod eſt, cunctis ſcelus
Peragitur; omnes pariter hoc habet reos,
Quorum iſte magnos vivit in metus puer.
SI. Diſceſſit? itáne eſt? quod potes, quod non potes,
Molire; numquam caſſibus cluſam meis
Prædam revelles: quà voles, tege, occule,
Tuere; vincet illa Simeonis manus
Per tot viros funeſta. Cur non turpibus
Ferrum latebris jam diu indignans premi
Mea dextra ſolvis? ſolve, ductoque emicans
Mucrone in unum viribus totis caput
Librata pende. Tumuit, exarſit gravem
Suſpenſa in ictum quærit in cujus caput
Effundat iras. O bene! agnoſco manum
Simeone dignam. Quando? vah turpem moram!
Hîc ſtaret utinam victima in vulnus meum
Parata Ioſeph! anime prægusta necem,
Iuvet ante tempus ſcelere meditato frui.

Hîc

Hîc cerne fratrem : tremuit, expavit, manus
Supplex tetendit, per pium Abrami genus,
Per & parentem, & jura naturæ, puer
Vitam precatus. Poteris immerſo latus
Inerme pueri genua complexi, ferox
Haurire ferro ? pectore in parvo impium
Abſcondere enſem, viſcera & ſtillantibus
Nudare coſtis ? poteris ? hoc Sichem roga ;
Si me ipſe novi, potero : non veniet rudis
Ad iſta Simeon ; cæde tam magnâ virum
Præluſit olim ; per tot ingentûm abditos
Sinus recluſâ pectorum graſſans viâ
Adhuc cruore dextera Hevæo calet,
Novumque anhelat ; dabitur. At quodnam placet
Genus ultionis ? hic meos furens Cain
Oberrat oculos pronus in Abelis caput.
Vis hunc ſequamur anime ? num ferro magis
Armatum & igni placuit Abramum ſequi ?
Et huc, & illuc mente non ſanâ feror,
Eligere certum neſcius pœnæ genus.
LEV. Errare properat pronus in malum furor.
SIM. Omnis furori longa properanti mora.
LEV. Conſilia magni longa conatus petunt.
SIM. Conſilia perdunt longa vindictæ locum.
LEV. Vindicta certa eſt, quære vindictæ modum.
SIM. Se prodet ipſe. Non poteſt ſceleri modus
Vmquam deeſſe. LEV. Parce jam ; tacitis minis
Odium prematur. Tegere qui potuit, nocet.

C H O R V S

Docet qui fiat bonis Parentibus ſubinde naſci filios malos.

FAtis heu ! quoties deterioribus
  Probo naſcitur improbus,
Os patri ſimilis, non animum puer ;
  Et quàm diſtat avo nepos !
Semper lege pari non ſequitur genus
  Morum nobilis indoles.
Naturæ vitium deficientis, an
  Pravi id dixeris ingenî ?
Naturæ potiùs degeneris. Vides
  Tellus ut malè germinans
Duris agricolûm haud æqua laboribus
  Rari munere fœnoris
Sudores miſeros penſat, arantium
  Magnis invida meſſibus ?

Non jam fundit opes divite copiâ,
Largo nec Cererem ſinu,
Vt quondam docilis Triptolemi jugo:
Vix ſed reddit avarior
Parco ſemen agro, quod tulit ubere
Sparſum ruricolis manu.
Heu! pomum ſterili cernis ut infrequens
Nunc ramo malè pendeat,
Carpentumque avidas ludificet manus
Putri vermiculo cavum?
Sic eſt. Deficiens omnia ſubripit
Velox in vitium dies.
Retrò cuncta fluunt. Nos quoque, ceu ratis
Prono flumine, & Africo,
In pejus ferimur; nec patriam puer
Premit devius orbitam,
Hæres certus opum, non ſapientiæ.
Quin & mox vitioſior
Stabit progenies, nec ſimilis patrum
Ætas poſthuma. Quid tamen
Naturæ miſeri carpimus ordinem?
Hic culpâ & vitio vacat.
Stat cuivis animi libera vis ſui,
Probo hæc dividit improbum.
Nulli triſte jugum lex adamantina
Peccandi poſuit, neque
Vrgent fata ſcelus. Vivere nunc probis
Vt quondam licuit, licet;
Sed non quod licuit, libet.

ACTVS TERTIVS.

Ioſeph ad fratres venit, quem occidere moliuntur; ſed Rubeno deprecante manus abſtinent, atque ad ciſternam pergunt.

SIMEON. LEVI. IOSEPH. RVBEN.

SIM. Fallor? paternâ numquid huc vates domo
Velox ſupino promovet clivo gradum?
Ipſe eſt; tenetur. Fida nunc fratrũ manus
Adeſte; noſtros augur, en, caſſes ſubit
Nimiùm ſui ſecurus. O bene! callidis
Numquam explicandos induit pedes plagis.
Inſurge in iras anime; & ingentis capax

Digitized by Google

Furoris, ignem cinere ſopitum excita.
Nunc vetera recole probra; nunc ſomni minas
Triſtes revolve; corque tot læſum malis
Aliquando ſerus mitiget tandem dies
Vltrice dextrâ: quidquid eſt adhuc probri,
Vno expiabis vulnere; hoc age, & gravi
Dolore temet libera. En properè advolat
Suumque vates cæcus in fatum ruit.
Libet ire contra. Quis pedem ligat ſtupor,
Retroque cogit? unde non meo redux
Motu refertur, obice ut objecto, gradus?
Vnde ille gelidis ſudor erumpens genis?
Quis agitat horror membra? vah! Simeon! tremis
Ignave? puerum nempe in abſentem ferox,
Præſente timidus? ſicne Simeonem probas
Illâ ſuperbum ſtrage? jam mei pudet
Memet; puer timetur. Vbi torvum intuens
Minaxque vultus? ubi lacertorum tori?
Vbi pectus audax? quæque non ignobili
Defixa jugulo dextra, tam magno tepens
Læſit virûm cruore? vah! nimiùm tui
Oblite Simeon! frater eſt. Frater? cadat
A fratre. Fibras occupa ô Cain meas,
Et parricida non inexpertus manum
Ad facinus ingens dirige. In terris novus
Abel revixit; vivat & novus Cain.
Emerge ab atrâ nocte; quâ premeris, gravem
Molire terram; pectus hoc toto, licet,
Imple Caino; non adhuc magno ſatis
Ardebit odio. Pejor eſt Abel meus
Abele primo, pejor & veniam Cain.
LE. Celer huc propinquat. reprime tãtiſper minas,
Vultumque Simeon finge. SIM. Non patiens premi
Tumet ira; frænos neſcit erumpens dolor.
Leviter furit, quæ flamma celari poteſt.
LEV. Graviùs repente flamma, quæ latuit, nocet.
IOS. Tandem ora fratrum optata, longarum arduo
Tractu viarum per tot errores datum
Videre: feſſos urget in curſum pedes
Impetus amoris; nunc tuli optatum viæ
Fructum, & laboris, quando tam caros licet
Spectare vultus; & frui affatu. Bene eſt.
Ad hoc juvat veniſſe, & amfractu horridos,
Atraque cæcos nocte, poſſeſſos feris,
Metu gradum ſtimulante, & imperio patris,
Superaſſe ſaltus. Pectus inſolito micat
Ardore; tremulis ſanguis in venis ſalit;
Cor palpitat; natura prô nimiùm potens

Fraternâ

Fraterna quanto viſcera affectu tenes !
Quid hoc ? acerbis mæſta quæ nubes ſedet
Genis ? ſevero quis ſupercilio dolor
Non uſitatus vultui vultum abſtulit ?
Heu me ! minaces fronte cur torvâ ferox
Defigis oculos frater ? SIM. Hoc augur rogas,
Toties inani numine afflatum caput ?
Vah vana pueri viſa ! IOS. Quæ timido furens
Minare Simeon arma ? SIM. Veridicus ſopor
Celavit hoc te ? ſomnii pœnas tui
Ades daturus. IOS. Frater ! SIM. Imis expuli
Viſceribus ; hoſtem nunc voca. IOS. Heu! Simeon.
SIM. Manum
A genibus aufer, perdis incaſsùm puer
Nil profuturas morte decretâ preces.
IOS. Quæ cauſa mortis ? SI. Si necis cauſam petis,
Pete ſomniorum. Dexteram hanc dudum tuo
Rubuiſſe decuit ſanguine ; ô lentas nimis
Simeonis iras ! nunc tuo pronos vide
Fratrum maniplos ſtolide, nunc ſtellas tibi
Lunam atque Solem ſupplices : tandem auguri
Optata vates præmia iterati refer.
Nunc morere. Non te manibus eripiet meis
Spes ſomniorum vana. IOS. Per junctas manus,
Per jus amoris, perque cari pectoris
Reſeranda ferro viſcera, heu ! Simeon moram
Concede precibus, te per & proavi pios
Avique cineres, per quod eſt carum tibi,
Miſerere : vitam innoxius frater peto,
Nulli puer timendus. Hoc meruit genus,
Paterque meruit. LEV. Prævios matris puer,
I, ſequere manes : filium Rachel vocat.
SIM. Ceſſamus ? imis non adhuc ferrum fibris
Recepit augur ? RVB. Siſte furialem impetum,
Puraſque ſerva ſanguine à caro manus.
Pars magna patris, quam necas. SI. Serũ eſt. Cadat
Vmbraſque noctis, & minas ſomni hoſtiâ
Placemus iſtâ. RVB. Tangit & feras amor
Generis. Nefanda cæde nos teque inquines,
Sanctæque noxam ſtirpis in probrum trahas
Inexpiandam ? decuit hoc Abrâ ſatos,
Quod barbarorum nulla progenies probet,
Nulla & ferarum ? dexteram ferro amove
Etiam ante vulnus impiam. SIM. Vt cœpto avocer?
Librata in ictum ut concidat manus ? prope
Facinus peractũ ut deſerã? R. Haud æquè eſt nocẽs,
Qui voluit, & qui fecit. SIM. Hoc feram nefas ?
Inultus ut ſim ? dirus ô viro pudor !

RVB.

RVB. Laus iſta potior, crimine infecto impios
Damnas quod auſus. Si tamen nimiùm hoc fuit
Servare fratrem, at mitius pœnæ genus
Natura meruit. Non ut indemnis peto
Paterna repetat tecta, fratreſque arguat
Diri miniſtros facinoris; noſtro ſatis
Quod ſit furori, merſus horrendo ſpecu
Mœrore contabeſcat & lentâ fame
Dum non ſceleſtas inquinet fratrum manus,
Nobiſque noſmet exprobret caſtus cruor
Fraterna damnans odia, & ultrices polo
Poſcens favillas. Cur ſcelus placuit? ſcias
Sine te mori quem poſſe, cur perimas nocens?
Ferro feroces facilis abſtinuit manus,
Hoſtem ſine illo cadere qui ſenſit. Malè
Genus ultionis triſte crudelis legas,
Vindicta fructum ſi minor parem tulit.
Age pone ferrum, pone. Qui inſonti poteſt,
Tibi cur ſceleſto pereat? abſtruſo gemens
Vitam ſub antro, quà poteſt, frater trahat.
SIM. Etſi repugnat pronus in cædem dolor
Bibiſſe anhelus ſanguinem, hocque in ilia
Merſiſſe ferrum; vincor ingratâ tamen
Pietate; longâ vincor invitus prece.
LEV. Ciſterna mediis aret in ſilvis vetus,
Vis hanc petamus? IO. Da moram, heu! brevē moram;
Miſerere, tremulas genibus heu! tendo manus;
O Iſſachar! Dan! Nephtali! ô annis prior,
Pietate melior, conde me tuis Ruben
Fratrem lacertis. RVB. Quid meo hærentem ſinu
Puerum revellis dura Simeonis manus?
SIM. Conceſſa vita eſt, munus hoc ſummum puta.
RVB. Quid proderit vixiſſe, ſi lacu abditum
Alto dolorque & longa conſumat fames?
SIM. Cruore necdum dextra quod ſacro madet;
Parúmne precibus hoc datum tuis? pudet
Ceſſaſſe; prompto debuit ferro mori;
Iam non rogares. Mitte quas perdis preces,
Meumque ſocias junge ad exemplum manus.
Quid te reflectis? nempe nunc ſerò pius
Poſt læſa patris jura. Sic tantùm geris
Sceleribus aptum ingentibus pectus, fugis
Minora? fratri miſericors, patri impius
Horrente thalamo? ô ſemper in parvis iners!
Ad auſa velox grandia! RVB. Hanc malè exprobras
Laudem prioris quod pudet noxæ? dares
Veniam dolenti ſatius. Horreſco, execror
Quod patrius in me vidit, & flevit torus.

Hinc

Hinc nequa ſceleris hæreat labes novi,
Abiſſe propero ; gravior ex illo venit
Timor piaclo. LEV. Aſſequere, jam fugiens dies
Properare cogit ; quid ſeris fando moras ?
IOS. Brevem moram largire. Si cogis mori,
Permitte fletum. Sume, quæ ſeni oſcula
Reddas parenti, & ultimo amplexu Ruben
Hanc aufer animam. Pectore ô utinam meo
Has inter ulnas ſpiritum eliſum exprimat
Fraterna pietas. RVB. Quid meo pendes puer
Maletute collo? IO. Frater ! RV. Heu Ioſeph! labat
Semianima vox, cor palpitat luctu, gemunt
Miſerata fratrem viſcera, undantes ruunt
In ora lacrymæ. LEV. Lumina induret ſilex.
Vbi odia regnant, nullus eſt lacrymis locus.
SIM. Etiámne reſtat ? rapite, properato eſt opus.
RVB. Ite, ite, ferro pectora, & chalybe obſita,
Abræ nepotes ite, & his pium genus
Probate factis. SIM. Quò pedem àverſus rapis ?
RVB. Quò ratio, quò natura me revocat. Scelus
Me teſte nullum fiet. SIM. Hanc vecors fidem ?
RVB. Præſtanda non eſt, ſcelere quæ conſtat, fides.
IOS. Heu frater! heu me ! quò feram preces? Ruben
Cui me malo relinquis ? ô carum genus
Ad vos recurro ; patere me tuis Levi
Accidere genibus, patere me Simeon tuis.
LE. Iam nil precandum: ſequere quò vocat ſpecus.
Confide ſomnis; dabitur augurio locus ;
Ne metue, vatem longus excipiet ſopor.

CHORVS

Docet fruſtrà conari homines adversùs Divinam Providentiam.

----- Non hæc ſine Numine Divum
Eveniunt. ---------

QVem mens provida Numinis
Defenſum clypeo non penetrabili
Tutatur, latuit bene.
Quæ deprenſa feris agna leonibus,
Quos longa exſtimulat fames,
Iam paſtura truces præda brevis gulas ;
Immanemque voraginem
Abruptarum avido gutture faucium,
Tremens victima belluis ;

Numen

Digitized by Google

Numen ſi voluit, tuta ferocium
Stabit rictibus hoſtium.
Et quæ præſidii nuda, rapacium
Diris accipitrum unguibus
Impar hæret avis, diffugiens trucum
Ludet roſtra volucrium,
Et cælo volitans garrula libero
Solvet guttura cantibus,
Numen ſi voluit. Spicula fundite,
Ferrum ſtringite Noricum,
Flammarumque globos æqua tonantibus
Ructet machina nubibus,
Dirum Martis opus; nil timidus mori,
Securuſque animi dabo
Loricâ vacuum pectus, & ægide,
Audax mille periculis
Objectare caput caſſidis indigum
Tutus vindice Numine.
Me non Ionio gurgite naufragum
Pendentem tabulâ levi
Aut Neptune ferox, aut Aquilo impotens
Tutum Numine merſeris.
Quid miſtas lacrymis ſollicitudines
Triſti cluſe puer ſpecu
Ioſeph mente coquis? non ſine Numine
Res duræ veniunt bonis.
Non ſi nunc odiis victus, & invidi
Atrâ pectoris indole;
Sic olim. Veniet mox melior dies;
Et tot prodita ſomniis
Fatorum ſeries non violabilis
Certâ lege probabitur,
Promiſſamque viro reſtituet fidem.
Premunt non ſine Numine
Vllum fata, levant nec ſine Numine.

ACTVS QVARTVS.

Quemadmodum Ioſeph in ciſternam miſſus ſit, extractus deinde ac venditus, miſſâ tunicâ hædi ſanguine tinctâ ad parentem Iacob, Nuntius exponit Choro.

NVNCIVS. CHORVS.

NV. O Rara fratrum gratia! ô malè ſanguinis
Servata toties jura! vah nocens Cain,
Cui prima tabo rubuit innocuo manus,
Novoque

Novoque docuit ſcelere naturam mori.
Parùm unus Abel: abiit in ſeros furor
Tradux nepotes; parricidarum ſcelus;
Exemplum in ingens omnium peccas Cain,
Etiam cruoris avida fraterni ſitis,
Pudor! occupavit Abræ & Isâci genus,
Pium in parente germen, in prole impium,
Quod deceat Eſau, quod Cain deceat patrem.
CH. An pertinaces furere, ad audendum impulit
Invidia dextras? numquid eliſo induit
Manum cerebro, parvulum an ferro latus
Hauſit, vel alti montis excuſſit jugo
Fraterna rabies? Fare, quæ puerum gravat
Fortuna? NVN. Mediis aret in ſylvis vetus
Ciſterna; quondam biberat Abrami pecus
Pecoriſque cuſtos; mœſta nunc facies loci,
Miſtuſque tenebris horror, abſtruſa undique
Celant feras ſpelæa. Veſano impetu
Huc rapitur inſons; non pari fratres gradu
Frater ſecutus. Faucibus ut antri ſtetit
Immanè hiantis, genua colliſus metu
Inuſitatum mortis expavit genus,
Imoque vocem pectoris rumpens ſinu,
Majore gemitu, viſcerà educto prius
Scrutare ferro, dixit, & neci precor
Damna immerentem, quiſquis es fratrum pius.
Mors odia claudat, recipe ſperatum diu
Fructum furoris; quod potes, neca, & tuo
Pretium dolori ſolve, pietati genus
Concede mortis. Plura properantem tremor
Vberque medias fletus in preces cadens
Tenuere. At odiis hinc magè incenſus fibras,
Suique Simeon plenus, irâque æſtuans,
Artus trementes nudat, & violens togam
Sponte obſequentem parvulis vellit toris.
Stat tenera nudus membra, & inſtantem tremens
Mortem metu conſumit, haud multum ſui
Pœnæ relinquens; agnus ut fumantibus
Devotus aris, vellere intacto tener
Pavore tremuit oſſa, mox jugulum ſacro
Cultro daturus. Tum truci raptum manu
Immergit alto, ſæpe moriturum ſpecu
Vivumque ſepelit. Scelere perfecto caput
Dirum renidens quaſſat, & fata exprobrans
Puerum triumphat augurem. Hoc habet; cavo
Solem ſub antro & ſidera, & pronos ſibi
Fratrum maniplos ſpectet: hic tenebræ bonis
Favete ſomnis; fauſta nunc ſibimet, licet

Anguria.

Auguria vates, quà volet, tutò canat.
CH. Luctúſne cluſum, & atra conſumpſit fames?
NVN. Vt ſenſit altâ mole telluris premi
Tetrâque cingi nocte, miſerandùm ingemens
Antra ejulatu complet, horrificum ſpecu
Reddente ſonitum, mox vagæ circum ilices
Tremuere mœſtas fronde concuſsâ comas;
Et quæ propinquo ſubditur montis jugo
Miſerata puerum vallis, & pariter dolens
Planctum remiſit. Prima vox patrem ſonat,
Suprema patrem. Vana ſed poſtquam peti
Auxilia ſenſit, indolem in pectus vocans,
Meditanſque Isâcum patrio vinctum manus
Quondam ſub ictu, lumina & palmas gemens
(Heu merſa lacrymis lumina, & tremulas metu
Quatiente palmas!) tollit, & avitâ puer
Virtute diam rebus in ſummis opem
Sperare certus, voce lamentabili
Cœlum fatigat. Nulla fraternas procul
Vox pepulit aures. Iamque naſcentem polo
Noctem trahebat pronus in caſum dies;
Sumptæque tandem ſatura vindictæ dabat,
Animis recedens ira pietati locum;
Cùm mente Iudas melior: an merſum ſpecu
Facinus, ſepultum nocte, ſperaſti ſatis
Texiſſe Simeon? nempe ſperabat Cain.
Sua quemque produnt odia, nec latuit benè
Quodcumque cœlo teſte patratum nefas.
Aderit flagellans conſcium pectus timor,
Nec mutus olim fratris innocui cruor,
Vt quondam Abelis, aſtra ſuperans queſtibus
Pœnas repoſcit. Vivat, & venum datus
Famulare collo ſubeat inſueto jugum,
Aliena patiens fræna; conſtabit tuo
Pretium dolori, crimine at nullo, procul
Culpâ necare cum potes, culpam eligis?
CH. Vllúmne dederunt odia conſiliis locum?
NVN. Dedêre, tenues ira relliquias trahens
Ceſſit medullis pulſa naturæ locum.
Vt cum furentum certat Æolidum phalanx
Moviſſe pelago bella, fundoque excitos
Imo retorquens gaudet alliſos polo
Voluiſſe fluctus; jam recedentes ſalo
Poſuere, planum ſternitur mox fluctibus
Æquor ſubactis, placida pax ponto redit.
CH. Quid deîn parenti? fraude quâ involvût ſcelus?
NVN. Torquentur animis, jacet in ambiguo ſcelus
Tam propè peractum: prompta ſed ſemper dolis

Ingenia facilem prava repperiunt viam :
Priorque Simeon : agite, & hædino togam
Cruore tinctam, morte ſimulatâ, obvius
Quicumque noſtri tutor armenti puer
Tanti ad parentem nuncius portet mali.
CH. Heu qui malorum turbo, quam fœdis tumens
Procella nimbis vertici cano incubat !
Miſerande Iacob ! omnis in tuum caput
Deſpuet atroces ſæva tempeſtas minas.
I nunc, & ambi fertilem prolis torum
Malè conjugalem ; quantus ex illo æſtuat
Gurges dolorum ! quin magis magnâ unius
Virtute gaude genitor, ingentis domus
Penſante numerum. Vita cur tanto ambitu
Longæva placuit ? numquid in luctus tuos
Olim videndis liberûm dulce eſt malis
Vixiſſe, ut oculis vulnera, & cædem haurias
Miſer tuorum ? ignare fatorum parens
Ad mille luctus, funus extendis tuum,
Crudelis in te. Heu genitor in caſus ſenex
Servate quantos ! profuit multis mori.

CHORVS

Docet tolli alios in altum, ut lapſu graviore ruant ; alios premi, ut altius extollantur.

MVtant fata vices : ille favonio
Quem vectum facili cernis, eburneo
Sublimem ſolio, & non imitabili
Majeſtate ducem jura minoribus
Dictantem populis ; mox ſtipis indigus,
Terræ pondus iners, illachrymabilis
Vulgi ludibrium, pauperiem & probrum
Prodet teſte manu. Quem modò ſordidæ
Vappam plebis, olentûm ex grege fugeras
Faſtiditum oculis ; nunc humilem ſuper
Turbam conſpicuus conditionibus
Gaudens Attalicis, ordine faſcium
Hærentum lateri, & pone ſequentium
Defenſus, timidorum ara Quiritium,
Terrarum dominis par graditur Diis.
Mutant fata vices. Cernis ut ardeat
Plenum luxurians tollere verticem
Arbor ſacra Iovi ? nunc placidas bibit
Auras, & Zephyro gaudet amabili

Digitized by Google

Incriſpaſſe comas. Mox patiens truces
Lapſuris ſubitò frondibus Africos
Damnoſaſque hyemes, nuda caput, malæ
Porget digna joco brachia grandini.
At quæ ſuſtinuit jam fugiens gelu,
Diſſolvente nives ſole, cacumina
Vernis grata feret dives honoribus.
Te ſi præcipitem Diva, volucribus
Circumvecta rotis, neſcia mobilem
Defixiſſe gradum, culmine proruens
Nudum divitiis exuit, & lare:
Æquâ mente levem riſeris aleam
Fluxæ ſortis; opum, non animi minor.
Mox, cùm fata volent, fœnore prodigo
Amiſſam referet blanda pecuniam
Sors, auctura domum: nobilis ingenî
Ingentiſque animæ, qui Dominam tulit
Nil motus ſolido pectore. Tu quoque
Germen dignum Abrahâ, non humilis puer
Ioſeph, nunc latebris abdite turpibus,
Olim dives opum, & murice nobilis
Sublimi feries ſidera vertice.

ACTVS QVINTVS.

Iacob acceptâ tunicâ filium plorat.

CHORVS. IACOB.

CH. ELinguis atque exanimis effuſos ſolo
Proſtravit artus genitor: immanis ſenem
Dolor ſubegit. Trepida famulantum calent
Officia, nardo tempora & fovent mero,
Firmantque vario languidum unguento caput.
Recepit animam; redditur vultu color:
Suſpirat, altumque ingemit; canos manu
Turbat verendos. Prima conantis loqui
Hæret palato vox, & in fauces redit,
Querulumque ſummis murmur in labris ſedet.
IAC. Ioſeph! CH. Reliquias vocis abſorbet dolor,
Et fracta crebro verba ſingultu labant.
Eheu! manu tremente contrectat togam
Tabo fluentem; ſtringit amplexu, oſculo,
Lacrymas cruori miſcet, & ſecum exigit
Quâ parte mortem ceperit gnatus: ſtupet,
Errorque fidei pugnat, & amori dolor.
IAC. Hæc illa veſtis? illa quæ parvum bene

Complexa corpus textili ornatos ſinu
Tegebat humeros palla? non idem color;
Nec ipſa, & ipſa eſt. Nate ſic patri redis?
Non talis ibas. Iuſſa peccarunt mea,
Ego te peremi. CH. Vincitur luctu novo;
Et regere feſſos impotens artus, caput
Iterum reclinat languidum. Heu miſerum patrem!
IAC. Ad hoc ſuperſum? ſic parum fueram miſer?
Niſi ad dolores hoc quoque acceſſet meos?
O dura Iacob fata! ſic placui polo?
CH. Hoc lege Numen ſanxit æternâ, probis
Sors ut veniret dura. IAC. Quid prius gemam?
Aut unde queſtum ducat incertum dolor
Malis tot impar? conjuge amiſsâ puer
Meus ille Ioſeph cecidit, heu Ioſeph meus!
CH. Qui ſævientis odia fortunæ tulit,
Vicit ferendo. Caſibus duris quati,
Animoque frangi, eſt in malo duplex malum.
IAC. O morte pejus orbitas patri malum!
Ad hoc te amabam nate, ſolamen ſenis
Vnum, & voluptas, liberûm ex tanto grege
Spes prima, & ingens patriæ columen domus?
Heu vana pueri ſomnia! CH. Vt quatiens jubas,
Rictuſque magnam accenſus in prædam leo
Acuens feroces, nobilem armento legit
Generoſus hoſtem; vile non placet caput,
Nec media cervix; fronte ſed torvâ minax,
Cervice durus quæritur taurus, feræ
Tantis minores præda non digna unguibus;
Sic optimum mors quemque, contemptâ virûm
Turbâ, ſubactum ſtravit, umbriſque addidit
Non humile ſpolium. IAC. Scena quæ meos ſubit
Inopina viſus? patuit en atrâ ilice
Denſum, cupreſſo flebile ac taxo, nemus.
En ipſa latebris bellua exiliens feros
Armavit ungues rabida. Spectatis feram?
An video ſolus? fremuit: in puerum truces
Defixit oculos. Nullus ad Ioſeph venit
Auxilia? gnatum corpore oppoſito tegam.
Date tela. Iam jam ſurgit in vulnus, dedit.
Heu me! cruori patuit innocuo via.
Ecce, ecce pronus ore ſanguineo puer
Terram momordit: nec tamen noſtri immemor
Vel morte in ipſâ, quâ poteſt, patrem invocat,
Iterumque & iterum voce miſerandâ patrem;
Stat patre in uno cura, morituris patrem
Requirit oculis. Surgit en rurſum fera
Majore hiatu, & parva laniatu truci

Divellit

Divellit humeris colla, vivumque ingerit
Alvo cadaver ; viſcerum exhauſit ſinus,
Nec jam reſiſtunt oſſa. Prô dirum ſcelus !
Me me feroci dente, ſeu furens lea,
Seu ſæva tigris, rictibus vaſtis hians
Diſcerpe, major præda ſaturabo feram.
Imparia furiis membra quid lanias ? tuas
Errare fauces cæca quæ juſſit fames ?
Parem petiſſes. CH. Mille ſic fingit metus
Luctuſque mille amoris ingenium. IAC. Date
Lamenta, mæſtus verticem involvat cinis,
Pectoraque vaſto plangat impulſu manus,
Planctuque reſono querula comploret domus :
Meus ille Ioſeph cecidit, heu ! Ioſeph meus.
CH. Tuus ille Ioſeph cecidit, heu ! Ioſeph tuus.
IAC. Licuiſſet utinam legere ſupremum vale
Fugientis animæ, & ultimo amplexu patrem
Totum dediſſem ! Numquid heu ! nudis jacent
Inhumata campis oſſa, quæ fors reſpuit
Saturata rabies ? mœſta famulantum manus
Ite, ite, laceri corporis partes vagas
Cônquirite ; arva, quæ te[illegible] pinxit cruor,
Luſtrate celeres. Quò raperis amens dolor ?
Quin ſequere natum potiùs ad avitas patrum
Sedes piorum. Recipe me umbrarum domus,
Quò dudum Abrami, dudum & Iſaci cinis :
Vocat, & Rachelis : his quoque accedis puer.
Heu nate ! ad imos pande properanti viam
Manes miſericors terra, & optato ſinu
Ætate feſſum, ſed magis feſſum malis
Iam recipe. Ceſſas ? uxor & proles jacent.
Ioſeph patrem repoſcit, & Rachel virum ;
Vtrique me jam redde. Felix ô Rachel
Fruitura nato ſemper ! ô felix puer
Matris ſinu recepte ! nunc etiam mea
Vrgete fata. Viduus, orbus, & ſenex.
Quid petitur ultrà ? ſubita nunc venias licet
Mors, ſera venies : ſolve luctantem diu
Corpore ſenili ſpiritum. Refugis virum
Ignava, puero fortis ? heu quò jam preces,
Quò vota vertam ? commoda paullùm meis
Aurem querelis, verbaque exaudi ultima,
Humana juſtis fata qui libras Deus
Ponderibus ; ingens pauca ſi peccat dolor,
Veniam meretur. Quid meus tantum poteſt
Peccaſſe Ioſeph, qui tuo quondam datus
Favore, matris damna penſabat ſuæ ?
Aut ſiqua ſceleri pœna debetur meo,

Nil deprecantem fulmine immiſſo expia ;
Patet ecce plenum pectus ærumnis. Feri,
Feri nocentem, mitte ad infernas domos ;
Munus putabo. Vota non audit polus.
Ergo in dolores ſemper, & lacrymas traham
Miſerum ſenectæ pondus ? ah potui bene
Toties perire, vel tuâ fratris manu
Malè mitis Eſau, vel tuâ ſoceri Laban.
O ſi ! nece unâ tot redemiſſem neces ;
Haud flenda conjux conjugi, haud gnatus patrī
Flendus jaceres. Cur mihi in pœnas Rachel
Fœcunda, ſterilem prole compleſti ſinum
In damna mater ? ô patri infelix torus !
Piget, piget genuiſſe. Iam rurſum date
Lamenta, carmen funebre iteratò inſonet:
Meus ille Ioſeph cecidit, heu ! Ioſeph meus.
CH. Tuus ille Ioſeph cecidit, heu ! Ioſeph tuus.
IAC. Huc ô reliquiæ corporis chari, toga,
Solamen unum, parvulis nuper toris
Aſſueta ; ſanguis errat hic, Ioſeph, tuus,
Meuſque, amoris pignus æternum ; cruor
Te tinxit inſons, murice ô nullo color
Mutande ; patrio ſtringere amplexu toga,
Non licuit artus, oſſaque heu ! Ioſeph tua
Inferre tumulo, pejor hoc ſolatium
Fortuna patri invidit. Hoc quidquid tamen
Tui relictum eſt, teneo, & hoc mecum pari
Condam ſepulcro. Fallor ? an viſum dolus
Ludit ſenilem ? natus ante oculos ſtetit,
Vel umbra nati. Eſt ipſe, non fallor, meus
Meus ille Ioſeph ; ſimilis etiamnum ſui,
Niſi quod cruentus : ſed juvat, natum juvat
Videre vel ſic. Infer amplexum patri
Ioſeph. Parentem noſcis ? an patrem fugis ?
Sequar uſque & uſque ; quà præis, legam gradus ;
Ne fors aberrem, ſemitam oſtendet cruor.

Ad majorem Dei gloriam.

FACVLTAS
R. P.
PROVINCIALIS.

EGo infraſcriptus Societatis JESV per Flandro-Belgium Provincialis, poteſtate mihi factâ ab admodum R. P. N. *Mutio Vitelleſco*, facultatem facio *Ioanni Cnobbaro* Typographo Antuerpienſi imprimendi Tragœdiam JOSEPH, auctore P. *Iacobo Libeno* à tribus noſtræ Societatis Patribus cenſam probatamq;. In quorum fidem has officii mei ſigillo ſignavi, & propriâ ſubſcripſi manu. Mechliniæ, 10. Martii 1635.

FREDRICVS TASSIS.

Digitized by Google

LVDOVICI

CELLOTII

PARISIENSIS

E SOCIETATE IESV

S. ADRIANVS

MARTYR

TRAGOEDIA.

PER-

Digitized by Google

PERSONÆ.

GALERIVS MAXIMIANVS ARMENTARIVS.

TITIANVS	Coſ.
GALLVS	Pr. Pr.
ADRIANVS	Martyres.
ANTHIMVS	Martyres.
NATALIA.	
METELLVS	Flamen dialis.
FLAVIVS	Tribunus.
TIMÆVS	Puer honorar.
CHORVS.	

LVDOVICI
CELLOTII
PARISIENSIS
E SOCIETATE IESV
S. ADRIANVS
MARTYR
TRAGOEDIA.

PER-

Digitized by Google

PERSONÆ.

GALERIVS MAXIMIANVS ARMENTARIVS.

TITIANVS	Coſ.
GALLVS	Pr. Pr.
ADRIANVS	Martyres.
ANTHIMVS	Martyres.
NATALIA.	
METELLVS	Flamen dialis.
FLAVIVS	Tribunus.
TIMÆVS	Puer honorar.
CHORVS.	

ACTVS PRIMVS.

ARGVMENTVM.

GALERIVS Maximianus Armentarius Chriſtianos omni ſævitiâ & diritate perſequebatur: præcipuoque ad eam barbariem adminiſtro utebatur Adriano, juvene aulicorum nobiliſſimo æquè ac gratioſiſſimo. Sed hic Martyrum, quos torquebat conſtantiâ, & crebris de futurâ bonorum & malorum vitâ ſermonibus incitatus, ad eos ſe adjunxit, nomenque ſuum per Exceptores deferri juſſit inter Chriſtianos. Sic igitur animo comparatus theatrum aperit, & revocatis in memoriam laboribus, cruciatibuſque, qui hoc propoſitum neceſſariò ſecuturi ſunt, generoſam indolem eâ commemoratione exſtimulat, penituſque adversùs omnes acerbitates corroborat. Itaque jam ſeipſo doctior, Metellum Flaminem, neſcio quæ de aruſpicinâ ſuperſtitiosè garrientem ſapienter confutat. Flavium Tribunum motus in aulâ eam ob rem excitatos referentem, & amicè ut animum reflectat adhortantem, fortiter contemnit. Inter hæc prodit Galerius ipſe, & Adrianum caſu obvium conviciis, exprobrationibus, minis ſalutat:

inter-

interritum videlicet, & cauſam dicere paratum. Sed eâ indictâ detruditur in carcerem mox crudeliter interficiendus, niſi Conſul iræ Cæſaris, & Adriani pœnitentiæ tempus gravi oratione impetraret.

SCENA PRIMA.

Animum adverſùs blanditias & tormenta in Chriſti cultu perferendo, confirmat.

ADRIANVS.

ADriane jacta eſt alea: athletam Dei
Profiteris auctoratus, & forti voves
Servire domino. Macte, vinciri imminet,
Vri, necari: gravius & ſi quid jubet
Orci laniſta, pectus addictum offeres.
Aliis locatas tendere ad populum manus,
Submittere arma, pollicis mitem licet
Statum rogare; te decet jugulum dare,
Totumque ferrum recipere, & ſtantem mori.
Sed vita prorogetur; hîc certè brevis
Dabitur honorum meta, Cæſareus favor
Reſidet omnis. Nempe mortalem æſtimas
Chriſto probandus? Chara quid comitum manus?
Primæ clientes vota fortunæ ferunt;
Et hanc ſequantur: ditior cœlo venit,
Mihi æqua, & illis. Cæſaris læſi furor
Iam pulſat aures, aulica exſtimulat cohors,
Et aliquis ab hara Pontifex, nullum ſibi
Litare porcum queſtus. Hîc pronum, hîc nefas
Vinci Adriane, ſive blanditiâ tegunt
Fallace furias: ſeu cataſtarum minis
Satagunt timeri: morte non unâ opprimi
Eſt Chriſtianum, quando quæ vitam extrahit
Non maxima, at ſuprema jam feſſis venit.
Vidi haud ſuo pallere tortorem metu:
Vidi caducâ pendulum in vulnus manu
Fugere ſub ictu: colla cùm immotus gradu
Præberet infans, atque vix lethi capax
Victrice tenerum laureâ impleret caput.
Hæc virgo potuit, potuit in vitæ puer

Limine,

Digitized by Google

Limine, Deo maturus ; & durum tibi
Erit Adriane ? fors & humani putas
Opus vigoris, perque pueriles fibras
Rigere ferrum ? robur hoc cœlo meat
In Chriſtianos, nomini reddit pares
Dominoque. Me quoque entheat : jam ſe novos
Calor per artus fundit abſimilis mei,
Meque ipſe major ; & ille non dudum tener,
Cui ventus oculum læſit, & cyathus nive
Malè temperatus nocuit, adverſum neci
Oppono pectus. Terga plumbatis feri,
Latus ungue ſulca, detrahe hanc vivo cutem,
Malis ſupererit animus, & pœnæ locum
Membris negatum mentis inveniet vigor.
Hac ire juvat ad gloriam : hoc pretio benè
Redempta virtus conſtat. Vnum eſt, quo latus
Nudare vereor : ſocia genialis tori
Natalia ardet Veneris innocuâ face.
Adriane amat te : genua prenſabit manu,
Rigabit ora lacrymis, præſens bonum,
Tot ſpes futuri voce quàm blandâ occinet ?
  Amas adhuc moriture ? virtutem abnuis
Sponſare cœlebs ? ſe toro ſociam inſeret
Inviſa Chriſto ? non amat, ſi me negat
Amare, vel ſic : non amat, ſi quem ſequor,
Sequi recuſat. Quicquid hîc etiam eſt meum,
Tibi reddo Chriſte : ſit tua, aut non ſit mea.
  Quis ille ſacro pileum filo efferens ?
Metellus hic eſt. ------

SCENA SECVNDA.

Sacrificii dudum imperati exta infelicia fuiſſe accipit, deq; totâ Aruſpicum ſuperſtitione cum Flamine diſputat.

ADRIANVS. METELLVS.

------ Nænias jam non vacat
Audire veſtras. MET. A Iove & magnis Deis
Quod nunciatur, næniam appelles cave.
Vt imperaſti fecimus : ducta hoſtia
Qualis Faliſco nulla de fonte exiit,
Admota Divis ſponte ſuccincto dabat
Iugulum miniſtro : cùm ille neſcio quid furens
Aberrat ictu, quaque poſtremos pedes
Porgit, cruento poplitem cultro ſecat.

Stat

Digitized by Google

Stat avida cædis mater, & qualis ſolet
Balare lætùm, perque vulnificas manus,
Quà larga cultros vena ſuppoſitos rigat,
Succiſa prolis membra ſanguineo rapit
Immunda roſtro : concito curſu ilicet
Profugit ab aris, ſeque non ullâ eripit
Ferienda dextrâ. Clamat attonitus popa ;
Sua ſacra damnat ; ac niſi hortatu, minis,
Precibus, paventi inſiſterem, numerum hoſtia,
Idem & miniſter, funere impleret ſuo.
ADR. Hæc monſtra narra queîs ſuperſtitio Deos
Fecit timendos : cura me potior coquit.
MET. Ambigua facies viſcerum, atq; inter minas,
Interque ſpem pependit, at propior minis.
Parùm fidele laxat omentum ſinus,
Latebraſque prodit : vividus fibris color :
Pulmo ſuâ receptus, alienâ jecur
In ſede lentum palpitat : triſtes latus
Hoſtile venas auget, & jecoris caput
Caſum ex amicâ parte, ſed pinguis tremit
Cordis cacumen. Triſtia avertat polus !
Nam cui litavit ante verſicolor ſacrum ?
Tamen & in ignes lance proſicias dedi,
Et vota dixi Patribus. ADR. Vanos metus
Depone Flamen : veſter inſanum Tages
Superis honorem poſuit. & ludum puer
Immiſit aris. Qui tenet Cœlum Deus
Veſtri arietinis quippe viſceribus notat
Momenta fati varia ! ſi timidus mori
Taurus ſub ictu mugiit ; ſi quò ſalus
Fugere ſuaſit, non ſuo cecidit loco,
Minantur aſtra ! Tabe liquefactum jecur
Corque irrepertum, lividis pulmo fibris
Imperia mutant ! Quæ potens rerum manus
Tam parva tantis fœdere æterno alligat ?
Quis ordo mundi jecoris in fiſſo mei
Spem ſcripſit ævi? ME. Quod vides, quod nõ vides,
Elementa quicquid mutuâ formant ope,
Tellure, cœloque abditum, tenuis ſubit,
Vegetatque motu ſpiritus : totum Deo
Animante vivit. Ipſe circùm orbe eminens
In ſe reducto, ne qua pars fallat, regit.
Sibique de ſe genitus, æternum igneo
Motum propagat fomite. Hinc vegetum capit
Natura ſemen ; inde per vacuum æthera
Pennis vibrantur alites ; ponti æquora
Pinnâ volucri ſquammeum verrit pecus.
Et opima viridi prata rimantur greges :

Hominesque

Hominesque ab aſtris ducta gens, diæ inclyta
Particula mentis. Ergo ſi magni ferit
Fortuna membrum corporis; ſi pars dolet,
Non ingemiſcet alia? tenſarum rigor
Fidium movetur una, ſi reſonat levi
Percuſſa plectro. ADR. Rebus hic cunctis amor
Et ubique conſtet, omnia indoleant mihi,
Nullumque magni corporis noſtro vacet
Labore membrum; cauſa ſed varios facit
Eadem tumultus: terreat triſti tuus
Te taurus exto; regias hoſti vices
Promittet alius: Cæſar hic Iovius litat,
Herculeus illic non bonas patitur fibras:
Et uterque membrum eſt orbis, imperii caput.
Dicam otioſos? ſordidos malim Deos,
Si jecore, & extis ſancta conſilia occulunt,
Quæ vatis amens prodat Hetruſci furor.
MET. Firmata Divûm numine, & longis patrum
Probata ſeclis parce veſano ſacra
Temerare riſu. Cùm triumphanti pede
Calcaret orbem Roma, & indomitâ manu
Trophæa legeret axe quo flecti negat
Vmbras Syene, quoque glacialem piger
Currum Boötes ſequitur; hâc aquilas tulit
Pietate victrix: urbis hæc Tyriæ ducem
Religio portis; arce Tarpejâ arcuit
Barbarica Senonum tela. Te fandi parens
Terrarum alumna, Palladis caſtæ domus:
Teque Ephyra Achivûm lumen, immoto objice
Quæ gemina ſemper maria committi vetas,
Vos cultus iſte domuit, in noſtris prius
Cecidiſtis aris, ſaxa quàm Latio impete
Quaſſaret aries. ADR. Ritibus major tuis
Arſacia Macedo ſceptra, & indociles jugi
Frænavit Indos. Cæſar iratâ hoſtiâ
Alacris Iubamque, teque Scipiade, Africæ
Fatale nomen, fregit & felix ſacrum
Vincendo fecit. MET. Martias doctus Tages
Canebat Idus: ſprevit & verax ſacrum
Moriendo fecit. Nemo contempſit Deos
Impunè felix: hoſtiæ quiſquis minas
Contrà tetendit, ſe dedit fato hoſtiam.
ADR. Si fulminaſtrum voce non brutâ facis,
Chriſtum profeſſis quicquid eſt cœlo Deûm
Committe. Regum ponat interea furor,
Pugnâ reductus, faciet eventus fidem,
Quàm vana templis numina inſideant tuis.

SCE-

SCENA TERTIA.

Tribunus miſſus à Cæſare conatus eum à propoſito revocare, in eo conſtantem, carceris & vinculorum ejus pervicaciæ decretorum admonet.

FLAVIVS. ADRIANVS. METELLVS.

Qvæ cura patrum, Cæſaris qui te favor
Reflectere animum cupiat, eſt vanum eloquî
Benè ſentienti. Nulla turbatam quies
Pacavit aulam, conſilî rumor tui
Invaſit ex quo regiam: qualis Noto
Adverſa Boreas ſtridet, & pontum improbo
Vexat duello: talis inſtabilem ciet
Tumultus aulam: jurat hic vano ſeri
Terrore famam; certat emotam hic tibi
Mentem venenis; ille tollendum fremit;
Hic in doloſas iſſe deceptum plagas
Miſeratur: animum Cæſar huc illuc rapit
Incertus. ADR. Ecquid nomen exceptor dedit?
FLAV. Heu! falſa ſperat, vera quæ credi jubes.
Veneranda procerum Cæſarem ambibat cohors,
Pro ſe fidelem quiſque perdendo manum
Chriſto offerebat; ille quo vultu polum
Phœbus ſerenat; vincet hoc, proceres mei
Labor Adriani, vincet, & cœlo auſpice
Quieſcet aut eluſus, aut feſſus furor.
Strident catenis oppida: auguſti gemunt,
Vomuntque turbam carceres, crebrâ nece
Feſſæ ſecures, arma carnifici, reis
Tormenta deſunt: dixerat, magno ambitu
Titianus intrat grande dicturus nefas.
Res periit omnis Cæſar. Horrendum ſonat
Rumor per aulam, Iovius an letho occidit?
Romam tyrannus occupat? largo perit
Vrbs Nicomedis igne? quid dubios tenes?
Eloquere. Chriſtum noſter Adrianus colit.
ME. Chriſtum Adriane? FL. Mœſtus attonitis pavor
Primum ora claudit. Sic ubi æſtivo Iove
Coruſcat æther, denſa meſſorum cohors
Præſaga cladis robore ſub alto latet.
At ecce ruptâ nube fulmineus ruit
In opaca turbo brachia, & latè ilicem

Populatur

Populatur agro, pavitat exſanguis metu
Colonus hoſpes, ſeque defixum ſolo
Sternit bidental. Cæſar attonitos ſuprà
Bacchatur amens, pallet, aſpirat, tonat,
Gemitque, trepidatque, omnis in vultu eſt labor
Amantis, & dolentis, & nondum pudet
Adriane facti ? Cæſaris non ſic tibi
Amor eſt probatus ? eja perſpectam fidem
Felix adora. ADR. Si cui Adrianus placet,
Et Chriſtianus placeat. FLAV. Id leges vetant.
MET. Inimica templis capita, ferroque, & face
Inſequitur ultor, jamque plebejæ abſtulit
Præſidia genti, militum Auſonius vigor
Iovi litare juſſus, aut turpi ordinem
Deſerere letho. Timida cerdonum phalanx
Per te evocata, quos in horrendas ſpecus,
Stabulata monſtris antra compegit pavor.
Tot perduelles inter Auguſta in domo
Servabit unum ? numinis cultum oderit,
Cultorem amabit ? Num Dioclæâ ſatus
Sceptroque ſocium aſcivit, & generum toro,
Ritum ut nefandum rueret ? Aſtrææ rigor
Æquare cives, cauſa pietatis jubet
Sævire in aulam. ADR. Sæviat, longa eſt mora.
FL. Certũ eſt perire ? AD. Quod volet. FL. Amicas (preces
Suſpiria aulæ, Cæſaris vota accipe.
Quid moliaris cogita : tenerum metis
Florem dierum, præcoquas fruges tuæ
Spei, & tuorum falce non miti ſecas.
Quid lecta conjux, nuper Hymenæi faces
Experta ? ſaltem prole ditaſſet domum
Lucina, veſtros perque reptaret ſinus
Puer Adrianus, ore qui referat patrem,
Patremque blæſus ore lallanti vocet.
Nunc totus uno funere efferri cupis,
Nuſquam ſuperſtes. Nota gradivo manus,
Pectus pavere neſcium educet gradus
Ad invidendos. Clara quæ Iovii atria
Imago ſignat ? Cæſaris nam per caſas
Armenta reboant : vetera quid fruſtra exſeq
Subitum Adriani culmen, aut longo ambitu
Emptum Severo ? quique barbarici laris
Magale noſtro fecit imperio inclytum,
Thrax Maximinus : patriâ quique extudit
Fornace ſceptrum Pertinax, quâ te imperi
Dote anteibant ? quis parem juveni neget
Sperare ſortem ? tam bonas ergo malâ
Spes perdis horâ, teque crudeli objicis

Digitized by Google

Letho nocentem ? MET. Dum ſalus tuta eſt adhuc
Reſume mentem, néve ſacrorum minas
Contemne præceps ; profuit multis ſemel
Peccaſſe, non eſt culpa quæ celerem petit
Veniæ regreſſum. ADR. Pectore immoto ſedet
Coluiſſe Chriſtum ; veſtra tractari inſcium
Monita fatigans : ite, non Cæſar minis,
Non aula fuco moveat. FL. Eſt aliquid ſuper
Quo juſſa tendant. Cæſar allegans tibi,
Tua cura, Flavi, flectere alloquio virum,
Si renuit, inquit, carcere, & vinclis doma.
ADR. Hoc age, parata membra tormentis habes,
Mei volens amplector armillas ducis.
Innecte torques, arma de cœlo expedi.
Vbi caſtra, & hoſtes ? video, non longum eſt iter.
En illa ſanctis fœta ſuppliciis domus,
Vbi Dite victo Chriſtianorum manu
Chriſtus triumphet. FL. Robur aut nullum foret,
Meliore cauſa aut poneres ! nunc vis agit
Indomita. Ceu cùm currus adductas negat
Audire habenas, ſeque generoſâ abripi
Sinit quadrigâ : non malus regitur malè.

SCENA QVARTA.

Cæſar caſu Adriano factus obvius, ſua in eum merita exprobrat, & perſeverantem in fide ſuſceptâ trudi jubet in carcerem.

GALERIVS. ADRIANVS.

HÆc illa meriti gratia ? hæc noſtris fides
Iurata ſceptris ? transfuga, & noſtri, & tui
Oblitus, hoſtem colere ut affectes Deum ?
En queîs ſalutem credimus ! quos ad latus
Adjungit aula : quos per obſequii dolos
Capiti imminere patimur, & fiduciâ
Stolidi infideles facimus ! ô numquam ſatis
Officia regum tuta ! quàm raro ſtetit
Amoris æſtus aulici ! macta bonis ;
Ipſos favores inter, addictam fidem
Momento in ipſo deſerunt, & quos erat
Emiſſe pretium, gratis alieno locant
Animos tyranno. Nam quid aggredior miſer
Eluſus, exſpes ? ecce per nemorum avia,

Per clauſa Phœbo luſtra, & æſtiferi canis
Peruſta flammis arva, Chriſticolûm inſequor
Sacrilega vindex capita, & introrſus meâ
Surgunt in aulâ ; quos procul venor, meo
Sub latere creſcunt. Quis mihi fidum locus
Dabit receſſum ? Regios inter lares,
Veneranda & hoſti ſaxa, Romanus petit
Subſeſſor animam. Tutius Libycâ gradum
Moveas arenâ, qua ferâ dipſas ſiti
Haurit medullas ; quaque bis geminâ aſperat
Ceraſta fronte cornua ; aut anceps caput
Exertat amphisbæna. Sic Regi timor
Suus eſt ſatelles : ſic neque ingratus, fera
Laribus recepta, Cæſarum pretio, aut prece
Manſueſcit umquam. ADR. Multa peccare arguis
Invicte Cæſar : Chriſtus at ſcelerum eſt caput,
Cui colla tyro ſubdidi : hoc levius jugo
Nullum eſt Galeri : veſtra religio vagum
Egit per aras mentis exſortem piæ,
Scis ipſe, nemo me ſine admovit ſacram
Tonanti acerram, victimæ nemo caput
Salsâ notavit fruge : quid numerem meis,
Cerata votis æra ? quid donis tholos
Pretioſiores ? Nulla ſed fidam dedit
Statio quietem, vinculo donec ſibi
Animum alligavit Chriſtus, & veræ decus
Pietatis hauſi. Numen hunc credo meum.
Putare liceat, nulla libertas minor
Præſtatur homini. Nam quod infidum vocas,
Quod perduellem, voce communi uteris.
Malus eſt latentis arbiter vulgus boni.
Olim Adriano ſi ſtetit vita innocens,
Quæ Chriſtianum culpa conſtituit reum ?
Chriſtus fidelem ludere incautos vetat,
Verbo aucupari perfido, fraude illice
Captare gazas ; ſanguine innocuo manus
Fœdare; Veneris ſcandere illicitæ toros.
Hæc juſſa Cœlo elicuit, hæc Chriſti aſſeclæ
In verba coëunt : illa nocturnis ſacra
Operta tradunt cœtibus. Flammâ, & pice
Artus rigavi, latera ſulcavi ungulis,
Ferro recluſi viſcera : hoc tantùm erui,
Ceciniſſe Chriſto carmen; in noxæ inſcios
Iuraſſe mores ; Cæſarum multis caput
Servaſſe votis : criminum illorum reos
Iniqua torquet fama, & audire abnuit,
Damnare quod quæſitor auditum haud queat.
Hinc eſt rebellis ſecta, Quos Chriſtus facit,

Poſt :

Poſt Chriſtum amant & Cæſares : ſurdum Iovem,
Ipſo minorem Cæſare exoſi, ferunt
In aſtra palmas, deque regnorum Deo
Invicta poſcunt regna, non pecorum horridis
Viſceribus inhiant, mente ſed purâ litant.
GAL. Tuum eſt Deos eligere ? judicio placet
Meo petatur, quæ mihi petitur ſalus.
ADR. A quo impetranda eſt, poſcitur : caſſâ prece
Metalli inane pondus impelli jubes.
GAL. Quem quondã amaſti, qui te amat, magnum
Ioviſque comites, thure placari jubet. (Iovem,
Si me faventem ſpernis, expertus ſcies
Quo turbine iras torqueam : quanto impios
Horrore nuper tute laceraris, memor,
Violas putato ; durius in aulæ ratum eſt
Sævire famulos. Elige, beatum velim
Vivere : perire ſi obſtinas, votum augeo.
ADR. Colere Deorum ludicra, erranti fuit
Suaſiſſe pronum ; nunc ubi illuxit Deus,
Et iniqua Diti veritas, juſſa exequi
(Permitte fari) non licet. GAL. Conde in ſpecus,
Onera catenis miles, operoſæ necis
Conſilia donec pectore artifici excoquam.
ADR. Tuus eſſe Chriſte incipio, promiſſum novo
Infunde pugili robur. Inviſas domos
Et vincla ſubeo lætus ; in vinclis habes
Galeri amicum, dubia ſi reliquis fides.

SCENA QVINTA.

Cæſarem conſul revocat ab ira præcipiti in Adrianum, tempuſq; ad ejus mentem expugnandam impetrat.

GALERIVS. TITIANVS.

DOminos timebit orbis ; exemplum unius,
Eſto populorum terror : odiſſe ardeo,
Quem fruſtra amavi. TIT. Si rei merita æſtimas,
Plumbo ſubactum, aut inter Arſacidum ſcaphas
Periiſſe decuit : nam quid injuſtum accidat
Ira perduelli ? mente ſed reputes velim
Quid facere deceat Cæſarem ; non quid pati
Iubeas nocentes. aliquis eſt iræ modus.
Inopina fecit culpa momento reum.
Cur pœna properat ? fortè momento eluet
Metanœa culpam. Nemo quia factum eſt ſcelus

Pœnam irrogat, ſed nequis exemplo nocens
Peccare pergat. Ne hoc age ut pereant mali,
Sed ne mali ſint : dulce vindictæ eſt genus
Homini ſalutem facere, ſævire in ſcelus.
  Ergo Adriani revocet antiquus favor
Nomen decuſque. Proſit, indigno licet,
Fuiſſe carum Cæſari : lentâ manu
Supplicia libra, ſatage promiſſis ferum
Mollire pectus. junge blanditiis preces,
Minaſque precibus, ſed diu ſteriles minas :
Nil dedecet ſi parcis, & ſervos amas.
GAL. Ignota fallit peſtis : in lucro putant
Lethi moras traxiſſe : vis ſubita opprimit
Sibi nocentes ; quod ſuper vitæ additur,
Socios furoris comparant : cœlo inſeri,
Vltra Sibyllas vivere, impoſitis rogo
Reparanda vitæ dona pellaces canunt.
Vnum putaſti perdere, reorum undique
Conſurgit agmen ; ſeque ſupplicio induunt
Parili rebelles, cæde defungi unicâ,
Servare reliquos, omnium cogit ſalus.
  Sed ne quis aulæ morte properatâ arguat
Tolli miniſtros, pono tormentis moram.
Vos ergo robur arte, conſilio, prece
Tentate : domitum carceris ſqualor dabit,
Et gravia ferri pondera, & reſidens citò
Novitatis ardor. Mente ſi verſâ ſapit,
Patet aula, neque ſe noſtra ſubducet manus,
Amor, & ab ipſa certior culpâ fides
Cumulum favoris poſcit, at, quod plus reor,
Si pergit inſanire, per quicquid Deûm eſt
Totum in furorem ſpreta ſe bonitas aget.

CHORVS

Mirantur Ethnici Chriſtianos præſentis vitæ commoda tam alacriter abjicere.

QVæ vis, quis rapit ardor
Chriſti aſpergine tinctos ?
Cur præſentia perdunt,
Incumbuntque futuris ?
Hic nutritus in oſtro,
Hic & ſtemmate clarus,
Auguſtique favore,
Aulæ vincula rumpit,

Regaliſque

Regaliſque beata
Menſæ fercula damnat.
Iam non ullus honorum
Non reſpectus amicæ
Pubis, non pretioſis
Acquirenda periclis
Mentem gaza penetrat.
Caſtæ Cypridis annos,
Natorumque ſuavem
Spernit virgo popellum.
Cerni lubrica forma,
Vibrantes & ocelli;
Candoremque genarum
Inter purpura lucens;
Et collum per eburnum
Crinis molliter errans;
Turgenteſque papillæ
Byſſo non bene tectæ;
Et formoſior omni
Quem fert dextra ſmaragdo;
Per jejunia marcent:
Et faſtidia vitæ,
Obſcuroſque receſſus.
Affectans nigra bilis
Cœleſtumque hominumque
Deprædatur amores.
Tali Bellerophontes
Quondam percitus œſtro
Per ſqualentia teſqua,
Et ſpelæa ferarum
Greſſus fixit acerbos:
Tam non ipſe ſibi æquus.
Quam Prœto gravis hoſti.

Digitized by Google

ACTVS SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

HOc accepto nuncio Natalia uxor Adriani, flos matronarum, virtutis gemma, medulla conſtantiæ, pietatis Chriſtianæ cultrix, ſed adhuc abditè, dum currit ad carcerem animoſiùs quàm cautiùs: ipſa ſe reprimit, & re dubiâ fervorem ſuſtinet; verita ne ea fortè fabula ab conjuge, ad explorandum ipſius animum, conficta ſit. Omnibus tamen expenſis porrò ire ſtatuit, vel cum illo, vel per illum moritura. Verùm Tribuni relatu rem certiùs cognoſcit, ejuſdemque operâ educto è carcere Adriano fruitur. Hic autem conſiliorum uxoris ignarus graviter ſuum ipſe propoſitum ei declarat, cauſamque docet mutatæ religionis: ſi ſe amat, exemplum ſequatur: ſi renuit, res ſibi ſuas habeat. Tùm enimverò totam ſe Adriano aperit Natalia, & exoſculatis magnâ pietate mariti vinculis, æternum ſanctioris connubii fœdus cum eo renovat. Ille autem voluntatem tegere, ſibique in tam atroci certamine adeſſe rogat. Hæc agentibus Conſul, & Præfectus Prætorio veteres Adriani amici, importunè interveniunt, & collaudatâ Nataliâ

Digitized by Google

Nataliâ, quam à ſuis ſtare partibus exiſtimabant, totos ſe ad labefactandum Adriani animum applicant. Sed ille tùm Dei Numine, tum Anthimi jam veterani Martyris præſidio, omnes eorum impetus refutat, iratoſque, & ad Cæſaris Tribunal citantes, dimittit.

SCENA PRIMA.

Nuntius de Adriani carcere ſolicitam reddidit Nataliam. Quare veritâ ne hoſtis Chriſtianorum, id ſibi per dolum nuntiari juſſerit, ſeſe quicquid ferct caſus, ad Martyrium animat.

NATALIA.

QVid credis? aut quò pergis? aut quam te facis
Obnoxia dolis mulier? Adrianus Deum?
Ille adminiſter cædium, totus pio
Cruore manans, ille Chriſtiadûm timor,
Odium Toñantis? mite, feritati invium
Natura dederat pectus; infregit furor
Dominorum, & aulæ ambitio, & impatiens boni
Vſus malorum, jamque plus dominis furit.
Vt gutture atro ſæva maternum ebibit
Serpens venenum, quaque ſtagnatur palus,
Quaque nigra ſurgunt gramina, in tenebris agri
Depaſta ſaniem crevit, & Stygio halitu
Afflavit auras matre deterior malâ.
   Vt fallere ardet cautus! ut cordis ſinus
Penetrare cæcos! Luna biſſeno ambitu
Reparata vix dum cornua Oceano extulit,
Ex quo pudicâ junxit Hymenæus face
Iuveni maritam: ſenſit in fraudes ſagax
Mihi templâ ſperni, vota non dici Iovi,
Non Divûm in aris, non lares inter domus
Sacrilega perdi thura: ſuſpectam, indigam
Virtutis, inopem conſili, arcanos jubet
Prodere receſſus pectoris: ſervum oppidò
Ad me fidelem legat: is anhelans, gemens,
Et ora fœdans unguibus, terram pede
Quatiens, periimus Domina: quem caſum gemis?

In vincla Dominus rapitur, extremâ tonat
Furioſus irâ Cæſar. Ego mente anxiâ,
Secura vultu: tenuis obductum abſtulit
Vapor favorem, prima quem reddet dies.
Sic aula ludit. Chriſtus hoc, inquit, ſcelus
Et Magica fecit ſecta: Dum torquet reos,
Auditque miſerûm ſomnia, induitur plagis
Incautus, excors, jamque Chriſtiadum jacet
Inter catervas. Dixit, & juſsâ artifex
Suffundit oculos lacrymâ, & pectus manu
Vtrâque plangit: addit & quæ non agat
Simplex probari veritas. Sed cur meum
Explorat animum proditor? quam ſpem coquit?
Parúmne premimur, capita quod bello inclyta,
Quod fortia virum corpora immani gemunt
Diſcerpta letho? ſexus armorum rudis,
Impos dolorum petitur? & ne quà exeat
Inimica in auras ſecta, Chriſtiadûm ferax
Damnatur uterus. Ergo me primam vocat
In arma conjux? ſpecimen aliarum meo
De capite ſtatuit? euge, celatum eſt nimis
Natalia, aude, Iudici dices palàm
Quod corde in imo ſæpe narrabas Deo.
Cui te reſervas timida? ſingula ſingulas
Vicêre quondam virgines: Priſca ungulas,
Cæcilia gladium, Barbara & ſaxa, & patrem,
Agnes juventam, ſexum Agatha, Thecla omnia.
Et amare dubitas? & times Chriſtum ſequi?
O cui ſuperbos ante fœmineus labor
Perdomuit animos hoſtium, & teneræ manus
Ardua potentum colla truncarunt ducum,
Si mihi palæſtram pandis, & honeſtâ jubes
Luctâ implicari, debiles artus tuo
Perfunde olivo Chriſte, da membris ſtatum,
Robur lacertis, ſi licet tecum, Stygis
Furiis apertum tuta præbebo latus:
Hic dabit arenam carcer, hic ſocium tori
Quæro, per illum prompta, vel cum illo mori.

SCENA SECVNDA.

Audit à Tribuno cui commiſſus Adrianus illum verè ob Chriſti fidem vinctum eſſe.

FLAVIVS. NATALIA.

BEne habet, ſecundâ flectis huc greſſum alite
Natalia; ô ſi mitior cladem Deus

Præ-

Præoccupaſſet, teque conſilio bonam
Dediſſet ante conjugi! ſtaret ſuâ
Modò purpuratus gratiâ, & magni latus
Cingeret amicum Cæſaris: nunc, heu pudet
Meminiſſe! vinctos auget, & nudâ jacens
Tellure, cœlum voce blaſphemâ aſperat.
NAT. Ergóne malorum rumor apprimè tenax
Mihi vera retulit, carceris clauſum ſpecu
Sub mole ferri gemere dimidium mei?
FLAV. Queri remitte, majus auditu eſt malum
Quod auſus in vos Chriſtianorum furor.
Sibi tibique conjugem, at graviùs ſibi
Eripuit. ille ſcorpios, flammas, truces,
Cœli execratus Numina, in vota advocat.
Iam longa juveni vita. Circæâ manu
Verſum in leonem dixeris: quod ni juvas,
Tibi Adrianus periit. NAT. Ignaram mali
Rerum inſuetam, vix adhuc primâ rudem
Tædâ maritam facere quid deceat, mone.
FLAV. I flecte furias Cæſaris, multâ prece
Roga ſalutem conjugi: accinget latus
Amica procerum turba, fundetur comes
Populus clientum: ſi placet ſolam ingredi,
Comitata ſatis eſt cui dedit formam Venus.
NAT. Fruſtrà rogamus, ille ſi mentem fovet
Rigidus moveri: cordis explorem ſine
Prius latebras cauta. FL. Conſultè facis.
Stygiæ paludis aura ſed potius tibi
Toleranda veniat, quàm tenebroſæ haurias
Domus mephitim: ſiſte, dùm educo foras.

SCENA TERTIA.

Dum educit maritum è carcere Tribunus, illa ſibi, & Deo rem tam inexpectatam gratulatur.

NATALIA.

NVnc tuta Cœlum aſpicio, nunc plenâ Deos
Exſufflo buccâ: Chriſte tibi conjux meus,
Tibi Adrianus ſervit, & fidei gerit
Pignus catenas! ille non dudum leo
Avidam cruore proluens ſacro ſitim,
Expectat aras agnus, & votum Deo
Inter gregales ſponte dat jugulum popæ.
Iam vera Sauli eſt fama, cui furias Deus

Excuſſit aſtris, voce non illâ tonans,
Quâ repetet olim mundus antiquum chaos
Compage ruptâ : mitiùs terret ſuos,
Iramque, amoremque inter exſtimulat malos.
Talis maritum tetigit, & patriâ manu
Vulnus revulſit. Audio, gratæ ſonat
Stridor catenæ : gaudia haud capiunt modum,
Tamen & premantur teſte dum ſedes vacet.

SCENA QVARTA.

Maritum offert Tribunus, monetq; ut omni prece; & blanditiâ hanc illi mentem eripiat.

NATALIA. FLAVIVS.

PRô ſancta Cœli Numina ! ô rerum vices !
Adrianus hic eſt? FL. Conjugem agnoſcis tuum?
Talem videbas caſta cùm primo Venus
Hauſit medullas igne, cùm lætâ face
Roſeus jugalem duxit Hymenæus domum?
Vtrique Roma invidit, at plures tibi.
Mutatum ab illo cerne, quod luges, quota
Pars eſt futuri ? doceat exemplo hic ſenex
Cui vermis intus bullit, & cœcâ effluunt
Artus pereſi tabe. Nunc ſi quid potes
Reſtitue mentem conjugi ; hoc Cæſar jubet,
Hoc ſperat aula : ſi pias Flavî preces
Natalia audis, oro ; deceptum dolet
Perire amicum. NAT. Cura quod tangit mei,
Quod Adrianum diligis, dignas Deus
Grates rependat. Nunc quod urgendum mones,
Quod uterque cupimus, artibus totis agam,
Velit ut beatus eſſe, ſuadentem optima
Audiat amicum, néve ſe blandâ ſinat
Sirene ludi. FLAV. Sancta prô thalami fides !
Iam factum in aulam nuntio, quod te aggredi
Amor imperavit.

SCE-

SCENA QVINTA.

Adrianus & Natalia ſibi invicem religionis ſuæ conſilia aperiunt, & hæc illi in tali agone opem & obſequium pollicetur.

ADRIANVS. NATALIA.
ANTHIMVS.

------ Mulier huc aurem, & ſile.
Ignemque & undam, juncta non ſacris ſacra
Seu quæ parentum juſtus è ceris bona
Ingreditur hæres, ſive quæ fato occubans
Amico amicus legat, unde unde accidant,
Communia inter eſſe conſortes tori
Voluêre jura Romuli : hoc animi pares
Coëunt in unum fœdere & concors domus
Clamoſa nullis litibus laſſat fora.
Sed aut eoſdem jure connubii Deos,
Aut ritu eoſdem colere, ni varii placent,
Lex nulla juſſit : velle fac aliquam tamen :
Vtrum docebit cedere, & placita alteri
Inire ſacra ? fœminæ arbitrio virum,
Virîne potiùs fœminam Numen dare
Geniumque laribus ? Ergo quod vinclis premi
Cernis maritum, fecit hoc Chriſti recens
Religio, pietaſque agnita : æternum vale
Adrianus aris dixit, & ſaxis Deûm.
Vnum pudet, feciſſe quod jubeor pati ;
Sed & juvat feciſſe, dum plenâ Deos
Clamant inanes voce, quos tenui halitu
Frangunt, ruuntque : Numen at Chriſti probant
Alacres refectis artubus, & inter rogos
Dulci rigantur imbre, dum memorant piæ
Servata morti pretia : quod Cœlo bonum eſt,
Terrâque, ab uno fluere cui pereat nihil,
Redire in unum cuncta, cui accedat nihil ;
Aſpectu & uno, mente purgatâ, exprimi
Quem nulla poſſint ſecla, non ulla appetat
Mutare ſaties : placuit & virtus virûm,
Et cauſa : plura mente ſcrutatus piâ
Quid tegeret intus ſecta, quæ ſordet foris,
Didici, & probavi. Poſſe ſi verum eripi
Cæſar catenis, aula conſilio putat,
Tu flendo, blandiendo, libando oſcula,

Spes

Spes porrò vanas alitis : edico palàm,
Nulla Adrianum cernet inſanum dies.
Te lege ſolvo connubî, ut letho datus :
Viduam ſuperſtes conjugem conjux facit :
Alium juventa, forma, nobilitas, opes,
Et quæ beata ducitis, ab aulâ dabit.
Viden' ut catenæ fœdere æterno mihi
Membriſque nubunt, ſquallor, & ſitus, & dolor ?
Vt conjugalem carcer inſternit torum ?
Natalia vale : quid genas lacrymis rigas ?
Non ſum Adrianus ille : felicem tibi
Thalamum ſecundet qui virum abduxit Deus.
Stas etiam ! amare pergis ? ô, & te ſoror
Amabis, & me, ſequere quam inſtituo viam.
Experta dices, ſpondeo, ſuavem malis
Ineſſe ſenſum, ſupera tormentis emi,
Deſinere mortem morte dum vita incipit :
Vbi nos perenni charitas junget face :
Vterque amabit utrumque, ſed amati Deo,
Deumq; amantes. NAT. Chriſte tam potens habes,
Tam dulce numen ? Teneo te pars ô mei,
Adriane mea lux ? effer evinctas manus :
Audi aula, tuque Cæſar, & quatuor viris
Regnata tellus, audiat cœlo Deus :
Nunc Adriani ritè convenio in manum
Non falſa conjux ; Chriſtus hoc vinclo invicem,
Sibique amantes ſociat. O thalamum ! ô faces
Diu cupitas ! Numen æterni Patris
Natique teſtor, nullus humano procus
Thalamo jugandam Martyris rapiet ſinu :
Non ſi quaterni Cæſares mundi offerant
Dotale regnum : melius imperiis puto
Chriſti catenas ferre ; nam ſociam tori
Aliqua laborum parte fraudare haud velis,
Mi dulcis Adriane. ADR. Te conjux amo
Chriſti ſequacem, jamque perpetui innovo
Leges amoris : eſſe te jubeo meam
Vltrà ipſa fata : qui prior pactam hic fidem
Socio, aut Tonanti fregerit, pereat ſacer,
Et execrandus Tartari flammas alat.
NAT. Quodque eſt miſerius Tartaro, Cœli excidat
Favore, gratiâque. ADR. Dic autem ſoror
Vnde iſte ſubitus pectus invaſit calor ?
NAT. Fatebor equidem frater, & totam dabo
Nataliam Adriano. Vnus & mundo intulit,
Chriſtoque peperit uterus : in cunis erat
Audire Chriſtum ludus, hærentem uberi,
Chriſtum docebat mater ; acclivi in ſinum,

Chriſtum

Chriſtum canebat. Crevit interea ſimul
Ætas, amorque numinis, donec viro
Maturam amaſti frater. Atque omnes licet
Virtute, formâ, genere, divitiis procos
Longè anteires, pertinax cultus Deûm
Matrē avocabat, meque. ADR. Tanto equidē meas
Mirabar opere penitùs eludi preces,
Mihi te negari. NAT. Reſtitit, donec minis
Cæſar ſubegit: flevimus. Nam quid dedit
Natura ſervis melius? Extremum diem
Clauſerat Olympo veſper, ad lætas fores
Pilenta ſtabant, illa me arcanum domûs
Rapit in opertum: lapſus ubi cœlo cibus,
Deuſque farre obtectus in ſubitæ necis
Servatur uſus. Hic per auguſtas dapes,
Et habere ſi quid ſanctius cœlum poteſt,
Adjurat ardens, & ſacramentum præit,
Omneſque in iſtud advocat diras caput
Si fallo, ſi aras tango, ſi aſpicio Deos.
Tum prona in humeros colla complexu pio
Dilecta ſtringit. Vltimum eſt quod te alloquor,
I nata felix: ſi qua relligio movet
Diſſidia, tu homini victa ſuccumbas cave:
Quin oro vincas. In novos Chriſtus Lares
Domiducus eſto, ſi datur Chriſtum ſequi:
Sin, viva numquam triſte tranſilias domûs
Limen nefandæ. Dixit, & largè ſinum
Lacrymis rigavit. Flentis abrepta è ſinu
Flens ipſa currum ſcando. Scit verax Deus
Quæ vota fudi tacita, quàm ſtabili in minas,
In ferrum, in ignes robore armavi fidem.
Tibi juncta numquam thura delubro intuli,
Numquam tuos ingreſſa ſpectavi lares:
Sed prima quoties nocte ſuperatî diem
Invexit Eos: Cynthiam cœlo Heſperus
Quoties reduxit; duplices Chriſto manus
Tuli, preceſque, mentis ut tenebras tuæ
Felix bonuſque, ſolveret: dira interim
Sanctis parabas funera. Iratum anxiis
Vici Tonantem fletibus: jam ſpe irritâ
Male fluctuantem erexit, & mediâ dedit
In morte vitam quando votorum ream
Facis Adriane. ADR. Munus agnoſco ſoror,
Tibi reſtitutæ debeo mentis ſtatum:
Sed & queri permitte. Tam cupidum tui,
Tam purè amantem conjugem, tantum boni
Celare poteras? furere, bacchari in pios,
Virtutis hoſtem, debitum diti caput

Chriſt-

Digitized by Google

Chriſto rebellem, immota ſpectaſti virum?
ANT. Quid virgo faceret? ſanguine arentem ſitim
Audax leoni premeret? & nudâ prece
Tardaret iræ fulmen? Humanis ſuum eſt
Adriane vitiis, & ſuum tempus Deo.
Modò verticoſi more torrentis rapi
Sinit, ſuâque ſponte conſumi improbos.
Modò curſu in ipſo frangit, & flectit retrò.
Eſt ubi paratos, inque procinctu opprimat,
Hîc juſtus, atque hîc. Pulſat interno tamen
Motu fugaces, atque peccati fodit
Stimulo, vocantem audire ſi ſinerent Deum
Libido, & animi gaudia inſani mala.
Hos ergo Phlegethon vortice indomito abripit,
Auctorem & ipſum culpa præcipitans agit.
Illos Deo trahente ſcelerata expuit
Vorago: quando? velle cùm primùm incipis
Quod velle fecit; qui dedit, novit ſui
Momenta doni: quis ſalutarem prior
Invadat horam. NAT. Vera narrantem audio
Animoſe Martyr, omnium novit pater
Quos, quando natis addat. In partem vocat
Sæpè adminiſtros operis, hi ſi quid morâ,
Metúve peccant, nónne tardatæ reos
Faciet ſalutis? Talis ad genua accido.
Ignoſce frater, facta peccavi tua,
Prohibere potui, ſæpe trepidantem impulit
Cæleſtis ardor, ſæpe compreſſi impetum.
Heu! dum morantem pravus abſterret pudor,
Tuas ſecures innocens tinxit cruor.
Tot ſcelera quæ mors vindicet? quis me rogus
Satis rapace perfidam flammâ expiet?
Nunc hora ſanctos morte communi vocat
Placare manes. Cernis ut pariter reos
Vindex eamdem Chriſtus ad pœnam aggregat?
Satis unus eſt utrique carcerque, & dolor,
Et Cæſar unus. ADR. Sponte metuendum viris
Tentare bellum parce, quod mecum haud licet,
Patieris in me. NAT. Non placeo conſors boni?
Quæ culpa damnat? ſcelere quo teneor nocens?
Aut ſi nocens ſum quid mihi pœnam negas?
Ego te relinquam? ſi quid in morte eſt boni,
Mihi invidetur? ſi quid in morte eſt mali,
Vni irrogatur? Seu me amas, ſeu non amas
Crudelis, aſtra deligis: terram & mala
Tibi ſpreta ſumam? non hic Aſtrææ eſt tenor,
Tua illa non ſunt quæ malè herciſcis bona:
Vtriuſque partem dives implebit Deus.

ANT. Nemo

ANT. Nemo à Tonante revocat, aut terræ bona
Curare ſuadet, filia ; Haud uno pares
Convexa cœli tramite beati tenent.
Diverſa vitæ eſt forma : cupienti putas
Meritóve ſtadium mortis aperiri inclytæ ?
Deus hoc Deus diſpenſat, & vitæ arbiter.
Hic morte ſiccâ placidus evolvet dies,
Hic ferrum, & ignes vincet : hic Cœlum abdito
De nemore rapiet, inquit. Vt juſſi, gradum
Statione ſervi figimus, quaque evocat
Dominum volentes ſequimur. An bonus eſt, Dei
Cui non probatur ordo ? Te miti jubet
Exire letho : nulla totorum manus
Eripiet animam : voce, fomentis, prece,
Dominum juvabis, & miniſterio attrahes
Partem coronæ. Martyrum primos gradus
Tenere non permiſſa, ne ſperne alteros.
NAT. Has quando lentæ deſtinat mortis vices
Cortina cœli, ſpes mihi pereant meæ,
Tibi reddo votum hoc Chriſte : ſervitii fide
Animum probabo : quolibet fatum vocet,
Vinctos per omne Cæſar imperium trahat,
Sequar uſque in ignes. Multa famulantum manus
Hinc jam excubabit ne quis inopinus mihi
Vos turbo rapiat. ADR. Parce non fidas ſoror
Agitare mentes, pectoris Chriſtus ſinu
Latere pergat, ipſa narrabis tibi
Quid res, & uſus poſcat. Hinc nuſquam inſciâ
Te demigrabo. Nuntius ſortis meæ
Ad te recurret Martyr, aut ſi quis poteſt
Magis eſſe fidus. Clavis interea lares
Reſignet omnes, quoſque ſacrilegus Deos
Coluiſſe doleo, frange. Vulcani pede,
Capite Iovis, petaſoque Mercurii, indigum
Dita popellum : proſit hoc certè aureos
Feciſſe divos. ANTH. Cede confeſtim loco,
Compone vultus : Conſulis prodit cohors.

SCENA SEXTA.

Natalia Conſuli bono dolo fucum facit, & eo præſente conjugem ad conſtantiam hortatur.

TITIANVS. NATALIA.

HOc eſt amare, jura ſic pangis tori
Natalia ; euge, Cæſar & proceres probant,
Pietaſque matronalis : iratos Deos

Optare

Optare poteras : non manum ad palmam comes,
Sed teſtis oculos adfero : ſi quid ſapit
Adrianus, omne conjugi acceptum dabo.
Quo res loco ſunt. NAT. Quantus Hybernas Athos
Patitur pruinas ; qualis aut Cauri minis
Inhoſpitale Boſphorus præbet latus,
Talis Deorum obſequia, & ambitas priùs
Nunc audit aras durus, intractabilis.
Nil noſtra pectus verba, nil lacrymæ movent
Adamante clauſum. Dicere ardentem priùs
Silere juſſit : longa conſilii ſui
Exorſa deinde fatus, abſolvit fide,
Ni ſua probarem ſacra. Nec quicquam novos
Ritus ſuaſit ; matris acceptum è ſinu
Mihi nemo numen auferat, quin & jubet
Simulacra Divûm frangere, & forti lares
Violare dextrâ. Timeo conatu irrito
Ne veſtra ludat vota, ne procerum decus
Traducat aulâ victor. Æqualem ſibi
Narrate potius Cæſari, & promptum mori.
Addite querelis conjugis victæ preces.
Ne longa ducat funera, aut miſeri vago
Supplicia ſpargat orbe ; quod potui hactenus
Debere vivo, præſtiti. TITIA. O conjux viro
Meliore digna (Cæſaris juro caput)
Quicquid Adrianus ſtatuat, hæc numquam fides
Morietur indotata, ſeu primas placet
Renovare tædas, ſeu malè aſtrictam novus
Zonam maritus ſolvet ; at veteres velim
Durare amores ; & dabit ſpero manum
Amico amicus Conſuli. NAT. Quò non prius
Blanditia ſubiit fœminæ, per vim & metum
Penetrare ſperas ? notus eſt animus viri
Levitatis expers, irrita in damnis ſuis
Senſi protervum ſæpe, & immotum gradu.
Adriane, vel ſi nomen antiquum probas,
Dilecte conjux, aulicæ florem vides
Fidelitatis, ſana conſilia accipe.
Vbi ſcis, & unde cogita. præſens malum
Minus futuro ſtatue : per oculos precor
Meos tuoſque, pronubo junctam annùlo
Teneo manum, oſculorque, per thalami fidem,
Memor ſupremi fœderis, mentem indue
Dignam Adriano : ſi qua rationi negas,
Ah te tuoſque perdis æternum miſer.

SCE-

Digitized by Google

SCENA SEPTIMA.

Adrianum à propoſito amici fruſtra revocare conantur.

GALLVS. TITIANVS. ADRIANVS. ANTHIMVS.

Túne hos amores rigidus, illacrymabilis
Caute Rhodopoeâ triſtior, ſurdo Iove
Spreviſſe ſperas? pectus alienum movent:
A te remittis irritas? TIT. Vinci pudet
Vni Adrianum fœminæ; agnoſco virum.
Titianus alia conſul, & cuſtos ſacri
Gallus palatî verba non tardè expriment:
Vt hæc placet promulſis? ut ſectam aſpero
Expertus Adriane à rudimento æſtimas?
Plebeja jure talis Aſtrææ chalybs
In capita ſævit. Nam quod eſt Chriſti genus?
Malè penulata turba, quiſquiliæ urbium,
Credula mulierum ſervitus, mendica plebs;
Non ullo avorum ſtemmate, aut opibus potens,
Honoribuſque fulta: non ſophiæ Attico
Lepore tincta, ſortis & vitæ bona
Quæ non habent, ſperántve, ſpreviſſe ambiunt.
Hinc ille regum, hinc ille contemptus Deûm,
Et non inaudax animus in metâ mali.
Adde & furentum ſomnia, hoſpitium in vetus
Redire larvas, buſta vivendo ſua
Superare cineres, ſive mobilibus jocos
Dedêre ventis, membra ſeu tumuli indiga
Pavêre volucres: mortuis, laceris feris
Per ſecla mille in omne transfuſis genus,
Artus ſuos ex jure conſertum manu
Elementa repetent: hæc mea, hæc non ſunt mea,
Hæc fecit oculum portio, hæc clavos pedum
Compago finxit. Chriſtus arboreâ ſedens
In ſede Prætor; inite præſentes viam;
Viam redite, dicet; hoc fruſtum arbuti,
Tuum eſto, hic ejus caulis eſt. Riſum hæc cient
Fletúmne? leve ſit error incautos agens
Si ſtaret intrà fabulam; exundat furor
In ferrum, & ignes, quaque difficile eſt mori,
Gradiuntur hac ſpe: dumque poſt mortem timent
Perire, mortem non timent. Dignum viris
Religio Numen reperit, ut adorent cruces

Quas ita merentur. quî ſuum violant Deum,
Si ſic putant placare ? Si novi tuos
Adriane ſenſus, fabulas vulgum ſuas
Juſſiſti habere : melior ad Chriſtum tulit
Ignota nobis cauſa. Præteritos malè
Penſat labores Cæſar ? auditam omnibus
Aulis querelam generis : hoc Reges habent
Ingratum, iniquum, cuncta deberi putant
Quæ ſponte facimus publico intenti bono.
Hos tarda merces ſequitur : hos ſterilis favor
In luctum hiantes ludit : aſpectu Deûm
Nati benigno (pars quota infelicium ?)
Amantur, & ditantur : & quod plus dolet,
Quod ſanguine emitur, gratiam Domini vocant.
Quamquam & favoris, non palatinæ vetus
Miles cohortis, editum inſiſtis gradum.
Quæſitor omnes lectus æquales ſuprà,
Senumque canos. Cæſar haud alio queat.
Teſtari amorem pignore ; huic nuper fidem
Validè probabas ipſe, cum magicis retrò
Mens ivit acta vocibus, teque improbâ
Afflavit aurâ coluber incautum, & ſibi
Nimis imminentem. Cura ſi vitæ eſt ſuper,
Deluſe, mentem recipe ; vel ſi te abdicas ;
Mihi, Gallo, amicis redde. ADR. Quod de me rogas
Titiane, doni Cæſar hoc faciet ſui,
Si placeo ; Chriſtum teſtor, impendam hoc caput,
Vitamque amicis. Nam quod in venis fluit,
Quod ſpirat imo in corde, quod mēbra hæc fovet,
Regi ſacravit ortus. Innatam fidem
Quod crimen intercepit, evulſit metus,
Abſterſit error ? fidus, &, fas ſit loqui,
Rogatus aulæ veni in obſequium. bonus
Potui videri cum bonis feci malè.
Erat hoc in albo Regis officii decus :
Ego nunc furorem appello, & immanem ſitim.
Nam qualis hoſtes tractat, & ſcelerum reos,
Qui jubet amicos furere ? ſed non hoc queror ;
Iubeat, reponam munus ; aut ſi non licet
Hoſtire Regi, ne quis ingratum arguat,
Doni fatebor gratiam, quodque eſt ſuper
Vitæ, ibo nexus, vile ſervitium exequar,
Quodque ære nequeo nomen exolvam artubus.
Debitor amoris, ultimas addo preces,
Tenue eſt quod opto : libero Cœlum ferat
Spectare vultu, neu mihi ſacra imperet,
Deúmve. Plures aſtra ſi Cœli tenent,
Eligere detur : tota ſi coiit boni

Natura in unum, qui ima, qui ſupera impleat,
Colatur unus. Túne tam certo regi
Tenore mundum ſub duce incerto putas?
Quando poteſtas ulla conſortem tulit?
Romæ parentes vix ſub uberibus lupæ
Lite abſtinebant: perfidum Oedipodæ genus
Commiſit æſtus ſceptri, & odiorum faces
Secutus ignis, duplicem fecit rogum
Vno è ſepulchro. Perdidit generum ſocer,
Et quà refuſo cingitur tellus mari,
Tot gentium altrix ampla, non cepit duos.
Quid alia memorem? ductor armenti gregem
Minatur unus; regna mellita obtinet
Rex unus apium: creditam ponto ratem
Gubernat unus: temperat caſtra, & feras
Dux unus acies. Supera diviſo regi
Imperia domino credis, & rerum caput
In varia ſpargi? quis laboranti Deo
Opus eſt miniſter? ANT. Velle quod bonitas facit,
Dedit poteſtas facere, quod vaſto ambitu.
Coërcet orbis artifice verbo edidit,
Ipſumque nutu fecit omnifero chaos,
Genus unde & homines duximus. Sed non pari
Quâ muta lege: copiam vitæ facit
Vt grata pietas dona factori ſua
Memori reponat pectore: ut mentes regat
Animoſa virtus: ut per obſtantûm minas
Suppliciaque eluctata difficilem fides
Rapiat Olympum, ſeque genitori applicet
Sine fine felix. Livor incaſſum fremat,
Splenem in cachinnos Attici ſolvant ſophi,
Nemo vetabit eloqui. Letho datos,
Dudum ſepultos hora redivivo ſitu
Componet artus; hora quâ Chriſti ad thronum
Fandi, & nefandi ſtabimus, vitæ dies
Remetietur Prætor: in cœlum boni,
Vos alii in orcum, dicet: ut quemque impulit
Sui poteſtas, pretia factorum ferat
Mutanda numquam. Conſul hæc riſum cient,
Fletúmne? lethes gurgite immergi putas,
Hominemque totum morte perpetuâ emori?
Si revolat animus liber, & cœli domos
Affectat, urnam caſus, an Iudex movet?
Damnatur orco juſtus, Elyſiis mali
Spatiantur agris? Membra reſtitui negas?
Promittit ipſe conditor; cùm nil forem
Verbo eſſe fecit, inde transfuſum in feras
Non eſt potis revocare? Tabeſcam in fretis,

Paſcam leones, æthra ſuſpenſum enecet,
Ludibria ventis præbeam, flammis cibos,
Extra Pronœam nil jacet : gremio excipit
Mundus cadentem. Tutus hâc condor penu
Domini potentis. Iuſſa depoſiti fidem
Elementa reddent. Aſpice ut moritur dies,
Iterumque cœlo exoritur ; ut veris tepor
Hyberna ſolvit frigora, & gratâ vice
Sylvæ reſurgunt : ſemen immiſſum ſolo,
Multoque aratum vomere, & fimo obrutum
Non ante mortem germinat : buſto exilit
Reparata Phœbi volucris, inque auras meat
Numquam ipſa, & ipſa ſemper. Hæc rerum potens
Sic ire voluit, pignus ut certum boni
Daret futuri ; quod priùs factum tulit
Tranſactus ordo, poſſe venturis probat
Redire ſeclis. TIT. Error hic, ſeu ſpem vocas,
(Nam quis ſilentum teſtis è regno redit?)
In aperta mittit funera, & patitur cruces
Iam non colendas : quique defunctos Deus
A morte revocat, morte defungi haud vetat :
Iniquè, utrumque ſi poteſt ; ſi non poteſt,
Impoſtor, imbecillus, immanis ſuis.
ANT. Et poſſe ratio ſuadet, & velle interim
Monſtravit uſus. Iacuit ad nudos pedes
Iejuna tigris ; ignium immanes rogos
Placidus rigavit imber ; horrendum ungula
Poſuit rigorem, interque luxantes puer
Suave riſit machinas. Solvi interim
Sinit in dolores corpus. Vt placitum, ut juvat
Durè experitur filios. Fortem putas
Quem nemo tentat, nemo virtutis probat
Robur latentis ? nónne par dignum Deo eſt,
Forti viro compoſita fortunæ manus,
Etiam furentis ? lætus hoc ſpectat ſuo
Intentus operi prælium, & ſtabilem parat
Brabeuta laurum. Victa me Siculo inferat
Fortuna tauro, condat Arſacidum ſcaphis,
Plumbo urat artus, vulnus incaſſum irruet
In non paventem. Cæſus adamantis rigor
Ferroque, & homini injuriam impingit ſuam,
Immiſſa in auras tela Achæmenii ducis
Fecere tenebras, ulla ſemotum attigit
Sagitta ſolem ? vincla Neptuni manus
Strinxêre ponto injecta ? non miſer eſt dolor,
Sed mens dolore fracta. Servatæ reus
Fidei, cataſtas Regulus, tenebras, cruces,
Et quod malorum maximum eſt, Pœnos tulit,

Miſerum

Digitized by Google

Miſerum putabis ? unctus epulatur Nero,
Interque largas regii luxus dapes
Inſumma ludit capita ; quà juſſit Spòrus,
Cadit Senatus ; Roma pulſanti Chelyn
Tumulata flammis barbarum inſpirat melos.
Dices beatum ? Quemlibet mente æſtima,
Vtramque virtus Domina fortunam regit.
Honeſta mors, aut vita ſapienti eſt bonum.
GAL. Honeſta ne ſit, diritas pœnæ vetat.
ANT. Fieri beatam nec vetat, claram facit.
GAL. Non eſſe tanti non emo. ANT. Virtus emat.
GAL. Si porrò eundum eſt unico impulſu exeam.
ANT. Referre credis quamdiu, aut unde exeas,
Si porrò eundum eſt ? GAL. Morte finitur dolor,
Nolim diu perire, ne peream ſemel.
ANT. Velim ego ſemel perire, ne peream diu.
GAL. Horrenda mors eſt illa quam leges jubent.
ANT. At ſempiternam perfidis cudit Deus.
GAL. Amœna vitæ gaudia, & lætum juvat
Coluiſſe genium, vivida ad ludum, & jocos
Invitat ætas. Egóne præſentum bona
Stultus dierum perdam, ut incerti metu
Crucier futuri ? ANT. Scilicet lege hâc ſatus
Veniſti in auras ? nulla virtutis tibi
Mandata cura eſt ? una te letho dies
Animamque rapiet ? fabula, & cinis, & nihil
Poſt fata fies ? Sed quid in vitâ expetis ?
Quod illud eſt, cui totus incumbis, bonum ?
Fortuna vanus mentis eluſæ jocus.
Spolium ſenectæ robur, & morbo decor.
Cohors amica, miſeriæ ſolatium.
Ventoſa longo ſyrmate ambitio tumet,
Malefida in alto lubricos ponit gradus.
Quid opes ? periclum poſſidentis, aut onus.
Et avara in omnes vota porrigitis plagas :
Soliſve nomen prodigâ indulſit manu
Quodcumque naſcens Phœbus, aut moriens videt ?
Ager ille populum cepit, & Domino vacat
Non ſolus uni. Fundus hic, regnum fuit.
Hæc illa foribus clauſa tercentum domus,
Cui vacua longas atria objiciunt moras,
Validæque turres acre propugnant latus,
Vrbs eſſe potuit. Ite littoreos ſinus
Onerate villis, Cycladas Heſperio mari,
Cycladas Eoo ſpargite ; extra anni vias
Locate ſedes, omnia extruitis loca,
Vivitis in uno, ſinguli. Sunt hæc mala,
Sed pulchra. Luxus adice, Pontificum dapes

Digitized by Google

Ventris ſaburram. quid Dionææ loquar
Meretricis ignes, turpe quà placuit bonum?
Quid conjugalis proditam lecti fidem?
Salit in Priapum, faſcino nupta inſidet:
Fœda eviratos flammea obnubunt ſponſos:
Ingens cinædum tumulus Antinoüm tegit.
Ruitur in hæc propudia? in hoc animum polo
Hauſiſtis homines? ſceleribus ſcelera additis:
Beatitatis magna pars veſtræ eſt, diu
Peccare: leges ſcilicet dirum tonent,
Immunis eſſe qui poteſt, inſons erit.
TIT. Privata quereris, hominis, haud populi mala.
ANT. Vnum unus, omnes omne compleſtis nefas.
TIT. Sibi quiſque mentem moribus fingit ſuis.
ANT. Sibi quiſq; mores fingit ad mentē, & Deum.
TIT. In prava nullus devios ducit Deus.
ANT. In pravá multi devios ducunt Dei.
TIT. Boni malorum vindices? ANT. Imo rei.
TIT. Natura ſanctos fecit. ANT. At vita improbos.
TI. Humana de Diis loqueris. AN. Et Divos putas?
GAL. Quid illa tangis? ſacra Pontifices canant.
Adriane ſolùm id poſceris, legum impiger
Mandata facias: quiſquis eſt cœlo Deus,
Cœlum gubernet. more quo Domini volunt,
Vivatur iſtic. Nam coli fruſtra autumo
Sibi quietum, fata volventem ſua.
Haurire fumos thuris, & donis capi,
Aut capere vota vulgus inſanum putet,
Et hoc timore gentium conſtet quies.
Mens alia nobis: cuique fortuna eſt Deus,
Favorque Regum Iuppiter. Chriſtus, ſimul
Vterque neuter, ſunto ſi reges volent
Divi, & colantur. ADR. Iſtud impietas mihi,
Galluſne ſuadet? ſic Deo nulli litas,
Profeſſus omnes? Si tuam dextram, & fidem
Romanus hinc, hinc hoſtis ad partes vocet;
Vtrique faveas caſus ut quemque offeret?
O perduelles! innocens Chriſti genus
Fidumque, nullo Regum in obſequio labat,
Reges habere vos putem, expertes Dei?
GAL. Aures amicis denegas? ADR. Ite impii,
Mea ſacra teſtor, nunc amicitiæ pudet.
TIT. Reconde latebris miles, & vincla aggere.
Iter eſt in aulam. Cæſaris te jam puta
Iuſtum ad Tribunal ſtare. ADR. Vos rigidum Dei
Cito ad Tribunal. GAL. Regium cingent latus
Iræ, neces, tormenta. ADR. Cum Chriſto irruent
Cruceſque, & ignes, & rotæ, æterna omnia.

CHO.

CHORVS

Chriſti laudes proſequuntur Chriſtiani.

DIcite pubes candida Chriſtum,
Lauro circùm tempora vincti:
Chriſti ducat Roma choreas
Malè Cæſareis aucta triumphis.
Perfida ſacrilegam volvebant ſecula noctem.
Vndabatque aris vulgus ferale Deorum:
Fudit humus ſuperos, immortalemque creavit
Materia informis populum, ſuper aurea Cœli
Sidera, adulterio ſoboles Saturnia crevit.
Alliis audet dare thura Memphis:
Scythes cruentò ſupplicat enſi:
Invenit aras Simia turpis:
Et tu Crocodile, voratâ
Puerûm ſufferte catervâ.
Hæc portenta Deûm
Seculi quos conſecrat error impuri
Damnaſti Averno Chriſte, verum
In jura ſibi debita ut aſſeras Tonantem.
Tu Solis radius non variabilis:
Tu fons fonte ſatus; tu ſpeculi nitor
Vivam perpetuò reddis imaginem.
Spectantemque refers, vides videntem,
Nec ſpectante minor, nec junior
Æterno generante perenniter.
Omnia poſſe,
Omnia ſcire,
Optima velle, dedit Nativitas.
Tu ſanctus, tua ſanctitas:
Tu bonus, bonitas tua:
Tu rerum archetypum vetus,
Irreprenſibilis regula tu boni.
Dum te, dum redamas Patrem
Vinclo non reſolubili
Sanctis nexus amoribus,
Quem producis Amorem!
Quando mortalis ſuper-induiſti
Membra naturæ, ſimul & paterno
In ſinu clauſus, ſimul & videri
Inter æquales facilis, liquentes
Æquorum paſſu ſolidante campos
Tutus intraſti; ſilvêre venti,
Et procellarum poſuit tumultus.
Corporum peſtes abiêre morbi

Vocis ad nutum dominæ : ſepultis
Reddidit manes Libitina membris :
Hoſpes impuro Phlegetonte miſſus
Senſit imperium, maleque occupatos
Perdidit artus.
Te cœleſtem monſtrante viam
Fugit ab aris lugubre ſonans
Plebs vana Deûm : Cortina ſilet,
Periitque fati Phœbus ignarus ſui,
Prius alieni perſpicax.
Iamque Mercurius, claudicanſque læſo
Poplite Vulcanus,
Satyrumque, Faunorumque cornuta
Monſtra, & Olympi
Ejecto Patre tyrannus
Fraudes profeſſi, nomina vana
Et largos populis dedere riſus.
Quid Styx ringeris ?
Quid tot ſuppliciis terribiles Eumenidum manus
In Chriſti genus armas ?
Proſpero vivet data ſecta cœlo :
Chriſtus Romuleum tenebit orbem,
Et verum miſeris mortalibus
Pandet iter ſua per veſtigia.
Tempus erit cum tranquillâ rate
Mundum ſulcabit Chriſti decus.
Chriſtum clauſtra canent Mareotica,
Et non invito ſub gutture
Chriſtum ſtridebit Scythicus rigor :
Surgentique Indus Phœbo obvius
Dulce ſalutabit Chriſti jubar.
Genſque Iovis cultrix Mauruſia,
Maſſagetumque minax truculentia,
Manſueſcet Chriſti ſub nomine.
Aurea tum current promiſſi ſecula mundi,
Mutabit natura vices, reparata tumebit
Fruge novâ tellus ; Pax divite candida peplo
Vmbrabit latè populos ; terraſque reviſens
Sparget honoratum vivax Aſtræa ſerenum.

A C-

ACTVS TERTIVS.

ARGVMENTVM.

PROMISERAT Nataliæ Adrianus curaturum ſe ut ea moneretur ſi quando in Martyrii arenam deſcenderet. Dum ergo ad Cæſarem perducitur, facilè à Flavio impetrat, ut ex itinere ad ſupremum conjugis oſculum divertat, ſolus, & liber. Sed in ejus conſpectum vix ſe dedit, cùm illa defeciſſe à Chriſto delicatum juvenem rata, quibus eum convitiis, quibus contumeliis è domûs feneſtrâ non excipit? Verùm rem totam denique edocta quò ſeriùs à metu reſpirat, eò ferventiùs Martyrii candidatum complectitur, & nuptiali veſte ſplendentem ad curiam proſequitur. Quo viſo Cæſar ornatum illum, animi mutationem interpretatus, multis blanditiis honoribuſque ſibi conciliat: inque ejus gratiam, longam ab Authimo ſene pro Chriſtianis Apologiam patienter audit. Cui dum reſpondere conatur Metellus, inter utrumque controverſia de religione agitatur. Sed iſto jam deficiente, diſceptationem terminat Galerius latâ in Martyrem utrumque ſententiâ ut fuſtibus, ligniſque acriter verberentur. Cui Conſul

addit, ut nemini aditus in carcerem pateat: quò deſtituti ſolatio vincti ſe Deoſque reſpicere cogantur.

SCENA PRIMA.

Ad Cæſaris tribunal Martyres ducebat Tribunus, ſed Adrianus impetrat ut ex itinere ad Nataliam ſalutandam liceat divertere.

FLAVIVS. ADRIANVS.
ANTHIMVS.

SI non, iniquo tempore, exoſus tuos
Ad unum amicos, aliqua conſilia accipis,
Permitte fari; Adriane quiſquis te Deus
In illa adegit verba, peccaſti improbè.
Proceres decebat mitiùs habere imperî,
Excipere honore publico, & fidas boni
Conſulere voces: imprimis ſævum ulceri
Doliturus unguem, quamque ſopire eſt opus
Tenace flammam perditus olivo foves.
Vidi quietum Cæſarem, & jam jam tuo
Veniam daturum crimini: orabant tui,
Tuæ & propinqui conjugis: cùm aulam gradu
Rapiunt citato Conſul, & Gallus comes,
Suos labores, conjugis lacrymas, tua
Reſponſa narrant, quodque vix credi queat,
Linguæ procacis jurgio, & gravibus probris
Nequiter abactos fugere ſe; qualis pede
Qui preſſit anguem incautus. Hîc fremere aulici,
Pallere amici, Mænadum in morem faces
Oculis vibrare Cæſar, & toto cruces
Spirare vultu: longa quod vivis mora eſt,
Etiam in catenis. Ire quis contrà audeat
Si quando vaſtam paſſibus magnis tulit
Furias per aulam ſolus, immanè infremens?
Tunc ſi adfuiſſes. Vertite hanc Superi in caput
Hoſtile rabiem. Parte ſed magnâ ferox
Poſuerat animus, jamque placari potens:
Egêre proceres parte ne indictâ alterâ
Duci juberet, lege inauditos agi.
Tardè acquievit. Rapite veſanum citi
Noſtrum ad Tribunal, clamat; & quaſſans caput,
Malè ſic poteſtas luditur; iniquum cies

Furioſe bellum, cadere quo ſolùm potes.
Sed hoc petis: ſed oportet; & ſi mens tibi
Tam læva, dabitur quod petis, quod non petis.
Ita Cæſar. At tu ſtatue quo juſtus dolor
Placetur aditu, quâ ferum evincas prece:
Certò occidiſti. ADR. Si reum facti citat,
Feciſſe fateor: jure ſi factum negat,
Non pœnitet feciſſe. FLAV. Lictorum cohors
Robuſta teneros ſcorpio, loris, flagris,
Cùm ſcindet artus, fune protenſum undique
Luxabit equulus, Conſulum veſtro ebria
Sanguine ſecuris membra, non vitam auferet;
Tibi ſuperſtes truncus hanc feries humum,
Tunc, pœnitet, clamabis, & facti pudet,
Sed voce ſerâ. Parce ſi dira occino
Malè ominatus augur: ut ſe res habent,
Graviora metue. Fructum amicitiæ puto
Fida in periclis monita. ADR. Præcepi antehac,
Et inferendo ferre perdidici mala.
Sed me priuſquam Cæſar in vinclis videt,
Permitte, Flavi dulcis amplexu ultimo
Fruar maritæ. Tenuis eſt lethi mora,
Et triſte munus. FLAV. Debita ſupremum rogas
Vtriuſque meritis: non facit juſſis moram
Pietas licet diuturna: celebremus tamen
Ne Cæſar iræ faciat hoc partem ſuæ.
ADR. Præcedite hinc vos, ſolus ad ſolam ferar.
Thalamus recuſat conſcium. FL. Fortis quidem
Timere virtus prohibet, & mortem diu
Animus laceſſens: Si quis amoto tamen
Cuſtode latebras ſuadet imbelles metus;
Homo es, potes nutare. ADR. Me de te æſtimas
Ignave lixa? Scimus ô ſpretam tibi
Redimere vitâ gloriam, ſcimus gradu
Compoſti in uno vincere, aut pulchrè mori.
ANT. Meliora Flavi. fortia & facere, & pati
Eſt Chriſtianum, nemo repreſſit pedem
Chriſto incitatus: notus Adriani vigor
Per tot furores Principum & Regis minas,
Præluſit orco: geſtit invictum caput
Lauro propinquâ cingere, & certam abnuat
Victus coronam? poſtulas mortis vadem?
En adſum, & illo quotquot incluſi ſpecu
Causâ perire non ſuâ læti ambiunt.
Addo & per orbem quanta Romuleum manus
Chriſti catenas patitur; in fratre unico
Vadamur omnes. FL. Plena quæ veſtri plaga
Non eſt laboris? quiſve generoſos negat

Chriſt.

Digitized by Google

Chriſto fideles ? nec tuam damno fidem
Adriane, ſed me Regis offenſi metus
Mihi providere cogit. I fauſtâ alite
Quocumque libuit : hoc precor, ne te implicet
Familia vanis. Verba, lacrymaſque amputa,
Moriturus iſta rumpe quæ frangunt viros.
Diſſolve nexus miles, haud aliter lares
Nataliamque cernere Adrianum decet.
ADR. Ad Cęſarem ambo, mox ſequar, quod ſi favor
Non abiit omnis, pauca pro causâ loqui
Permittat, ora. Video quæ Dominum imperî
Audire proſit. FLAV. Si domi vinci cupis,
Si ſtas in illo conjugis charæ ſinu,
Quam fronte lætâ Cæſar id de me audiet ?

SCENA SECVNDA.

In carcere & vinculis divina ſe voluptate perfuſum miratur.

ADRIANVS.

HEu ! quò voluptas ſancta ? quò cœlum fugit ?
Etjámne vinclis Numen, & Numen loco eſt ?
Durâ revinctus compede, infandæ luto
Tenebriſque caveæ clauſus ô quales polo
Hauſi liquores ! gaudia ô quanta ebibi !
Illuſa mundo pectora, heu ! mentes boni
Saturæ fugacis, huc parum ſtabiles & huc
Error vagari cogit, & vanâ famem
Proritat umbrâ : ferre pro Chriſto aſpera;
Gaudere certum eſt. Ecce dum vincla exui
Mihi reſtitutus, ceſſit infirmos vigor
Fuſus per artus, abiit adſtricti Deo
Animi ſerenum : ſentio, non eſt meum,
Quod tot periclis extuli victor pedem ;
Quod tot malorum inſuetus, extrema appeto;
Quod gravia recolens in face, & ferro, & cruce
Mens acquieſcit ſuaviter, non eſt meum.
Si provocare fata, ſi duram datur
Mortem occupare fortiter, Chriſte eſt tuum.
Pugnet Adrianus, Chriſte tu palmam feres.

SCE-

Digitized by Google

SCENA TERTIA.

Servus à Natalia ſalutat Adrianum, narratq́ quàm cupide & fortiter illa Deos penates in larario repertos diſfregerit.

TIMÆVS. ADRIANVS.

DOminum ſalutat nobilis conſors tori,
Rogatque num quid deſit? an ſalvè ſatis?
ADR. Vbi illa? quid agit? TIM. Excutit totã penum,
Cellas recludit ſedula, hinc byſſum, hinc togas,
Hinc vile linum ſegregat. Fama eſt opes
Proſcribere amplas. In tuos certè lares
Sæviit iniqua: nullus evaſit Deûm:
Et quos colebas ſanctiùs, ludum hoſtibus
Dedêre, & aurum. Me quoque in prædæ bonus
Partem vocavit Iuppiter: contra aureum
Fulmen ſteti audax, voluit obniti quidem,
Conatu at uno brachium, & telum abſtuli.
ADR. Mox adfuturũ nuncia. TIM. Ad cæcã domũ
Adire juſſus, tempore haud juſto redux,
Percellam amantem. Quid cùm & Adrianum ſciet
Turpi catenâ liberum, amiſſos pedem
Ferre in penates? gaudio pectus ſalit;
Vel cuncta fallunt, pileus vel me manet.
Sed curro, tarda eſt omnis optanti mora.

SCENA QVARTA.

Præcipit cogitatione voluptatem, quâ Nataliam ad ſuum aſpectum perfundi debere opinatur.

ADRIANVS.

LIqueſcit iterùm pectus, inque hominem loco
Motus relabor, terrea antiquos lares
Subit voluptas, meque cœleſtum eripit
Beatitati. Prima conjugii fides,
Et dulcis ardor oſculi, & totos tegens
Complexus artus, quodque delicias ſuprà eſt
Natalia ipſa quàm pio fragilem dolo

Furatur

Furatur animum ? liberum, & nullo latus
Cuſtode cinctum, penè & addictum neci
Quâ fronte cernet ? baſia è quibus imprimet
Secura labris ? quóſve morituro ſonos,
Quæ verba fundet ? Non quæ adulari artifex
Nuper cavebat Conſuli & Gallo aſſeclæ
Factura fucum : lacrymis, precibus, probris
Videre videor, quâque plus mulier poteſt,
Blanditiâ, amantem, mente ſollicitam anxiâ
Petere, docere, ambire, gratari, inſequi.
Mihi hanc magiſtram Chriſtus, & fidei ducem
Paravit olim, nec pudet. Virtus bona eſt
Vndelibet adſit. Fallor ! an claves ſonant ?
Matrona quali noſtra cum ardore advolat ?
Ipſa eſt, quis illam turbo tam præceps agit ?

SCENA QVINTA.

Tunc illa ſuſpicata fugere eum Martyriũ, incredibili affecta dolore eſt, & flevit amariſsimè. Cumq́; eum conſpexiſſet, ſurgens projecit è manibus quæ tenebat, & clauſo oſtio exclamavit : Faceſſat hinc procul à me qui defecit à Domino, & mentitus eſt Deo ſuo, &c. In vitâ Adrian.

NATALIA. ADRIANVS.

HEm ! ADR. Salve amata. NAT. Martyr ! hem victor ſtygis,
Domitor tyrannorum! ADR. Anime mi ſalve ſatis ?
NAT. Perjure, Chriſti proditor, generis lues,
Sacrilege, mundi dedecus : ſtare hîc potes ?
Nec terra ne te ſorbeat rupto ſinu
Fœdifrage metuis? ADR. Siccine maritum excipis
Amara mulier ? NAT. Solis hanc ſpecta facem,
Lucere ut indignatur ? ut tenebras petit ?
Vt fugere inardet, & remetiri polum ?
Tuum erubeſcit facinus, ut turpem impiâ
Condat latebrâ transfugam. Et Cœlo potes
Offerre vultum ? cernere, & cerni potes ?
ADR. Hîc indecorum eſt conjugum audiri probra,
Subeamus ædes, jurgiis dabitur modus.
NAT. Túne hos penates? AD. Me meo excludis lare?

Digitized by Google



Natalia hæc eſt ? quis furor mentem incitat ?
Quæ monſtra fatur ? uxor heus, Natalia
Aperis ? recludis ? cogis effringi fores ?
Adeſte famuli, quique communi levem
Emitis ſalute ſportulam, Dominus voco,
Voco Adrianus, rumpite obſtantes moras,
Properate, patriâ Dominus ejicior domo.
NAT. Ego Caja, non tu Cajus : incaſſum imperas:
Parere vetui. Vade, promiſſas opes,
Et ampla honorum culmina, hortoſque & domos,
Repete à Tyranno victus, & Cœli bonis
Excluſus. I volvente mobilior trocho,
Infide Proteu, Cepphe, Plutonem roga :
Domum ille averno præparat, multâ domum
Flammâ micantẽ, & ſulphure. ADR. Adriano lares
Natalia aperi. NAT. Carceris cuſtos forem !
Numquam exiiſſes. Magne promiſſis Thraſo,
Vix dum ſonabat claſſicum, & molles tremor
Invaſit artus. Vnde ? quid ſperas boni ?
En te tyrannus odit infidum Deo :
Timidum aula ridet, Martyres abortum, & ſuæ
Peſtem execrantur gloriæ : Chriſtus Styge
Sibi perduellem damnat ; in pœnam, manus
Armant miniſtri Cœlites ; Cœlo & ſolo
Ejectus ad me curris, ut rapias parem
Tecum in ruinam ? ADR. Tædet irarum & moræ,
Aperi. NAT. Vt receptum te domus, meq; obruat?
Vt nos, Dei odium, propius afflatu eneces ?
Quid ſpreta faciam Martyris nuper ſoror,
Modo perduellis uxor ? heu ! quis me impio
Cocyti alumno junxit ? ô nox ! ô dies!
Quâ me, execrande, baſio primum obtuli.
Nunc conſeneſcam, mœſta, languida, tabida,
Miſera, infidelis paſſa conſpectum viri.
Sic nata non ſum, non ego ignavo, impio
Hâc dote nupſi. ADR. Quo ruit ? quo fert truces
Lymphata greſſus ? video quid rerum paret :
Vincla exuiſſe perfidum Cœlo putat :
Meliora Chriſte ! ſemet in furias agit,
Iunctamque thalamo ſcelere conjungi vetat.
Et hos juventus, hos amor tædæ recens
Exeat in ignes ? fœminæ hoc robur vocem
Non æſtuantis corde ſub magno Dei ?
NAT. Tua tibi habeto. Porta, quàm lata eſt, patet
Ingredere, fruere, pejera, Chriſtum abnega :
Et ſi potes valere, perpetuum vale.
AD. Natalia, heus quo ? NA. In carcerẽ, abjectâ tibi
Raptura palmam, Martyrum jungar choris

Penſare

Penſare poſſum mulier imbellem virum.
ADR. Natalia audi, ſcire quod cupias, loquar.
NAT. Sile, aut nefandæ ſtirpitus linguæ fibras
Hâc, hâc revellam dexterâ. ADR. Vera eloquor.
Fraus abeat omnis. Numen obteſtor meum,
Tuumque conjux, Chriſtus immotâ ſedet
Mihi mente victor : occidam, ſi me dies
Vidit fugacem. NAT. Scilicet greſſum huc feras
Comite & catenis liber ? ADR. Avertat polus
Quod metuis. In me prima tempeſtas furit,
Inire pugnam cogor ; invictum dolis,
Ad arma amici provocant : Cæſar citat,
Iamque urget hora : fidus interpres meæ
Promiſſa vocis impleo, dumque arduum
Auſpicor agonem, robur è cœlo ambio.
Credis ? ſupremos junge complexus ſoror.
Dubitare pergis ? hinc tamen ſalve ultimùm.
Cumque Adriani ſæva ſupplicia audies,
Saltem Tonantis Numen in vota advoca.
NAT. Reſiſte frater. Lingua peccavit procax?
Agnoſco Chriſti Martyrem. ô ſi fas foret !
Vt inviderem ! ut membra tormento inderem !
Tortoris ictum clepere ſi furtim dares,
O me beatam ! ADR. Pone jam votis modum,
Vocat hora, num quid imperas? NAT. Nō hoc tamē
Duces triumphum ſchemate. ibi laurum metes,
Hic picta dabitur veſtis. Huc aliquis. Togam
Citatus affer rore Sidonio ebriam,
Quam Phrygia pinxit dextera, & circum duplex
Mæander auri currit. Hymenæo dedit
Adriane pompam : ſanctiùs non hoc quidem
Servata in uſus Martyrem Chriſti obteget.
Induere ceſſas ? Ecce flagrantem ferunt
Pinum Camilli cœlites : totis ſacrum
Auditur aſtris carmen : it lateri comes
Virgo, parenſque pronuba : amplexus parat
Chriſtus cupitos. Martyr i nuptum Deo,
Da cœlo amores : labis hic expers torus.
O dulce mentis oſculum ! ô caſtum Dei
Complexum amantis ! fontem ô æternum boni !
Quid melius aut par Roma deliciis fovet ?
Roma ? ah doloſi portio mundi fugax.
Tamen & per enſes ſæpe, non dubiæ per &
Pericla mortis itur in certum ultimæ
Mortis periclum : frigidum, æſtivum Iovem,
Curas, repulſas, tædia, & Dominæ probra
Faſtidioſæ ferre veſani jubet
Amoris æſtus, his emunt horam malis,

Serumque pœnitere. Te præſta virum
Adriane; tenui pœna momento parit
Æternitatem. ADR. Totus in cœlum feror.
Hîc condita ævi meta. Sed timeo tibi
Amata conjux: lege damnatum, bona
Sequentur: unde nobilem ſerves ſtatum,
Eripiet haſtæ Cæſare offenſo rigor.
NAT. Humana mitte, Martyres, cœlo & Deo
Invictus hære. Cura me tanget mei.
Tu pars mearum magna gazarum, eripe
His te periclis, tuta ſum: ſi te Dei
Recondo in arcam, mille nil Crœſos moror.
Nimis eſt avara cui ſatis non eſt, Deo
Dives maritus. Fallor? apparet cohors
Prætoriana? Cæſar hîc cauſam audiet.
Diſcedo, macte Adriane, nunc animis opus,
Deus in propinquo eſt. Chriſte luctantem adjuva.
ADR. Secreta vires vota luctanti dabunt.

SCENA SEXTA.

Coram Cæſare pro Chriſtianis Martyr, & contra Deos copioſe diſſerit, jubetur tamen uterque verberibus lacerari.

GALERIVS. ADRIANVS. ANTHIMVS. METELLVS.

QVid ſolus agitas? unde hic ornatus togæ?
Gratum eſt quod aliud mente conſilium coquis.
Sortem banc priori confer, & reducem fove
Beatitatem ſedulus. Noſtro ſede
A Conſule alter; munus, officium, decus,
Sine nomine, ingens, tale quod compar Iovi
Dare poſſit, ora: Cæſar Adriano dabit
Cui neque ſeipſum denegat. Non hoc loqui
Nuper volebas? cerne quam promptè audiam,
Nondum rogatus vota qui facio rata.
ADR. O digna Superûm cura, Romulei caput
Columenque regni, tutius magni loca
Cumulum favoris, quicquid extremum tibi eſt,
Meritum omne ſuperat. Si quid obſequiis tamen
Donare ſpondes, commoda huic aures ſeni,
Hoc munus ingens eſto. GAL. Quàm faciles volet.
ANT. Malum inquietum fama, & incertũ, & vagũ,
Sui auctor ipſa, quæ mala affinxit, timet,
Avara recti, perque rumores procax

Creſcit malignos : quamdiu minimùm probat,
Perennat audax : ſi probat, cadere incipit,
Munuſque functa nuncii, rebus fidem
Fieri ſuadet. Illa naſcentem, & ſuo
Adhuc rubentem à patre, Chriſtiadûm fidem
Inimica ſparſit : credulus vulgi timor
Audita fictis auxit, & crevit tenax
Menſura falſi. Nemo jam quæri jubet
Quod fama ſeclis aluit ; innatum ferunt
Pietatis odium, quodque judicio nequit,
Famâ æſtimandum liberis tradit pater.
Hinc illa credunt, farreo infantem tegi
Perimique cruſto : poſtque ſacrilegas dapes
Miſcere tenebris veneris inceſtæ toros.
Et hoc putare ſatis habent : quod ſi foret
Nulla expiaret flamma, non ſorbens maris
Elueret unda. Quotquot externos habet,
Tot patitur hoſtes ſecta : numeroſo agmine
Circùm obſidemur, cœtibus ſe fraus quoque
Inſinuat imis, perque nocturnas meat
Inviſa tenebras : ſcelera quis tanta eruit ?
Vidiſſe quis narravit ? Evicti metu
Liquêre partes plurimi, & pactum ſacris
Solvêre fœdus, veſtrum ad arbitrium impii :
Feciſſe quis fatetur ? abſolvunt tamen
Edicta dudum veſtra, nec damnant nefas
Sed Chriſtianum nomen : ita non quod ſumus,
Sed quod vocamur, crimen eſt. Leges reum
Plectunt fatentem ; quale delicti eſt genus
Quod ut negetur, torqueor ? fio innocens
Ego ille naturæ hoſtis, & Regum, & Deûm,
Poſt cruda puerûm pabula, & raptum integræ
Florem ſororis, proditam imperio fidem,
Si Chriſtianum nomen invitè abdico.
Quid ergo ? puros ſceleris injuſtæ neci
Tot ſubdidêrunt ſecla ? Si crimen vocas,
Fatemur unum : thure non colimus Iovem,
Non ſupplicamus Herculi : Cœlum Deo,
Ritus peroſi publicos uni damus.
Nam cur adorem terra quos homines tulit,
Cœlo ſacravit error ? & nondum loquor
Portenta vatum vera quæ prodi nefas,
Vos falſa fingi finitis. Huic cornu minax,
Huic perpes alâ maximus Divûm placet.
Abnoctat iſti potiùs, & caſti rapit
Thalami pudorem adulter : eſt & quem juvat
Procos tot inter facere rivalem Deum.
Vxoris ille jurgia, & pœnam canit :

Auro

Auro pependit conjuge irato ſoror,
Et domina Iuno, gemina Reginæ pedes
Gravavit incus. Patria Vulcanum polo
Ejecit ira, cecidit hic totum diem,
Lemnumque claudus preſſit. Exemptos ſolo
Vitâque caſſos quis Deos, manceps Deus
Majorque fecit? Nempe multorum manu
Erat adjuvandus? Ante Saturni genus
Non fluxit aſtris imber? haud ullæ ſuprà
Micuêre flammæ? tacitus, & teli innocens
Dilapſus humor nubium? quos fert manu
Non timuit ignes Iuppiter? Sed quæ Deos
Fecêre merita? Farris Actæo ſeges
Primum novali educta: Lenæo fluens
Liquore Naxus: olea viridanti Deum
Victura trunco: valle Nemæâ Leo,
Serpens palude domitus. Occluſit fores
Illis receptis; multa potiorum undique
Volvuntur orco millia, & Cœlo procul
Abſiſte turba, clamat. In vacuas mali
Venere ſedes. Hoſpes antiqui Dei
Excidit Olympo Ianus, at geminâ probrum
Servat pudorem fronte, quam turbæ Iovis
Excuſſit æſtus ſcelerum, & immanis furor.
Etiamne regnant Pallor, & Pavor, & Febris?
Et hos velis habere præſentes Deos?
Virides ab hortis Pharia dat tellus Deos
Canemque Anubin, teque qui numquam ſatis
Quæſitus Apis ludicros luctus moves,
Amiſſus iterum. Sanctiùs quantò Deum
Chriſtigena format? ſceptra qui Cœli tenet
Ille ille (Cæſar) unus & Cœlum, & ſolum
Capace replet Numine, & rerum vices
Mutat movetque ſtabilis: æternâ ſedens
In ſede Dominus fluere ſeclorum jubet
Perennitates: terminum rebus locat
Immenſus, infinitus, & nuſquam minor,
Et ubique totus. Quæris huic nomen Deo?
Deus eſt ſuum ipſe nomen: in plures cadit
Diſcreta virtus nominum, ne ſingulos
Confundat error omnium: ſed quem facit
Natura ſolum, nomen eſt uni Deus.
Huic mundus ara eſt: ſi poteſt fingi, in ſuo
Spectetur opere. Vividum artificis Dei
Homo ſimulacrum eſt: compos ætherei micat
Vigoris animus, mole terrenâ vacans
Tranſcurrit auras ſubitus, & morte altior
Æterna luſtrat. Numen hoc templo ſedet;

Hîc conſecrandum eſt victimâ. Infantes vorat
Saturnus Afer, ille natorum antea
Tumulus. Ad aras flagra ludentes necant
Spartana pueros. Editum Majâ viris
Cruenta placat Gallia. Ignotum bibit
Inhoſpitalis ſanguinem Phœbi ſoror.
Iovem cruore Roma Latialem colit:
In honore divûm ſorbet immenſas ferox
Arena cædes: ſacra res ludis homo
Mactatur, inter Cæſarum innocuas manus,
Inter ſecures Iudicum: & cæſi arguunt
Pueri innocentes? & per invidiam reos
Faciunt ſuorum criminum? at noſter Deus
Intaminato mentis obſequio coli,
Vt ſanctus ambit. Fraudibus linguam obſtrue,
Occlude Veneri lumina, innocuos tege
Animo receſſus, comparem factis ama,
Deo litaſti. Chriſtus hos mundo intulit
A Patre ritus: Chriſtus æquævus Patri
Quâ Deus Olympo regnat: in noſtros minor
Se fudit artus, gentis humanæ artifex,
Reparator idem, de ſalutari edidit
Hæc juſſa trunco: quicquid adverſum impudens
Calumnietur fama, quam docti ſumus
Legem irreprenſi vivimus: morum luem
Non tegimus ore, pallio & barbâ boni.
Tales ab ævo Cæſarum vitæ ſagax
Cenſura reperit. Fecit Auguſti nepos
Privata Chriſto ſacra: ſi ſinerent Patrum
Decreta, Chriſtus numen Auſonium foret.
In Chriſtianos juſtus inquiri vetas
Trajane mores. Templa jam Chriſto dabas
Adriane, quod ſi pergeres vatum metus
Contemnere audax, Roma ſub Chriſti jugo
Iam militaret. Chriſtianorum fuit
Illa illa legio fulminis, & imbris potens,
Quæ ſempiternum peperit imperio decus,
Tibi triumphum Marce. Qui Solymam truci
Vertêre dextrâ, genitor, & melior patre,
Si vita ſineret, natus, in Chriſti genus
Quæ tela legum, quaſve torsêrunt faces?
Bacchante primus Dite Cæſareum Nero
Exacuit enſem. Roma fumantis dabat
Simulacra Trojæ, regis imperio ſui
Futura buſtum: ſenſit invidiâ obrutus,
Derivat in nos crimen, immanes alit
Cruore flammas. Cæſaris furias luunt,
Voce abſoluti publicâ. Frater Titi

Buſtum aliud orbis, Flaviæ gentis probrum
Aggreſſus in nos furere, ſuſtinuit tamen
Malè feriatos impetus. Fera non homo
Thrax Maximinus, pariter & ſi qui impii,
Si qui Tyranni, quoſque barbariæ reos
Damnatis ipſi, noſtra damnarunt ſacra.
Nam quis probari tam malis optet bonus?
Nunc eligendum, Cæſar, utrorum magis
Te vita deceat, exitus utrorum juvet.
Nos aliqua mundi membra, naturâ pares,
Regni Latini portio, &, ſectam excipe,
Cives, propinqui civium, totam imperî
Molem occupamus, nullus à Chriſto vacat
Relictus ordo: chlamyde Romanâ latet
Militia Chriſti; nobilis Chriſtum tegit
Abolla Patrum; purpura, & veſtros gerens
Prætexta faſces, ſe tibi obſequio probat,
Sed ante Chriſto. Nomen ut Chriſti eruas,
Eviſcerandus maximi imperii ſtatus.
Curia Senatu orbanda, Iudicibus forum,
Vacuanda ſervis aula, quodque hoſtes velint
Clara legionum robora indignâ nece
Truncanda, Cæſar. Iamque quà ponto volans
Vtroque magnam Phœbus inſtituit viam,
Sylvæque, & urbes, ſaxaque, & cæci ſpecus
Natant piorum ſanguine. O non ſic perit
Lethi cupido nobilis: non ſic cadit
Pietatis ardor. Integra, inſiſtens ſibi
Animos ab ipſis ſecta ſuppliciis trahit,
Damniſque creſcit. Chriſtianorum cruor,
Chriſti ſequaces germinat: nudum feris
Objicitis unum, mille certantem vident,
Chriſto eadem arena mille ſpectantes parit:
Dum ſtabilis hæret pectore immoto fides.
Efferre nam quis lumina in cœlum vetet
Quo me ſupinum vis tyrannorum ejicit!
Quem renuit animus colere me cogas Deum?
Vel quem animus ardet colere me impedias Deum,
Qui mente colitur? libera humanas tenet
Relligio mentes; quicquid exterius fremat,
Opertum in animo eſt; non colit, ſi quis poteſt
Non colere cogi. Quicquid hic à me accipis
Privata non eſt cauſa: Me letho vocat
Languida ſenectus, carceris longi ſitus,
Et ſciſſa plagis membra: vox Romam ſonat,
Eheu! ruentem: viſcera effundi dolet
Regni potentis, ſanguine ſuorum oppida
Stagnare, & agros. Corrigi natos monet

Clemente pœnâ, non novercali manu
Perire: Patrem patriæ afflictis jubet
Conſulere mundo, civibus, famæ, ſibi.
Demùm iſta vivet ſecta ſi Auguſti ſinent:
Eademque ſecta, non ſinant, vivet tamen.
GAL. Oratum abunde eſt. Cæſarum & legum ſatis
Tentata pietas. Poſcis armatâ prece
Pacem ſceleſtis. Hoc capi proceres metu
Delire ſperas, meque? ſi juſtus dolor
Ebullit unquam! ponere ſed iræ modum
Animoque præſtat; ſubigere humanas placet
Ratione mentes, ſi quid humanum tenent.
Cauſam Deorum quâ fide, & ſuadâ potes
Aggredere præſul. MET. Iam perorarunt bonam
Tranſacta cauſam ſecla: damnari nequit,
Quod nemo non probavit. Heroum tulit
Partus verendos terra, cum Saturnio
Splenderet auro mundus: argento Iovis
Succeſſit ætas pejor: hinc ſeſe minor
Veſtivit ære, ferreus donec rigor
Cœlum occupavit, noſque degeneri nimis
Profudit ortu: per tot ætatum gradus
Micuêre ſophiæ ſidera, & mundo inſitam
Fregêre noctem: Cecropis antiqui domus,
Quot voluit undas pelagus, autumni recens
Quot folia frigus decutit, nobis ſophos
Tot una peperit: edidit Perſis Magos,
Generoſa Druidas Gallia, & rapido India
Subjecta Phœbo rupe Caucaſeâ videt
Pendêre nudos. Ecce tot ſeclis virûm
Tam multa noſtros millia aſſenſu pari
Coluêre Divos, unus & contrà impio
Incurret auſu? Singulæ in ritus ſuos
Abiêre gentes, nulla contempſit Iovem.
At illa rerum Domina, terrarum potens,
Alumna Cœli, ſacra populorum omnium
Accepit aris, regna quæſivit manu.
Dives triumphis proſperas rerum vices
Curſu ferebat præpete, æternos boni
Secunda fructus fata ſpondebant Deûm:
Cùm Chriſtus intervenit, & lævo objice
Pacem moratus publicam, heu quantos tibi
Peperit dolores Roma! Tu merito licet
Pilate trunco fixeris, ſerò tamen
Dilata ſcelerum eſt ultio, hæredes malæ
Invenit artis, credulas vulgi magus
Implevit aures, animus hinc pravi tenax,
Seſe per orbem publico expertus malo

Quid

Quid ſceleri inauſum liquit? hic ſuperos polo
Elicere ſpondet: ille commotâ ſtyge
Exire manes: alter è membris luem
Carminibus abigit: latice deceptis, caput
Hic luſtrat excantato, & infandâ prece
Initiat orco. Cæſarum primos recens
Peſtis fefellit, atque compoſitæ nitor
Probitaſque frontis, inde per totum imperî
Effuſa corpus, improbo amplexu necat.
Sic ubi ſequaces robore annoſo comas
Implicuit hedera, jamque ſupremum eminet
Lambens cacumen, impio ſuctu ebibit
Nutricis animam, quemque naſcendo premit,
Creſcendo truncum perimit. At non ſe Deûm
Continuit ira: cladibus quantis monet
Ni læva mens eſt, terminum inſtare imperî?
Petis unde diræ, & peſtilens Romam gravet
Mephitis? Vnde Tiberis egreſſus toro
Stagnetur urbe? ſtare quæ Cœlum manus
Iubeat? quis almum invideat humorem ſatis?
Cur ſemihiante quicquid in culmo ſpei eſt
Decoquat adurus Sirius? Memphitici
Vix ſumma limus arva libarit Iovis?
Vidit tenebras Phœbus, & noctem dies
Elumbis hauſit: fulminum nothâ face
Rubuêre noctes: undique infauſtâ alite
Vlulantur umbræ: ſpiritus terrâ horridùm
Cluſus remugit: alia diſjecti procul
Texêre montes ſpatia: titubanti ſolo
Abrupit Iſthmos pontus, & peperit ſibi.
Armatus aſtris crepuit attonitis fragor,
Rutilumque pigrâ tramitem duxit face
Crinitus ardor. Monſtra quid memorem hoſtium
Emiſſa dite nomina Bagaudas, Chrocum,
Carauſium, Blemiaſque, Francoſque, & Gothos?
Ac ni Deûm quadriga fortunam imperî
Invicta veheret, Trebia jam votis foret
Optanda, quique ſpreta punivit lacus
Auſpicia ſuperûm. Dira Chriſtiadûm lues
Etjámne ſævis? Carnifex mundi furor
Quo trudis odia? deſerunt aras Dei,
Tacitis aruſpex incubat vanus fibris,
Aviumque linguas damnat, & pennæ fidem
Eluſus augur: Domina regnorum ſilet
Cortina Phœbi: nulla fatidicam entheat
Dodona quercum: jura tutelæ abdicant
Romæ penates. Statue flagitiis modum
Veſana turba, vincimur; non hoc ſatis?

Gemimus. Parum eſt? obruimur: etiamnum leve?
Saturemus iras, quoſque barbaries ſuat
Negare miſeros, eſto ferali pium
Tumulare buſto, rapere ſpirantum jecur,
Et Chriſtiano dente ſcrutari abditos
Animæ receſſus. ANTHI. Ruit in auxilium furor
Cùm ratio deſit: ſic malè Auſonios moves
Orator animos. Chriſtus omnigenûm caput
Et fons malorum eſt. Fabulam rebus proba,
Compone teſtes, non facit rumor fidem.
Quid? Chriſtus ex quo Numen in terras tulit
Natura fluxit? inſitam rebus fidem
Elementa frangunt? comprimit motum reſes
Vertigo cœli? bruma diuturnum tenet
Amœna ſolem? noctis umbroſæ moras
Extendit æſtas? nullus in nubes liquor
Pendet coactus? nullus immotas vapor
Spirat per auras? Allia, & Trebia, & probrum
Pacis redemptæ Caudium, & rupem citrà
Everſa Gallis Roma, Patriciæ auctior
Cremera cruore gentis, & jam non locus
Cannæ, ſed orbis tumulus, haud culti Iovis
Scelus expiarunt? Templa Chriſtiadûm manu,
Et ſacra ruebant ſpreta, cùm Sulla impotens,
Et Marius armis melior inſanas foro
Fecêre cedes? biſque civilem bibit
Æmus tumultum? tuque Germanis feras
Paviſti in agris Vare? Mortali hunc modum
Felicitati conditor poſuit Deus,
Vt ſe ipſa frangat, ut per oppoſitas vices
Cadatque, ſtetque: Machinam rerum nefas
Timere ſolvi: peccat, & certo tamen
Diſcors aberrat ordine, ut factum ſemel,
Non ritè fieri oſtendat. Irati Iovis
Quod ſi illa pœna eſt, proſpero vobis eat
Natura curſu, nos ut oppoſita obruat.
Veſtras benigno proferat tellus ſinu
Rigata ſegetes, culmus in noſtris macer
Rareſcat arvis: ſuppleat veſtros greges
Fœtura, noſtros creber invadat lupus.
Veſtris ab oleis dulcis exſudet liquor,
Amurca nobis: Rore Bacchæo fluat
Autumnus in vos, ſtillet in noſtros ager
Cados avarus. Sed quis è multis Deus
Inſurget ultor? fare, quem verum putas
Iovem è trecentis? MET. Magna Tarpejo colit
Quem Roma templo. ANT. Turba natorum Iovis
Vnde aſtra meruit? MET. Generis æterni bono.

ANT. Et

ANT. Et cur tot orbi Iuppiter fudit Deos?
MET. Foret ut beatus. ANT. Eſſe qui ſolus nequit?
MET. Bonitas Deorum eſt, eſſe nec poſſunt boni,
Pares bearint ſorte ni multos ſuâ.
ANT. Claudus beatum Mulciber fecit Iovem?
MET. Aliique quotquot ſemine æthereo ſati.
ANT. Parricida Mavors, Phœbus Amphryſo greges
Agens Pheræos; Evius cornu ferox;
Hermes peritus clepere, capripedum ſalax
Pecus Deorum? MET. Magna ſub turpi latent
Operta velo. ANT. Priſca cur tantum Deos
Peperêre mundo ſecla? cur divûm ferax
Sterileſcit uterus? MET. Cœlites puerum ſenem!
ANT. An quia minutis cuncta Numinibus ſcatent?
Cœlum fatiſcit, agmen heroum leves
Inundat auras, voluit Oceanus Deos?
Deos Avernus ructat, & tellus Deos?
MET. Natura ſummo quâ patet, paret Iovi.
ANTH. Quid ſi ſenectus fibulam injecit Deo,
Cyprias vietum frigus extinxit faces?
MET. Quid ni juventa perpes, & viridis Deo?
ANT. Effœta fors & pellices tellus negat.
Danaën repone, redde Catamitum Phrygem,
Europa redeat, redeat Aſopi genus,
Erit ignis, aurum Iuppiter, taurum induet,
Aquila volabit. MET. Ecquid hæc tandem ſatis
Recocta crambe? ANT. Sponte ni fœtum patri
Valens bipenni Mulciber findat caput:
Aut femore rupto bis ſatus Cadmi nepos
Saliat in auras. MET. Fabulas vatum canis.
ANT. Quas veſtra feſtis ſcena ſuppliciis agit,
Interque penſa virgines veſtræ canunt.
GAL. Odi prophano docta mentiri ſtylo
Laſcivientes Græculos. ANT. Levibus patent
Aſperſa falſis vera. ne famam putes:
Iovem Ida peperit. Creta ferali tenet
Cinerem ſepulchro: regna violentus patri
Extorſit hæres: profugus, afflictus ſenex
Aliena coluit jugera, & patiens heri
Meſſuit ariſtas ſceptra quâ tulerat manu.
Exin magiſtro libera, & patre, & ſene
Avida juventus quale non auſa eſt nefas?
Fortuna regum eſt ire quà nulli licet.
At ille matris dedecus, fratris pila,
Nepos novercæ, quem pererratum expulit
Virtus per orbem famula, num ſponte Omphalem
Leno maritam paſſus, & monſtris graves,
Clavæ aſſuetas fregit ad calathos manus?

Inde ubi ſtolatus fabulam Lydis dedit,
Oetæa ſcandit buſta, & exoſus ſolo
Recens per aſtra fecit Engonáſin Deus.
Sic conſecrantur ſcelera, fit libidinum
Cœlo lupanar : ut quod arriſit Deo,
Pravum videri deſinat. Nam quis vetet
Quam Deus Olympo monſtrat, aut aperit viam?
Et hoc choragi circulatores canunt,
Et hoc juventus cerea in vitium trahi
Tonante diſcit verbere, & magnæ ſpei eſt
Quicumque meliùs furta dinumerat Iovis.
MET. Diſci vetabis ſcripta quæ mundus colit?
ANT. Neſcire pulchrum eſt facere quod turpe eſt, ſenex,
MET. Quod turpiter fit, ſcire, ut evites, decet.
ANT. Tale eſſe cenſes quod fit exemplo Deûm?
GAL. In vana abiſſe jurgia hàc liceat tenus.
Hoc jubeo : ſi vis vivere, Tonantem Iovem,
Deoſque adora. ANT. Vita ſi tanti foret
Tuis catastis ante certaſſem eripi.
Nunc cùm ſenectæ veſter acceſſit labor,
Inſpirat aliud Chriſtus, & Cœlo brevis
Poſita doloris meta. GAL. Tundendum flagris
Abripe ſatelles, effluat laceros loquax
Anima per artus : tædet hoc monſtro ampliùs
Spurcare ſolem. ANT. Chriſtus ad palmam vocat.
Stas Adriane, an ſequeris? ADR. Injuſtè facis
Æquè nocentes, Cæſar, arbitrio impari,
Hoſtis, & amicus dirimis. An plecti jubes
Quod liberè auſa eſt lingua! dixi quod meo
Dixit rogatu. Chriſtus ad culpam redit:
Sum Chriſtianus. GAL. Proditor. quis me tenet
Quin enſe pectus? ultimum hoc deerat tuis
Veſane technis? fidus, & patiens tui
Eram hàc petendus? Chriſte quàm ſævo fodis
Stimulo immerentes! quàm malâ, & forti manu
Divellis animas! Sed ubi, ſed de quo queror?
Me perdidiſtis aulici : nam dum necem
Pietas moratur, ſpreta majeſtas ruit.
Sarcite culpam, veſter, & dudum meus.
Illuſor hic eſt : fuſtibus quantum poteſt.
Nudate latera : nemo pro vitâ roget.
Actum eſt : amorem juſtus excluſit furor.
ADR. Hoc tamen amoris pignus, heu neſcis, tui eſt:
Grates rependo, vota quod cumulas mea :
Quod per furorem, Chriſtus ignoſcat polo.
Vale Galeri, Iudicem judex time.

SCE.

SCENA SEPTIMA.

Mirantur Cæſaris adſeſſores Martyrum fortitudinem, eoſq́; invicem divellere decernunt, ne Adrianus ab Anthimo ampliùs corroboretur.

TITIANVS. GALLVS. FLAVIVS.

Rape ad flagella; mole dein ferri gravem
Reſtitue cippo. Pectus attonitum ſtupor
Non occupavit Galle: tam ſimilem ſui,
Tam non paventem nullus Adrianum dies
Spectarat unquam. GAL. Mirus hic non eſt rigor
Crudos tueri Martis aſſueto impetus.
Vidi irruentes, quaque telorum ſeges
Horrenda condenſatur, ardentes mori.
Nuper Latinâ pectus exhauſtus manu
Vulnus juvabat miles, & capulo tenus
Haſtam induebat, tramite ut certo ſuum
Referiret hoſtem: victus & victor pari
Iacuêre letho. Nempe quid fugiat bonæ
Contemptor animus lucis, & morti obvius?
TIT. Sic eſt, timere ſtrepitus armorum vetat,
Reſonanſque murmur, cornuum & toto agmine
Diffuſus ardor, quodque vel ſummum reor,
Hos gloria, illos præda ſperantes agit.
Sed torva Regis ora ſpectare, & diu
Vnâ quietum ſede, conſtantem ſibi,
Optare legum verba, ne pactam ſuo
Animus Tonanti fallat inſtabilis fidem,
Hoc Chriſtianũ eſt. GAL. Stemma patriciæ domus,
Et avita honorum decora, Cæſarei recens
Munus favoris, quodque ſpes reliquum facit
Projicere juvenem: mortis ut certus dolor
Dubias futuri credulo ſortes emat,
Hoc eſt furori proximum. TIT. Quanquã improbâ
Læſit protervus voce, amicitiæ tamen
In jura veteris redeat: indignum quoque
Letho extrahamus. GAL. Munus ingrato dabis.
TIT. Vtendo fiet gratus. GAL. Invitus nequit.
TIT. Qui ſecla ſperat, vivere invitum putas?
GAL. Qui certa ſpernit, vivere invitum negas?
TIT. Non ille vitam reicit, at Chriſtum tenet.
GAL. Tenere utrumque jure Romano nefas.

TIT. Quem

Digitized by Google

TIT. Quem lingua fallax pectore inſevit Deum,
Excutere nequeam? GALL. Qualis humenti ſolo
Segetes tenace lappa complexu necat:
Inhæret animo talis, & verum obruit
Avidè recepta falſitas. TIT. Sed quis vetet
Aditus ſecundos aggredi, atque omni ariete
Malè pervicacem impellere? GALL. Hoc ſocii ſenis
Sperare ſuada prohibet, & mentis vigor
Supplicio, & ævo major. Everſum puta,
Vitam ut redonet Cæſar? ut juſtæ modum
Permittat iræ? TIT. Cæſaris præſto fidem:
Pietas repugnat ſæpe dum cogi cupit.
At ille ſuprà vegetus ætatem ſenex
Age ſegregetur. Facilis impendet labor
Tribune, cæſos conde diverſo ſpecu,
Et ahena ſerva clauſtra, ne tacito pede
Irrepat ullus: ipſe vix tenuem dies
Rimetur aditum. FL. Conjugem Adriani quoque
Arces ab antro? TIT. Fœmina levis eſt dolus:
Admitte, tamen & lumine intento vigil
Speculare, ne quod præſtet auxilium viro.

CHORVS

Exulare ab hominibus veritatem, & in ejus locum falſitatem aliasq; morum peſtes admitti conqueritur.

MAgni propago Patris, honoribus
Intaminatis candida Veritas,
O quàm peregrino laboras
Divâ ſolo, melioris hæres!
Te purpuratis pervia ſimiis
Regum aula ridet: te ſacer infulâ
Prodit Sacerdos: te loquentem
Sanctius Auſonii Senatûs
Odêre Patres. Quo ſemel exulas
Contempta regno, Perfidia impios
Celans receſſus, falſitaſque,
Frauſque ſubit, pavidaſque ducens
Error tenebras: omnipatentibus
Venenum adulans auribus ingerit,
Gratuſque quâ lædit ruinâ
Viſceribus furit occupatis.
Tales doloſâ rupe Pelorias
Puella nautæ non bene credulo
Stillavit artes, & volantis
Velaque, remigiumque cantu

Fixit

Fixit carinæ : riſit inhoſpitis
Deprehenſa puppis vorticibus, dabat
Mortem voluptas, & volentum
Blanda lues populabat artus.
Non omnia ibunt ſecla nigrantibus
Corrupta fuſis : ſed vitia interim
Placent rudimento, gravemque
Prima levat novitas laborem :
Experta languent ; dat ſaties modum.
Virtus perennat ſola, boni fames
Augetur uſu, ſeque turpis
Impatiens ſenii propagat.
Cum tela lucis per liquidum aëra
Recente Phœbus fudit anhelitu,
Primoque non puros calore
Elicuit pelago vapores.
Vides ut atrâ nube tyrannidem
Cœlo minantur ? ſtat Deus altior,
Viamque rimatus diei
Dividit hinc tenebras, & illinc.
Tandem recepto pulcrior æthere
Mundo auſpicatam Cæſariem explicat :
Curruque jam victor, ſereno
Per ſolitos equitat meatus :
Talis cupitum reſtitues jubar
Alumna virgo temporis, & jugum
Olim triumphatæ ſequentur
Horribiles ſcelerum catervæ.

ACTVS QVARTVS.

ARGVMENTVM.

CVM nihilominus omni ope Adrianum cæteroſque Martyres ſublevaſſet Natalia, edixerat Tyrannus ut matronis omnibus carcere interdiceretur. Valuit ea res ad deterrendas fœminas. Natalia autem reſectis capillis, mutata veſte, togata procedit in ſcenam.

Hoc ſchemate cui fucum non faciat? Primus occurrit Flavius, qui & legem, & legis cauſam, & egregia Nataliæ in carcere facinora, Nataliæ narrat admirans. Illa verò cata mulier, indigniſſimè ferri edictum à Nataliâ ſimulat, totamque culpam in Tribunum ipſum ab eâ derivari. Hic qui jam ſemimortuo Adriano Nataliam deperibat, in illius gratiam, eum, quiſquis eſt, in carcerem ad Adrianum introducit. Deinde ſuam ſecum ſortem lamentatur, qui certam, ut putabat, ſpem potiundi illius conjugii perdiderit. Sed ecce aliud miſero malum. Galerius admonitus contra edicta ſua aliquos vinctis adeſſe, actus in furias, Tribunum, & oblatam ſibi pro viro Nataliam, tantùm non ad mortem rapi jubet. Hæc autem Nataliæ cauſam tam prudenter agit, vt non tantùm facti veniam, ſed etiam regrediendi in carcerem, & extremum Adriani ſpiritum legendi poteſtatem impetret. Nam illo iracundiæ abreptus æſtu Galerius, Anthimum capite plecti, cæteros fractis cruribus inter tormenta vitam reddere imperaverat.

SCE-

SCENA PRIMA.

Lege latâ ne fœminæ ulli aditus in carcerem pateret, ornatum virilem induit Natalia, tum ut Flavium à quo jam ad nuptias quærebatur, eludat, tum ut ad Adrianum ignota perveniat.

NATALIA, in virili habitu.

Animos viriles ſæpe fœmineo ſtola
Obtexit habitu : reddo depoſitum togæ :
Audax virilem fœmina ornatum induo.
Non clara virtus, non Deus ſexum eligit,
Quicunque fecit fortiter, Chriſto vir eſt.
Nec major aut ſecurior forti latet
Virtus abollâ : crinis effuſi decor,
Circumque picti ſyrma luxurians pepli,
Et nebula collum linea infidè tegens,
Niveum tribaccâ pectus eoâ tumens,
Et ille mundi mundus illecebra, & feræ
Vox Veneris anceps, quam malè ingenui locum
Servant honoris ! pallet intutus pudor
Viros tot inter, & quid in vitâ, viros
Non cogit inter eſſe ? prædatum irruunt
Quà non timentur. Melleus linguæ lepos
Occultat hamum : virgini illuſum eſt priùs
Retecta quam fraus pateat. Invaſi dolum.
Hominesque cepi cauta quà potui capi.
Hæc una me lux Flavio notam facit,
In hoc mariti cauſa me alloquium impulit :
In carcere ipſo, (credat hoc quiſquam?) in ſitu,
In morte, vivo conjuge affectat meos
Improbus amores : laudat abſentem; obviæ
Occurrit ultrò, blandiùs verba eliquans
Salutat; hæret; ardet. O ſancte integri
Cuſtos pudoris, ſi quid Adriani poteſt
Vxor mereri ; ſi qua te pietas movet
Pro te relictæ ; ne, per invicti hactenus
Ligni trophæum, per triumphantem fidem,
Ne patere vinci robur, & Cœlo ſacra
In hæc relabi membra : violavi caput,
Flavumque ſecui crinis intonſi decus,
Ne rete ſtolidis tenderet : jam tu meum
Caput eſto Chriſte. Cycladas, armillas, peplos,

Corym-

Corymbum, inaures, lunulas, tricas meras
Tandem abdicavi : Chriſte potiorem dabis
Amare mundum. Mentior corpus viri,
Servata thalamis Chriſte perpetuùm tuis :
Vtque Adriani ſpiritum præſens legam.
  Nec me recentis ſubmovet legis metus,
Ibo uxor, ibo mulier, & ſi me pia
Fraus in periclo deſerit, mortis ream
Iunget marito : & ne quis immeritum putet
Subire lethum, duplices necto dolos,
Vt per volentem Flavium, ignaro ſpecum
Natalia intret Flavio, & notos viro
Vultus, Tribuno voce non fractâ tegam.
Et ecce circùm limen obſcuræ domus
Sollicitus errat. -------

SCENA SECVNDA.

Natalia jam non ipſa Flavio lepidè os ſublinit, & eo penè cogente in carcerem intrat.

NATALIA. FLAVIVS.

------- Quiſquis es, cœlo auſpice
Occurris. Iſto carcere Adrianus jacet?
FL. Quis, & unde poſcis? NAT. Conjugi eunuchus comes:
Huc miſſus adſum, ſi vel alloquio licet
Recreare Dominum, quando fœmineam procul
Exeſſe curam Cæſar iratus jubet.
FL. O te beatum, fata quem tali obſequi
Voluere Dominæ. Legis edictum novæ
Quâ mente cepit? NAT. Iura naturæ ſibi
Negata queritur, Cæſarem exceptum dolis,
Plenâ Tribuni voce perfidiam increpat :
Amoris hoſtem clamat, & ſterilis toro
Dignum leænæ ſancta qui tædæ vetet
Fœdera jugalis : in maritarum choro,
Inter quaſillos virginum, immanis ſonat
Nomen Tribuni; Veneris iratæ jocum
Faciunt puellæ. FLAV. Funditus perii miſer.
NAT. Tune es Tribunus ille? FL. Sexcentos Ioves
Et mille divos eligam offenſos magis
Nataliâ unâ. Non capit frenos dolor,
Ibo, & recentis exequar facti ordinem.
Decepta credet Flavio. NAT. Fruſtrà iveris,
Vidi migrantem laribus, & ſævo minas

Murmure

Murmure frementem. FL. Méne inauditum reis
Iniqua junget? quid ſi & edicto truci
Dedit ipſa cauſam? ſceleris eventum ſui
Refundet in me? NAT. Si patrocinium petis
Tibi adero, crimen explica, Nataliæ
Dictum putato. FL. Forma cui ſimilem facit;
Si mitra crines, ſi pedes tegeret cyclas,
Natalia eſſes ipſa. NAT. Iudicium probo,
Sed occuparunt plurimi, ut quiſque aſpicit.
FL. Vbi Adriano valida lictorum manus
Ligniſque, fuſtibuſque difregit latus,
Iterum ad catenas ferre ſeminecem inſtiti,
Iuſſuſque ahenâ carcerem obduxi ſerâ,
Ne quis mali ſolamen afflictis daret.
Aditum impetravi conjugi: irrata audiat,
Dicam furenti, gratiam hanc debet mihi,
Scit Conſul, & qui Conſulem ſequitur gradu
Gallus propinquo: venit ingenti choro
Comitata matrum. Fateor attonitus ſteti,
Numeruſque, perſonæque ſecretum haud dabant.
Tandem periclo mortis addixi caput
Nataliæ ergo. Quà patent valvæ, loquax
Ingreditur agmen, perque cellarum abdita
Seſe refundit. Tale vimineis ruit
Examen antris, & ſuſurranti thymum
Bombo ſalutat, illa clementi manu
Diducit oras vulnerum; hæc tabum ulceris
Exſugere audet: illa manantem ſtolâ
Tergére ſaniem gaudet: hæc lectos ſinu
Vermes recondit, rore turgentem putes
Baccam ipſo in Indo radere. Æquales ſuprà
Socia Adriani fervet: & quamquam omnibus
Impendit animum, totus exſangui labor
Manet in marito, viſcerum effuſas legit
Cohibetque partes, vulnera humenti rigat
Oleo, alligatque: vincula, & ferri levat
Immane pondus: quicquid exſequitur decet.
Non hâc Machaon arte, non Phœbo ſatus
Affecta tractet membra: quod tetigit manu,
Conglutinatur vulnus, & plagis amor
Facit medelam: deinde cum lævi cibos
Infert in ora pollice, & fundit merum,
O nectar! aut cùm ſuſtinet dextrâ caput,
Collumque mulcet, cumque in amplexus cadit,
O baſia! NAT. Illâ conjuge Adrianus tibi
Felix videtur? FL. Capere quæ potuit Iovem,
Iunone ſpretâ, namque perpetui toro
Digna erat amoris præcoce Adrianus fidem

Digitized by Google

Ætate dirimit. NAT. Nomen Adriani excidat,
Thalamos relictæ melior affectat procus.
FL. Quis ille? NAT. Genere, gloriâ, & formâ inclytus,
Opumque dives. FL. Cæſari invidiam parat
Hoc quiſquis ambit. NAT. Cæſaris ſortem ſuprà
Evectus, illum timeat? FL. Herculium manet,
Ioviúmne? NAT. Diſces, fata ſi rapiunt virum.
Sed cur vetabas conjugum extrema oſcula
Delator importunus? FL. Hoc vaſto caput
Tellus hiatu ſorbeat, ſi me audiit
Conſul loquentem. Vile Cuſtodum genus
His aucupatur gratiam, & crebris ferit
Proceres querelis, viſa non viſa aggerat;
Hinc illa legis fata muliebri negant
Aditum cohorti. NAT. Si quis eſt precibus locus,
Doniſve, jam nunc maximè admitti ad virum
Natalia rogat. FL. Non ſi achæmenias opes,
Non ſi in penates divitem immittat Tagum,
A me impetrarit, Sola veniſſet, pius
Tutò eſſe potui. NAT. Sola, per tenebras, caput
Centone tecta, veniet. FL. Excludam, ratum eſt.
NAT. Sunt multa, queîs te ſi fidē hanc reddis, beet.
FL. Fidem imperanti præſto. NAT. Pietati dabis,
Amat maritum. FL. Méne ut alienum oderit,
Morique cogat? NAT. Quod times præſto malum,
Idem erit periclum meque, & illam admittere.
FLAV. Rogare parce, gratiam introitûs tui
Nataliæ omnem facio. NAT. Sat rigidè quidem,
Sed tempus aderit, pauca cùm doleas, meâ
Voluiſſe causâ. FL. Semivir forti utilem
Navare opellam turgidus ſperes viro?
NAT. Dolebis, inquam, meliùs ignotos habe.
FL. Certùm ire porrò, an ſtare quid dubium tenes?
Comitare tu intrò: cætera obſervet cohors
Cui clauſtra pateant, ſi quis immittat pedem
Iterum movebo, capite ſupplicium exigam.

SCENA TERTIA.

Dolet Tribunus ſe in offenſionem Nataliæ incurriſſe, cujus nuptias jam animo ſpeq; præcipiebat.

FLAVIVS.

QVi ſaxo amorem Theſpium, aut rigido extudit
Faber metallo, mole tardavit Deum
Fragilem & volucrem: penna nutantem huc & huc

Fluxu

Fluxu reciproco portat; apprenſum putas?
Digitos inanes ludit: illuſtri vides
Splendore cinctum: frangitur quà plus nitet.
Revocare ſparſa fragmina, incertus labor,
Nec membra membris artifex unquam manus
Sic alligarit, quin per ingratas hiet
Fractura rimas. Animus ardeſcit, vitro
Duxiſſe amorem, vitreâ inſtabilis Deus
Volabit alâ; ſtringere aggrediar manu
Manum refractus fallet, & adacto volam
Penetrabit ictu. Vitreos plagæ appetens
Lunabit arcus, cumque fatiferum oſſibus
Indiderit ignem, tela rumpentur feri
Medullâ in imâ. Stabit aligero comes
Fortuna puero divitem oſtentans penum
Cornu capacis. Cæcitas utri minor,
Levitaſque divo? ſpernit immeritos uter,
Volat ad merentes? nempe non formæ bonum
Sed ſortis amor eſt. Parte jam magnâ ſui
Mortem Adrianus hauſit, & totum optimæ
Rapit maritum conjugi; expertem tori
Soboliſque linquit. Ergo primævo vigens
Natalia ævi flore, quam Veneri aureæ
Fecit venuſtas ſupparem, at mentis vigor
Æquat Minervæ, vidua, deſerta, anxia,
Caſti tumoris neſcia æternùm gemet?
Furias mariti ſolvet, & culpam innocens?
Reparare thalamos equidem, & incerti vagos
Æſtus parabam pectoris nunquam irritâ
Stabilire tædâ; fateor Adriano minor,
At non pudendus. Et mihi eſt clarum genus
Nec dextra bello futilis: formam quoque
Dedit alma Cypris: ſtare plebejo gradu
Et fata vatum, & ſtella natalis vetant.
Quid plura? cœpi amare, & obſequium mihi
Bene grata debet. Senſit ambita, & bono
Reſpondit oculo: qualis os plenum exerit
Adverſa fratri Delia, & nubes face
Rumpit ſerenâ. Sed quis heu! rutilum notus
Obduxit aſtrum? quis mihi eripuit diem?
Nimis inquietam de maritali ſinu
Abigi imperavi Cæſar: id factum meo
Credit relatu, præmia officii miſer,
Et tot ſalutes perdidi: in partes amor
Deſiliit, & quis poſſe reparari autumet?
Saltem Adriani vita dum corpus reget
Non erit amari facilis: atque illud placet
Quod ſemivivo inhæret, & ſpirat fides

Vel morte in ipſâ pertinax : quantò æquiùs
Stabit perennis nacta connubio virum
Diuturniorem ? Cujus impulſu ſtrepit
Cardo palatî ? Cæſaris prodit cohors.

SCENA QVARTA.

Certior factus Cæſar de ignoti alicuius in carcerem ingreſſu, graviter increpito tribuno, ſibi hominem ſiſti imperat.

GALERIVS. FLAVIVS.

ITa non rebellat Chriſtus, & juſtam imperî
Legem capeſſit ſubditus ? rapite ocyùs,
Eruite ten.bris, fata violantem mea
Iuvat intueri. Perfidos etiam greges
Tribunus auget, capitis & cuſtos ſacrî
In me furentes armat ? eſt aliquid ſuper
Iudæa, quò me cònſilî expertem trahat
Religio ? me ipſe metuo, nam circùm latus
Milite & amico ſpoliat. Infande huc ades.
Te video perduellis ? hunc aditum tua
Proditio reperit ? ſi quid in dominos paras,
Sumus hàc petendi ? FL. Dubius infidum tibî
Rumor Galeri nunciat, an implet tuas
Delator aures ? vita quam vixi, tua eſt :
Nec ſi piget vixiſſe, nec mortem abnuo
A te imperatam. Cuncta cernentem Iovis
Sed teſtor oculum, ſi quid eſt factum improbè
Dictúmne, capiti Cæſar, & generi meo.
GAL. Quis ille ſontis clauſtra penetravit domus ?
Quis carceres irrupit, ut dulci impios
Soletur ore ? FL. Nemo violentos tulit
In adyta greſſus, ſic mihi faveat polus,
Tuque alme Cæſar, nullus irrupit domum.
GAL. Ignave, non ſi mille glomerentur neces,
Oculoſque ſtringat chalybis horrificus nitor,
Convellere auſis legem, & auguſtæ ultima
Effata vocis : túne gratuitò malus
Terrore nullo adactus, in mentis meæ
Decreta pecces ? FL. Nulla fraus juſſum abrogat,
Vis nulla legem ; non vir immiſſus domum,
Non fœmina introgreſſa. GAL. Verborum dolos
Si neſtis, ego te rupe præcipitem dabo,
Thebana qualem morte nobilitat lues.
FL. Ænigma ſi te fallit, ædipodem tenes.

SCE-

SCENA QVINTA.

Cæſarem Natalia placat Natalia, & ab eodem mortis ſententiam in Adrianum impetrat.

GALERIVS. NATALIA.

Túne ille legum qui per obſtantes moras
Irrumpis audax clauſtra? qui Regum minas,
Amentiæ, fraudiſque materiam facis?
Vbi ſpem ſalutis Cæſare offenſo locas?
Etiámne vitæ tædet, & properum mori
Furore redimis? quiſquis, aut unde advenis,
Diſpone mortem. NAT. Iuſtus exſtimulat dolor,
Peccaſſe fateor, mente ſed factum bonâ.
Ego Adriani conjugem aſſector comes,
Fato parentum ſervus, alloquio & ſinu
Excluſa domini, legis auguſtæ ſonum
Attonita, pavida excepit, & fruſtrà pia
Oculos in imbres ſolvit. Heu fata aſpera,
Mecum Adrianus vivat, aut moriar prior!
Vni ſuperſtes conjugi, præda omnium
Quò timida mulier ibo? nec charum licet
Abluere lymphâ corpus, aut ſummum datur
Transfundere in me ſpiritum. Hinc probra aggerat
In te, in Tribunum, in Conſulem. Quod ſic vomit
Amor eſt. At aſtra quando, ſuperoſque increpat,
Quid dixit, aut quid tacuit? ô larvæ Deûm!
O muta templis ſaxa, cur fulmen riget
Si quid poteſtis? ſpreti, & illuſi diu
Feritate legum ſtatis: Auguſti ſinant,
Iræ recondant ſpicula, & crudas neces,
Cœlo excidetis. Iuppiter ficulnee,
Diana aprorum, Phœbe ſerpentum metus,
Tremenda ſaxis Pallas, & Mavors feris,
Quis vos Typhœum mille pugnantem toris,
Gyges, briareos montibus vulſis graves
Domuiſſe narrat? vile Chriſtiadum genus
Lacerata ſecta, virgines, pueri, Deis
Minantur, & timentur, ô Cœli probrum!
O malè parati conſcium regni Iovem!
Miſerans querentem talia, eluſo impuli
Cuſtode, fateor, carceris forti dolo
Penetrare limen; ſed tuæ legis metu
Non ipſa veniat, moneo; ſubmittat virum

Notum Adriano : ſancta quod pietas velit
Non impediri legibus ; gratum fore
Quod nunquàm amatum deſerat: me me offero,
Qui tot periclis vile ſubjiciam caput.
Et nunc paratum pectus ad mortem gero,
Fateorque crimen, juſſus intravi ſpecum.
Non ulla mihi vis, Cæſar, effregit fores,
Subii volente Flavio, extremam tuli
Domino ſalutem. GAL. Noſtra clementi vigent
Imperia ſceptro, pone fœmineos metus :
Quod auſus in me es parco, nec Nataliæ
Condemno amores, pœna nec legi addita eſt
Illius ergò, viſus eſt conjux, ope
Indignus ullâ. Iámne phryx plagis ſapit ?
NAT. Animus dolori pugnat, & fractos vigor
Suſtentat artus pervicax latios Deûm
Odiſſe cultus, quando me fari jubes
Audebo Cæſar, Domina ſi dictum improbat,
Seque viduari, conjugem tolli dolet,
Plus Principi debemus, & Domino imperî.
Quod pertinacis pectus hâc frangi manu
Putas Galeri, falleris, morbo ferox
Medela cedit : maximè in ſuperos furit
Cùm plus vetatur ; qualis effractâ crepat
Fornace clauſus Mulciber, ſeque explicat
Per inane victor : odia per lacerum vomit
Talis cadaver. quótque carnificis manu
Patuêre plagæ, tot probra in ſtatuas Deûm
Eructat ardens, ſeque ſic Chriſto probat.
Quid plura ? deſperatus, & vitam trahens
Suſpirat in te Cæſar, & mortem rogat.
GAL. Mortē execrando dabimus, & quod nō rogat
Longam, aſperam, inſolentem. Age incudi indito,
Manus, pedeſque ferreo vecte atterat
Rumpatque validus carnifex, animam expuat
Inter dolores. Pœna par dudum nocens
Populetur agmen. Summe Regnator Deûm
Qui ſimul amicos fœdere æterno alligas,
Tibi ſum cruentus, cauſa me cogit tua
Furere in amicos ; hæc tibi hecatombe cadit.
Opima non ſi colla ſubmittant greges,
Fumetque ruris tota Panchæi ſeges,
Meliùs litaro. Ennuche, ſecuram jube
Nataliam eſſe ; teſtor auguſtum caput,
Opum nihil peribit ; & ſpero, tori
Reparabo tædas, ſervet hanc nobis fidem,
Mille Adrianos faciet. NAT. O fractæ ratis
Portuſque, ſpeſque ſola, ſi famulam exigat

Digitized by Google

Tibi nexa vitam, mille ſi cupiat tibi
Profundere animas, vivere ingratam tamen
Cæſarea pietas coget. Hoc etiam precor
Adnecte donis, certus ut triſte afferam
Solamen orbæ, liceat Adriani ultimum
Morari agonem. GAL. Si lubet morere inſimul,
Tua eſto, Conſul, cura, lege actum volo.

CHORVS

Occaſione Nataliæ in illuſtrium fœminarum virtutes excurrit.

QVid par habuit fœmina fortis?
Quid pretioſo natura ſinu
Sanctâ meliùs fudit in auras?
Illa pudicam ſervare domum,
Et Palladias docta per artes
Ducere tenui pollice lanam,
Famâ celebris, formâ ignota.
Circùm dulces ubera nati,
Caſtæ veneris præmia, pendent,
Et virtutem ſub lacte trahunt:
Qualis rivus gramina tingens
Haurit patrio fonte ſaporem.
Illa arcani ſapiens cuſtos
Domini in dubiis ſedula rebus
Quas non animo verſare vias,
Quid non lacrymis ſuperare potens?
Vtramque pati bona fortunam,
Et concordi comes ire toro.
Sic quæ rigido marmore ſculptum
Intulit aſtris Domini nomen,
Vivâ cineres condidit urnâ.
Quæque Emathiis animoſa virum
Perdidit arvis, pluſquam ſocios
Ebibit ignes non verita mori.
Et quæ pectus non dolituro
Saucia ferro, Pætum docuit
Optare necem. Quæque maritum
Obvia fatis morte redemit.
Auſa & mulier ſæpe virilem
Cohibere fugam: ſæpe emotas
Reddere pavido pectore vires.
Cruenta viros ſtraverat agris
Sparta, ſed Argis repperit hoſtem,
Et fœmineis cincta maniplis

Quæ ludenti cecinit plectro
Teleſilla, manu prælia fecit.
Dedit & Tyriis jura colonis
Galla virago.
Stabat in armis gens Dite ſata,
In ſua verſis certa perire
Viſcera telis. Iamque Odryſiam
Mavors avidus moverat haſtam,
Quâque ille viros, quâque ille feras
Territat urbes: jam ſanguineam
Bellona facem phlegethontæis
Animarat aquis: ibat divam
Comitata trucem turba malorum:
Ira hoſtili ſanguine paſta,
Et læta ſuis ultio damnis,
Proprioque dolor gravis auctori,
Luctus & atræ mortis imago.
Ruit in medios agmen inerme,
Et blanditiis formâque potens,
Vos ſtate patres, vos ſtate viri,
Clamat, & acres cohibete minas:
Conſanguineos jure tumultus
Sedare juvat, non fraternâ
Haurire manu viſcera crudâ.
Aut ſi furor eſt ſtringere ferrum,
Per diſpoſitas ſævite moras,
Per mactatas ite puellas:
Et habent matrum membra cruorem.
Dixit; at ollis cecidêre minæ,
Et cognati ſanguinis ardor:
Tunc deſertos lege unanimi
Petiêre lares, in fœmineum
Fœdus ituri.
   Sed quis dignâ te laude canat
Thalami conſors fida Adriani?
Tu ferales penetrare domos,
Et per denſos vigilum cuneos
Auſa in medias ire catenas,
Per tot mortes ſecura tui.
Tu Cæſariem verticis olim
Decus intacti potis immiti
Sternere cultro: tu ſyrma ſtolæ
Mutare togâ: deque nitenti
Ditem collo gemmam eripere
Fortis, & omnem ſpernere mundum
Mentita virum. Sed falſa loquor:
Cùm Cæſaries flueret niveos
Flava per armos: cùm crepitaret

Aure ſub unâ pretium fundi ;
Tunc fœmineum mentita genus
Laxata virum ſtola celabat.
Sexum virtus, non forma facit.
At ecce hiatu carcer obliquo patet,
Vbi Adrianum multa ſeminecem manus
Circunſtat : oculos huc & huc conjux rotat
Sollicita : luctum Conſul interiùs coquit.

ACTVS QVINTVS.

ARGVMENTVM.

PRODVCTVM Adrianum Conſul omnibus inimicis moleſtior amicus, monet vel ſerò ſibi conſulere. Sed palmam in manibus infringere penè victori non poteſt. Cædem ergo jubet ab eo incipere, hoc ipſum enixè rogante Nataliâ. Quæ eo digreſſo quàm ſolicitè, quàm piè, quàm ardenter maritum hortatur ad horam excipiendam, votis omnibus expetitam! Adſunt tandem lictores incude & ferreo vecte terribiles. Tum major exemplis omnibus virago, crura faſciis expedire, imponere incudi, porrigere frangenda tortoribus. Supererat tenuis vitæ halitus : Hunc etiam abſciſione dextræ manûs exprimere perſuadet. Juſſis igitur ad aliorum ſupplicia progredi lictoribus, ſola diſcedentē Martyris animam dulcibus lacrymis, & ſupernæ felicitatis contemplatione proſequitur. Corpus interim parabat

ſervare : cùm majore vi à militibus rapitur in ignem mittendum. E quo toto unam ſibi dexteram ſuffurata, poſteaquam ſacrum pignus attrivit oſculis, plena Deo proripit ſe è theatro, in eundem cum Adriano rogum, ni prohibeatur aſcenſura.

SCENA PRIMA.

Adrianum ultimò ſed fruſtra tentatum, occidi tandem jubet Conſul, agitq; apud eum Natalia ut primus omnium crucietur.

TITIANVS. ADRIANVS. NATALIA.

SErum eſt monere quando jam rerum ſtatus
Certam in ruinam pendet. Antè equidē inſtiti
Vt provideres, nec tuus placuit rigor,
Plus dandum amicis fuerat. Et memet tamen
Incuſo, poſſe fata ſperavi Deûm
Rogando flecti ; parca ineluctabilis
Huc te coëgit ; vincula, & fuſtes, Iovis
Fato dediſti, cætera arbitrium ſequi
Tuum jubentur : vita ſi cordi eſt, potes
Vitare mortem : ſi mori placitum eſt, licet;
Nec aſtra jam te, ſed tuum perdit ſcelus.
Et cur recuſes vivere ? attritos malo
Cauſaris artus ? languidum ruptâ fluat
Compage corpus, ſolve nodoſos pedum,
Manuumque nexus, tuber in fœdum exeant
Pectuſque, ſcapulæque: impiam invade in crucem,
Animamque tot tormenta tracturam trahe,
Summam bonorum vitæ ſi ſupereſt, tenes.
ADR. O fidei alumne, &, ni Deûm cultus vetet,
O flos bonorum, quam mihi præſtas, mihi
Permitte curam, vana quod poſcis, dolet,
Quod iniqua, quod ſacrilega, quæ mihimet negem.
Huc duxi agonem fortiter, metâ velis
Naufragium in ipsâ facere ? diſſuadet dolor
Et corpus exantlatum, & effuſus Deo,
Chriſtoque ſanguis. Si me amas, his abſtine
Titiane, da breve otium cadaveri

Vt

Vt pacificè animam exuat. Conſul vale.
TIT. Non te tuorum miſeret, aut miſeret tui
Adriane? ſic nos linquis, & vegetæ ſecas
Florem juventæ? hoc illud Auguſti refers
Donum favoris? gloria hoc culmen tenes
Poſitus honorum in limine? immanem colis
Deum, Adriane, morte qui penſat fidem.
Quem torvâ ſpectas? ora cur flectis retro?
Iterum, iterumque moneo, vel tu te aſpice,
Aut fida amicos pectora, aut Nataliæ
Vix dum maritæ dulcis Hymenæi faces.
Silet. Adriane Conſul appellat tuus,
Vitam reporto, vivere Auguſti ſinunt,
Vel Chriſtianum. Vertice obſtipo riget.
Adeſt quod optas, lictor ad mortem vocat.
Arridet oculis ſtolidus. In mortem rue
Si furere pergis, quid diu inſanum moror?
NAT. Viden ut propinquâ morte luctantem trahit
Inſanus animam? quando violavit Deos
Fac pœna mors ſit: cæde naturam occupa
Tonantis ultor. legibus vitam dabit:
Hoc eſt honori, poſteris famæ mori.
Sub vecte rigido primus infelix gemat,
Cætera ſequetur turba. TIT. Non fruſtrà mones,
Huc triſte vectis pondus incudi additum
Devehe ſatelles, cædem ab Adriano inchoa.
Eadem nocentes pœna dein reliquos voret.
At vos, in urbe mediâ quæ fornax hiat,
Animate flammâ, funerum hoc illis erit
In honore buſtum, quaque plus ſpirant Noti
Iactate cineres. Turba Galilæi gregis
Eat, & Deos peroſa damnatos colat.

SCENA SECVNDA.

Natalia dudum virago, nunc vir animo magis quàm veſte Adrianum ad Martyrium incitat, & in ultimo agone ipſa ad tormentorum tolerantiam adjuvat.

NATALIA. ADRIANVS.

HVc frater oculos liberè, ſoli ſumus.
Nunc nunc minacis gurgitem emenſus freti
Syrteſque, ſcopuloſque, atque ridentis malè
Pelagi ſerenum, poſt triumphatas trucis
Aquilonis animas, poſt tot inferni manus
Piratæ abactas fortiter ſalvâ tenes
Portum carinâ; Macte, jacienda anchora,

Prenſanda

ſervare : cùm majore vi à militibus rapitur in ignem mittendum. E quo toto unam ſibi dexteram ſuffurata, poſteaquam ſacrum pignus attrivit oſculis, plena Deo proripit ſe è theatro, in eundem cum Adriano rogum, ni prohibeatur aſcenſura.

SCENA PRIMA.

Adrianum ultimò ſed fruſtra tentatum, occidi tandem jubet Conſul, agitq; apud eum Natalia ut primus omnium crucietur.

TITIANVS. ADRIANVS. NATALIA.

SErum eſt monere quando jam rerum ſtatus
Certam in ruinam pendet. Antè equidē inſtiti
Vt provideres, nec tuus placuit rigor,
Plus dandum amicis fuerat. Et memet tamen
Incuſo, poſſe fata ſperavi Deûm
Rogando flecti ; parca ineluctabilis
Huc te coëgit ; vincula, & fuſtes, Iovis
Fato dediſti, cætera arbitrium ſequi
Tuum jubentur : vita ſi cordi eſt, potes
Vitare mortem : ſi mori placitum eſt, licet;
Nec aſtra jam te, ſed tuum perdit ſcelus.
Et cur recuſes vivere ? attritos malo
Cauſaris artus ? languidum ruptâ fluat
Compage corpus, ſolve nodoſos pedum,
Manuumque nexus, tuber in fœdum exeant
Pectuſque, ſcapulæque : impiam invade in crucem,
Animamque tot tormenta tracturam trahe,
Summam bonorum vita ſi ſupereſt, tenes.
ADR. O fidei alumne, &, ni Deûm cultus vetet,
O flos bonorum, quam mihi præſtas, mihi
Permitte curam, vana quod poſcis, dolet,
Quod iniqua, quod ſacrilega, quæ mihimet negem.
Huc duxi agonem fortiter, metâ velis
Naufragium in ipsâ facere ? diſſuadet dolor
Et corpus exantlatum, & effuſus Deo,
Chriſtoque ſanguis. Si me amas, his abſtine
Titiane, da breve otium cadaveri

Vt

Vt pacificè animam exuat. Conſul vale.
TIT. Non te tuorum miſeret, aut miſeret tui
Adriane? ſic nos linquis, & vegetæ ſecas
Florem juventæ? hoc illud Auguſti refers
Donum favoris? gloria hoc culmen tenes
Poſitus honorum in limine? immanem colis
Deum, Adriane, morte qui penſat fidem.
Quem torvâ ſpectas? ora cur flectis retro?
Iterum, iterumque moneo, vel tu te aſpice,
Aut fida amicos pectora, aut Nataliæ
Vix dum-maritæ dulcis Hymenæi faces.
Silet. Adriane Conſul appellat tuus,
Vitam reporto, vivere Auguſti ſinunt,
Vel Chriſtianum. Vertice obſtipo riget.
Adeſt quod optas, lictor ad mortem vocat.
Arridet oculis ſtolidus. In mortem rue
Si furere pergis, quid diu inſanum moror?
NAT. Viden ut propinqua morte luctantem trahit
Inſanus animam? quando violavit Deos
Fac pœna mors ſit: cæde naturam occupa
Tonantis ultor. legibus vitam dabit:
Hoc eſt honori, poſteris famæ mori.
Sub vecte rigido primus infelix gemat,
Cætera ſequetur turba. TIT. Non fruſtrà mones,
Huc triſte vectis pondus incudi additum
Devehe ſatelles, cædem ab Adriano inchoa.
Eadem nocentes pœna dein reliquos voret.
At vos, in urbe mediâ quæ fornax hiat,
Animate flammâ, funerum hoc illis erit
In honore buſtum, quaque plus ſpirant Noti
Iactate cineres. Turba Galilæi gregis
Eat, & Deos peroſa damnatos colat.

SCENA SECVNDA.

Natalia dudum virago, nunc vir animo magis quàm veſte Adrianum ad Martyrium incitat, & in ultimo agone ipſa ad tormentorum tolerantiam adjuvat.

NATALIA. ADRIANVS.

HVc frater oculos liberè, ſoli ſumus.
Nunc nunc minacis gurgitem emenſus freti
Syrteſque, ſcopuloſque, atque ridentis malè
Pelagi ſerenum, poſt triumphatas trucis
Aquilonis animas, poſt tot inferni manus
Piratæ abactas fortiter ſalvâ tenes
Portum carinâ; Macte, jacienda anchora,

Prenſanda

Prenſanda Cœli ſtatio, ne rabies ſali
Iterum reflante ſorbeat cauro ratem.
ADR. Nil eſt timendum, dentis invicti hæreo
Fundatus unco. Quicquid eſt Erebi aſperum,
Totos furoris impetus in me imprimat,
Superare ditem morte non facili juvat.
NAT. Animoſa frater verba, ſed ſcopulum cave;
Styge provocatâ typhus irrepit levis,
Et homine major animus, & fidens ſibi.
Qui ſis, & unde cogita: non tu potes,
Quod poſſe Numen fecit infuſum tibi.
ADR. Quàm dulce, Chriſto vivere, affligi, mori!
NAT. Chriſtus ſupremum tramitem vitæ terens
Cœlum inter & nos medius, offenſi patris
Excepit iram totus, & juſſos polo
Hauſit dolores; fluxit infuſus liquor
A capite in artus; ſacra Martyrio cohors
Tormenta calice de propinato ebibit,
Iam non amara. Sic ubi occultas latex
Terræ medullas ſubiit, & tacito agmine
Venas metalli ſtrinxit, irriguâ capit
Saporem arenâ, dein ſalutari exerit
Se fonte percolatus, & peſtes fugat
Mortalis ævi: non ſecus Chriſti replent
Venas acerba terminum, ut ſuavis liquor
Meet in nepotes. quanta prô pietas Dei
Adriane! dirum quicquid, horribile, aſperum,
Propinat orcus, primus exhauſit merum:
Nos delicati ſpineum amplexi caput
Roſarum amœna legimus: & tanto piget
Vitam parenti reddere? & carum putas
Hoc pretio Olympũ? ADR. Cor dolet, circũ nigror
Oberrat oculos, morior. NAT. Eja animam tene,
Mox lictor aderit, Martyri ſtandum in gradu eſt,
Vel morte in ipſâ: laureæ tempus venit,
Cave occuparis. Cùm Deus lacero crucem
Corpore tenebat, artuum pondus grave
Clavo imprimens utrumque penetranti pedem
Infirmus, attritus, ferâ exhauſtus ſiti:
Cum ſole rapto medius horrendâ dies
In nocte periit, & truci ſilentio
Pavefacta tellus timuit æternum chaos.
Quàm fortis inter illa, quàm dignus Deo
Animus ſtetit, bonique divini appetens
Suſtinuit artus, antè ne vellent mori
Quàm juſſa finerent patria, & culpæ modus
Rigidè expiatæ. Non ſibi hanc pœnam tulit
Adriane, tibi, mihique tam conſtans fuit.

Age,

Age, eja, frater, euge, lictores viden'?
Cœlum propinquat, pectus in Cœlum evehe,
O Chriſte! ADR. Chriſto tu vicem potius ſoror
Gratare noſtram, morior. NAT. O magni patris
Æquæva ſoboles, Martyrum dux, & vigor,
Salutis ara, ſtatio jactatæ ratis:
Quod vana ſtolidus, victimâ infami, Deûm
Simulacra coluit, quod pios morti impiæ
Adrianus olim addixit inſani cliens
Eheu tyranni, pœnitet, & illis, reus
Propriâ parentat morte. Quod cultu in tuo
Vitam profundit Martyr, & Cœli fidem
Cruore ſignat, quicquid eſt Cœlo tuum,
Soloque, quicquid ipſe formaſti, tibi,
Grates rependat, donec æthereum augeat
Populum triumphans, gloriæ teſtis tuæ.
Sint membra linguæ, ſanguis in voces eat,
Totoque Chriſtum corpore in pœnis ſonet.
Rata vota feci, Chriſtus ad Cœlum vocat,
Placet ire frater? ADR. In tuo amplexu placet.
NAT. Quicquid ſuperba, quicquid erravi loquar
Ignoſce Martyr, meque concilia Deo.
ADR. Natalia vale. NAT. Pars mei frater vale.
Evolve crura faſciis, profer pedem,
Aſcende lentus, tibiam incudi applica.
Oculos in aſtra frater, en medius poli
Diſcedit orbis, alites circùm advolant
Auro & coronis nobiles. ADR. Eheu! NAT. Dolor
Abſceſſit, actum eſt: macte. Nunc lævo eſt opus
Et hunc beatus promove Cœlo gradum.
Vtrumque Chriſtus vulnere oſtentat pari,
Vterque puras ſolis exſuperat faces
Splendore plagæ. Quà ſacer fluxit cruor, (miſ,
Omnia coruſcant. AD. Chriſte! NA. Momento ge-
Pretium perenne eſt. Euge. ſed nimiùm diu
Trahis Adriane ſpiritum: uſque adeò pati
Morive miſerum eſt? anima quin tenui volat
Reſoluta vinclo? Nempe te vitæ arbiter
Vult paria cum aliis facere, quos dudum furor
Stygius cruentat. Eja quam dextram oſculor
Sine reſecari Martyr, hâc palmam ocyùs
Victor prehendes. Chriſtus hâc lætus manu
Æterna trahet in regna. Nil mancum eſt Deo,
Niſi inchoatum ſi quis abrumpit bonum (Deum,
Extremo in actu. ADR. Ah! NA. Frater ingemina
Chriſtum ſaluta. Fallor? exangui riget
Pallore facies? frater appella Deum.
Retroacta cervix pondus inſolitum trahit:

Nataliam

Digitized by Google

Nataliam, Adriane, ſi ſpiras, vide.
Abiit, peractum eſt, ore, nutu, oculis ſilet.
Cædes ad alias lictor, Adrianum omnibus
Vixiſſe referes. Officî pretium accipe,
At tu viciſſim ſanguine illuſas pio
Veſtes redona, quicquid Adriani nota
Signavit, eſſe ſtatuo non fruſtrà meum.

SCENA TERTIA.

Adriani in Cœlum recepti felicitatem Natalia contemplatur.

NATALIA.

I Fortis anime, victor in Cœlum evola
Vbi luce clarâ viſus amplexum Deus
Offert capitque : amoris æterni focus
Micat perennis ; rore nectareo fluunt
Honora Chriſti vulnera, & ſocios boni
Condunt laboris : lauream hoc tutus ſinu
Depone Martyr, hîc triumphale otium
Age dite domito : mortis & ferri rigor,
Bucciſque quod Tyrannus inflatis crepat,
Ceſſit ferendo. Adriane, dimidium mei
Bene collocaſti : Adriane, pietate ex tuâ
Incipio reſpirare, ſidereos ago
In te triumphos, haurio divûm ſacros
Per te liquores, vivo quod vivis, mea
Vita, & voluptas. Crinis evulſi decus
Biſſena reddunt ſidera, & claro caput
Agmine coronant : luminum extinctas faces
Reparat Tonantis flamma quæ curru emicat.
Contuſa lignis ora, ſub Chriſti latus
Qualis rigantur imbre ! quæ lapides Deos
Lingua execrata eſt, dulce ter ſanctæ melos
Triadi frequentat. Vecte contriti pedes
Solidati in agni paſſibus, cervô ocyùs
Per odora ſaliunt, montis ætherei juga.
Quàm ſuave pſallentûm inter aligerum choros,
Fatidica vatum nablia, & voce inclytas
Aſsâ puellas, ſanguine rubentem ſuo,
Palmâ decorum. ſpatia metiri ætheris !
Ridere curas divitum, & fœtam gravi
Terram metallo, quæque porticibus jacent
Inania amplis jugera, atque afris cedros
Fultas columnis, inque privatas domos
Deducta rivis flumina, & quæ maxima
Parvi putamus. Nam quid anguſtum neges

Ita

In illa magna admiſſus, in apertum Dei
Receptus adytum ? ſortis hîc ſeriem legis
Modumque noſtræ : cernis arcanum chaos,
Vbi magna rerum ſemina, & certi latent
Cauſæ futuri : charitas moli incubat
Factura leges, hæc ut æthereas modò
Surgant in auras, illa ſub tenebris adhuc
Repoſta lateant : eſſe nunc tempus jubet
Olim futurum : jamque præteritum in nihil
Facit relabi, ſtabile ſed ſiſtit ſibi,
Semperque præſens. Cernis ut maſſa pater
Iſtos ab atrâ educit ; hos fœdâ ſinit
Torpere culpâ : vult ut immeritis bene,
Secla ante, & ante temporum primas vices.
Vnde ille donorum ordo, & æternam trahens
Catena vitam : nec odium eſt ; idem eligit
Amor tyrannum, & martyrem ; Cœlo locat,
Condemnat orco. Sed quis hærentem ſolo
Rapit æſtus ? unde Cœlitum, terræ immemor,
Arcana peragro ? fallor, evaſit mei
Pars una, partem hîc ſervo. Simulacrum hoc tui
Adriane, amarit alia, fugitivi procax
Decoris auceps, rupimus carnis moras,
Animæque adhæſit anima. Sed quando bene eſt
Cui plus timebam, corpus hoc conſors boni,
Tonantis aram, pneumatis magni thronum,
Rigabo lacrymis, mille defigam oſcula,
Hîc aſſidebo ſedula, atque iterùm meo
Spirare faciam ſpiritu. ----------

SCENA QVARTA.

Flavius obnitente fruſtra Nataliâ Adriani cadaver in fornacem conjiciendum efferri jubet.

FLAVIVS. NATALIA.

---------- Hoc unum eſt ſuper,
Abripite famuli. NAT. Quo ſcelus ſcelere aggeras
Cruente miles ! ſpiritu evulſo, innocens
Furis in cadaver ? hac tyrannorum tenus
Ierit poteſtas, mors tibi eripuit virum.
FL. Facite imperata. NAT. Iuris Adrianus ſui eſt,
Nil jam tyrannis debet : aut Domino abſtine,
Aut ſimul utrumque perde communi rogo.
FL. Properate, reliqua mox cibum flammis dabit
Turba impiorum. NAT. Ardente ſi prohibes pyra,
Da legere cineres, rite quo jaceant, queo

Struere

Struere ſepulcrum, nulla refodiet manus.
FL. Sat eſt amoris, Cæſarem irrites cave,
Dominam reviſe, conjugis narra necem,
Viduæ parari vincla, promiſſi fidem
A Rege repeti : ſubjice & nomen proci,
Non pœnitebit Flavii. ---------

SCENA QVINTA.

Ex toto Adriani corpore ſervatam manum unam veneratur, ſtudioſeq; retinet Natalia.

NATALIA.

----------- Stolidum caput.
Non pœnitebit Flavii, Adriano datam ?
Vni jugatam Martyri, affinem omnibus ?
Maritum abiſſe quiſquis hoc audes, putas,
Manu retineo. Martyris teſtor Deum
Mentis pudicæ vindicem, hic ſponſus meus,
Hanc conjugi olim juncta conveni in manum.
O dextra, primis ultimas æqua faces,
O ſine ſmaragdo cara ! ô invidiam inclytis
Factura gemmis nuda ! quid poſt te ambiam,
Quid tecum amabo ? ſi laceſſitam polus
Diſtringit iram, verticem umbrabis reum,
Potiorque lauro fulminis franges minas.
Me ſi benigno lumine aſpiciet Deus
In dona facilis ; Tornus hos auro facit
Micare digitos, inde Cœleſti pluet
Hyacinthus imbre. Monſtra tartarei ſpecus
In bella rapient pectus auxilii indigum ?
Scutum caventi, tela ferienti dabis
Fabricata Cœlo dextra. Cùm triſti excita
Mors revomet eſcam claſſico, & mundi capax
Ingente in arcu judicem vallis feret,
Adriane terrâ major, æthereos Deo
Rapieris inter ordines : hæc me pigram
Tumulo evocabit dextera, atque iſti ſoror
Implicita dextræ non truci ſiſtet throno.
Manus ô manus prenſura mortalem Deum !
Vbi te recondam ? quis tibi dignam locus
Faciet quietem ? Si placeo, cordis ſinus
Penetra reductos, mollis hic thalamus jacet
Quo dediceris. Sed quid hîc duco diem ?
Non curro ad hoſtes ? non ſimul in ignem involo ?
Non ſtringo fratris colla complexu ultimo ?
Adrianus ardet, & ſedet Natalia ?

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

LVDOVICI CELLOTII PARISIENSIS

E SOCIETATE IESV

SAPOR ADMONITVS

TRAGOEDIA.

O PER-

Digitized by Google

PERSONÆ.

ANGELVS	Princeps Perſarum.
SAPOR	Rex magnus.
ASTYAGES	Saporis filii.
OCHVS	
SVRENA.	
ARTAVASDES	Satrapæ.
ROXANES	
MEGABIZVS	
PRÆXASPES	
GOBRIAS	
MASISTIVS	
PHARNABAZVS	Chiliarchus.
ASPATHMES	Præf. urb.
PTOLEMÆVS	Rex Ægypti.
MASTYES	Legati.
PSAMMETICHVS	
MITHROBARZANES	Archimagus.
DATIS	Satrap. filii.
HOSTANES	
TITHRAVSTES	
BADRES	
ORACVLVM.	
CHORVS.	

AC-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ACTVS PRIMVS.

ARGVMENTVM.

DE ſubactâ Ægypto triũphaturus Sapor, caſtris ad urbem poſitis, moratus erat aliquandiu, dùm ſe cives, ut fit, compararent. Aderat deſtinatus pompæ dies. Præmiſſus itaque ab eo Artavaſdes purpuratorum nobiliſſimus Scenam aperit, & pauca de Saporis laudibus præfatus, civium alacritatem miratur ex urbe ſe effundentium. Regis igitur excipiendi negotium Surenę [illegible]atri committens, lætus urbem ingreditur. Vix diſceſſerat, cùm primus triumphantis exercitûs ordo apparet: inde ſpolia, devictarum urbium fercula, & ante victoris currum, captivi. Poſt hos curru ſublimi vehitur ore & habitu Saporis aſcito Angelus Princeps Perſarum (ſic enim præſidẽ regni genium appellant ſacra eloquia) & Ochum impuberem Saporis filium ſecum in currum invehens, à Surenâ civibuſque ſalutatus, eâ pompâ in urbem, arcemque regiam admittitur.

Digitized by Google

SCENA SECVNDA.

Artavaſdem urbi proximum cives ſalutant.

ARTAVASDES. ASPATHMES.

--------- Fida cives pectora
Satíſ-ne ſalvi ? ASPATH. Purpuratorum decus
Salve Artavaſde. Qualis Oceano redux
Tenebras reſolvit Matris Idaliæ comes,
Roſeâque Phœbum luce ſurgentem præit:
Talis renatum Perſidi incolumis diem
Regemque revehis gloriâ & Marte inclytum.
Cuneata dum per tela, quà Cœlum truci
Mors ambit umbrâ, ſancta te Regis fides,
Martiâque cæcis unda vorticibus rapit,
Tibi Senatus thura, Matronæ tibi
Sparsâ per aras vota fuderunt comâ.
Quid ſanctiore victimâ Imperii lares
Rogavit unquam Perſis ? ô ſalve ambitu
Recepte magno. Perſici ſalve ſalus
Columenque regni. ARTAV. Parciùs laudū ſeges
Metenda Cives: Regis hic Genius fuit
Miles ut iniret ſalvus antiquos lares,
Vix capita mille ſecuit hoſtilis chalybs,
At Pharia natis innatat tellus ſuis:
Solitumque patrio Nilus exuperans vadum
Fluxit cruore, aut corporum aggeſtu ſtetit.
Latrantis ille ricta compreſſit Dei,
Vileſque ab hortis Numinum riſit choros,
Deus ipſe potior. Qualis è gremio Iovis
Deſpectat ales fulva muſcarum globos
Secura bombi. ASPATH. Nota majeſtas Ducis;
Aquilam fatemur: ſed quibus ni tu fores
Volaret alis ? his decet Reges vehi
Ad aſtra pennis: imperent, dum ſic ſinant
Sibi imperari: ponderis partem tulit
Magia ſacri. Sic onus Atlantem obruat,
Vicariam ni præſtet Alcides opem.

SCENA TERTIA.

Surena cum Ocho Saporis filio, & Satrapis eidem fit obvius.

ARTAVASDES. SVRENA. ASPATHMES.

Salvete Proceres : tuque Achæmenii altera
Spes Oche ſceptri, ſanguis ô Divûm puer,
Geniture Divos. SVR. Frater ut ſalvus redis ?
ARTAV. Surena, noſtro Conſe non impar Iovi:
Vt te reviſo lætus ! infidâ velut
Rate fluctuatus nauta, cùm digitis ſtyga
Quatuor propinquam palluit, celsâ pharum
De turre ſpectat hilaris, & magno vocat
Clamore portum : Sic tibi pars ô mei
Redivivus adſum, mortis eductus ſpecu,
Mihi ſuperſtes. SVREN. Munus agnoſco Deûm
Recepte frater : edito ſtabit jugo
Spectanda Superis ara, votivo domus
Rutilabit auro : ſoſpitem tanti eſt mihi
Revidere vel ſic fratrem. ASP. At exactis frui
Liceat periclis : dulcis in portu eſt labor,
Narrare quantus hauſerit vortex ratem :
Notare quâ te parte deprenſum furens
Penè ad latentes fixerit ſcopulos notus.
Ediſſere aliquas Martis ambigui vices,
Quanto Canopus impete æquarit ſolo
Minantia aſtris ſaxa ? quàm dirum fremant
Coacta ſiſtro caſtra ? quæ chalybem manus,
Falcata turbo ciſia quàm præceps rotet ?
SVREN. Hæc inter aras nempe narrabis Deo.
Nunc otiandum eſt : reliqua me patere exequi.
Succede tectis, patrium micâ larem
Saliente placa. --------

SCENA QVARTA.

Surena Cives ad Saporem regiè excipiendum hortatur & diſponit.

SVRENA. ASPATHMES. DATIS. HOSTANES.

-------- Regis invicti decus
Celebrate Cives : pompa victorem vehat,
Reducem tumultu quanta Phlegræo Iovem
Excepit aſtris, cùm per Enceladi minas,

Angueſque totus Mulciber toto Iove
Adactus iret: cùm ſub Inarime Gigas
Semiuſtum utrâque porgeret ripâ latus.
ASPATH. Agis volentes: fœnus eſt Regi dare,
Delato honore creſcimus. Phœbo ſoror
Sic vacua reddit menſtruo amplexu faces,
Et mox receptum melior oſtendit jubar.
DAT. Adſunt, propinquant, pulvis involvit diem.
SVR. Quæ vox, & unde? AS. Mœnium vulgus tenet
Crepido ſumma; liber hinc vaſtum patet
Oculus in æquor. Fors & adventans Ducum
Speculantur agmen. SVR. Audio feſtum canunt
Pæana litui. quiſque ſtet juſſus loco.
Parentis Oche primus amplexum petes:
Nos tua ſequemur turba. HOST. Compoſito gradu
Procedit ordo: Zephyrus afflatu explicat
Vexilla molli. Cerne quàm rutilet ferum
Clypeata claſſis, ingredi quidni putem
Simulacra campis ærea, innato viros
Spirare ferro? DAT. Triſtè quàm titulis gemunt
Subacta regna. Memphis in lacrymas iit
Comam ſoluta: Nilus effractâ jacet
Inanis urnâ: totus impactâ ruit
Apis ſecuri: quot trophæorum ſtruem
Stridentia axe plauſtra curvato trahunt?
Viden' ut ſuperbos vincla captivos premant,
Auroque miſeros Scurra tranſvectet Duces?
Rex ſequitur auro fultus, & quatiens ſacram
Sublimis haſtam. HOS. Martis hos habitus putem,
Si viſa recolo: namque Biſtonio redux
Talis coruſcat gurgite, & mundo imminens
Horrifica frameâ bella nutante excitat.
DAT. At iſte vinctus fronde Phœbæâ comas
Mavors triumphat: pace nam populos alit,
Prædâque Dominos orbis Arſacidas beat.

SCENA QVINTA.

Procedit triumphi pompa, & à Surenâ, civibuſq; Angelus Princeps Perſarum pro Sapore ipſo in urbem recipitur.

SCVRRA. PTOLEMÆVS. OCHVS. PRINCEPS PERSARVM. SVRENA. ASPATHMES.

PRocede præda nobilis; tandem potes
Odiſſe turbam: nunquid aurum etiam times?
Hic te ſuperbum torquis, & Regem facit.

PTOL. O pōpâ! ô hoſtes! ô Dei! ô ſceptra! ô Sapor!
SCVR. Ingredere, non hæc hora lamentis vacat.
PTOL. Spectate populi, ſortis exemplum & metus
Ptolemæus eheu! rapior. SCVR. Et nectis moras?
OCHVS. Quis te, quis genitor, mihi
Tandem reſtituit Deûm
Victis terribilem hoſtibus?
O quo fulmine fulguras!
O quo turbine fulminas
Nili divitis accolas,
Et tot nomina Numinum
Hortis vilia Perſicis!
Salve reddite Perſidi,
Tam major Mareotico
Quàm par ſydereo Iovi.
PR.PER. Æterne Mithra cui ſuper mundi plagas
Solium coronant igneo fratres globo:
Qui fulgurante flammea per æthræ volas
Aſarota curru, quas tibi grates parem?
Viduata vigili tecta luſtraſti face,
Salvoque magnos pignore impleſti lares.
Tu ſpes ſecundas Imperî, Arſacidûm decus,
Ramum ſuperbæ nobilem aluiſti domûs.
Ten' video clari pignus auguſtum Patris?
Exurge, fili, propior amplexus cape:
Conſcende currum. ſanguinis pars regii
Perfruere parte gloriæ; ingentes manu
Hinc aude habenas flectere: ut facias benè,
Diu ante diſcas facere, quod facies ſemel.
OCHVS. Dum patrem Clymenejus
Currus poſceret igneos,
Audaci puer impete
Hinc atque hinc radios tulit,
Mundo auriga inamabilis.
An confidere patrio
Infans experiar jugo?
PR.PERS. O docta virtus! indolis magnæ timor!
Macte puer, imperare qui refugit, poteſt.
Meis timere ſed quid auſpiciis queas?
Hæc te quietâ pace felicem feret,
Hæc te per acies dextra ſecurum teget:
Tu patriæ enſis, fuero dum clypeus tibi.
SVRE. Æquale Superis, arbitrum mundi caput,
Numen redona Perſidi, & præſens manu
Famulos potente Dominus Arſacidas rege.
Dum nova Gradivo regna fulmineo metis,
Fruſtraque virtus Afra luctatur Deo;
Vetera tueri ſceptra, & antiquos lares

Genius

Genius fideli promptus obſequio ſtetit :
Tuus ille Genius, patre quem Cœlo, arduo
Natura niſu peperit æqualem tibi.
Iam te recepto cedit, & magnam fugit
Subire molem : laſſus Alcides velut
Reddidit Atlanti pondus immenſum poli.
PR. PERS. Egiſſe lætos pace tranquillâ dies,
Surena, populos audio : hâc fidem probas.
ASPA. Rex ſumme Regum, cujus ad nutũ tremit
Quodcunque naſcens Phœbus, aut moriens videt :
Dum te Canopi bella, dùm Thebæ tenent,
Hoſti invidere licuit, & periit tuis
Tranſlata vultûs illa majeſtas ſacri.
Ni miſera fieret Memphis, & patiens heri
Nunquam Saporis major aſpectu foret.
Solamen idem cladis, & cladem dabas.
Tandem ergò victor hoſte proſtrato redux
Tua tecta, non æquata Cœlo marmora,
Cæſaſque Hymetti culmine, aut Libani trabes :
Sed majus aliquid, Civium pectus ſubi.
Amor hîc ſatelles regium ſtipat latus :
Idemque ſomnos fidus excubitor regit.
Non ille blando fucat inſidias dolo,
Pulcrum ut rigente toxicum gemmâ bibas.
In iſta Reges atria affectant viam,
Reperêre pauci : vincere armato nefas :
Admittit ingens ſingulos tantùm locus.
Dignam Sapore Regiam Cives damus
Domino, & Parenti. PR. PERS. Grata quæ paucis
Mihi ſpero præſens faciet æternam dies. (patet:
OCH Quàm dulce ſtrepitus inter armorum, Pater,
Laudum acroama ! Currus hic quanti ſtetit ?
PR. PERS. Stetit Oche magno : peperit has virtus
Sed antè ſpinis horruit culmus ferox. (roſas
Placéntne, fili, quæ vides ? OCH. Certè, Pater.
PR. PER. Hæc & parandi placeat aſperior modus.
Non jacet in oſtro gloria, auratum fugit
Laqueare virtus, inter epulonum dapes,
Calybonioque pectus immerſum mero
Habitare neſcit. OCH. Nam quid eſt virtus, Pater?
PR. PERS. Natam Tonantis Oche, Reginam puta,
Ditem, venuſtam, quam tibi ſponſam volo.
OCH. Ejúſ-ne prohibes, Genitor, aſpectu frui ?
PR. PERS. O ſi videres, Oche, quàm puri faces
Subderet amoris ! Nate dum molle es lutum,
In utrunque flecti cereus, Dominam occupa,
Et irremiſſo ſtringe complexu puer :
Iuventa læves cumque ſignabit genas,

Curæque grandes pectus implebunt viro :
Cùm tarda ſenio membra frigebunt gravi,
Hæc prima libet, ultima & ſervet tuos
Virtus amores : ſi quid exemplo pater,
Si valeo meritis ſequere quam facio viam.
Hinc currus iſte, quoque nil melius ſonat
Laudum acroama. OCH. Lætus imperia exequar,
Patrioque figam tutus in paſſu pedem.
PT. Audis Oſiri? PR. PE. Nam quid exclamat reus?
PT. O ſancta Conjux ! PR. PERS. Nænias umbris canit.
PT. Hominum pudor Deûmque, ſurgenti tuos
Nato furores inde, ſic patrium bibit
Echidna virus ; antra rugitu quatit
Suppar Leoni catulus, & prædas agit
Non ſponte crudus : nempe virtutis tibi
Blandita ſpecies ? nempe virtutem citas ?
PR. PERS. Ptolemæe. PTOL. Larvam pone, virtutem vocas
Aliena rapere ſceptra ? quâ ſuaſit furor
Inferre ſtragem ? pace gaudentes ſuâ
Vexare populos ? Nam quod Ægyptus luit
Hâc ſtrage crimen ? Vidit auguſtos Deûm
Fumare jam non ignibus thalamos ſuis ;
Factura Cœlo marmora invidiam, inclyta
Monumenta Regum dirui, cineres noto
Spargi ſepultos, oppida in ſegetem ſeri.
Quoties ſuorum ſanguinem Nilus bibit,
Et diſcolore fluxit ignotus vado
Per ora ſeptem ? PR. PERS. Victe. PTOL. Fortunam exprobras ;
Viciſti, & illud proſperum in miſeros ſcelus
Virtus vocatur. Maria ſi paucis tenent
Lembis Philetæ, maria prædones habent,
Rapit arma mundus, ultima in captos fremit
Supplicia. Sed tu mille qui ratibus potens
Prædare, qui per ſigna compoſito agmine
Ducis Philetas, Rex es, & felix latro
Palam impudente ferculo prædam vehis.
PR. PERS. Captive. PTOL. Non ſum : non ſubit virtus jugum.
Tu verte regna, ſolium in occulto mihi eſt,
Vbi Imperator animus, & rerum arbiter
Æquato utranque jure fortunam regit.
Non inſolente læta me typho extulit,
Non premet iniqua. Nil agis belli artifex,
Superbe victor, non facit miſerum dolor,
Non vincla ſervum : libera & potens ſui

Tua

Tua furta, faſtus lingua condemnat tuos.
PR.PERS. Etiam in catenis ? PTOL. Nempe quæ mentem implicant ?
PR.PER. Ten' ire curru ſub meo neſcis? PT. Scio.
PR.PERS. Qualis videre ? PTOL. Quantus in proprio ſteti.
PR.PERS. Et abſque regno ? PTOL. Regna ſervavi mea.
PR.PERS. Patriâ remotus ? PTOL. Mundus in patriam pater.
PR.PERS. Victo patebit ? PTOL. Liber eſt qui ſe tenet.
PR.PERS. Clauſus tenebis ? PTOL. Exitum corpus dabit.
PR.PERS. Manere cogam. PTOL. Cogere ut vivam potes ?
PR.PERS. Poſſum ut miſer ſis. PTOL. Eſt miſer qui ſcit mori ?
PR.PERS. Moriere. PTOL. Feſſæ littora minaris rati.
PR.PERS. Ratem antè quatiam. PTOL. Mortis imminues metum.
PR.PERS. Metuenda ponam. PTOL. Terminus mors eſt mali.
PR.PERS. Non terminanda. PTOL. Mortuis etiam imperas ?
PR.PERS. Et facio miſeros. PTOL. Eſſe quos nihilum reor.
PR.PERS. Abripe ſatelles, carcere ſuperbũ doma.
PTOL. Axis rotatum cernis inverſi globum :
Vt tam imus ille radius argento nitet,
Quàm qui ſupremus ? PR. PERS. Fecit hic currus ſophum.
PTOL. Feciſſet & te ! nam Sapore dum ebrius
Ridente ſtolidum proluis pectus dolo
Impune felix, volvitur vitæ rota,
Volvitur, & ima turbine inopino petes,
Qui ſpes in alto credulus figis gradu. (ſcias.
PR.PERS. Veto plura : qui ſim, faxo, quid poſſim
Imperia ruere, ludere in Regum caput,
Mundum arbitrari, regere naturam meum eſt :
Ego magna Cœli cura, fortunæ timor.
PTOL. Vocas ruinam, caſus ex alto placet.
PR.PERS. Include miles nocte lethæi ſpecûs :
Timere diſcat. PTOL. Præeo quò ſequi potes.
PR.PERS. Proceres in Arcē: vota cœlicolûm patri
Properemus, inde læta nos capiet quies.

CHO-

ACTVS SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

DVM hæc agerentur, intentus erat venationi Sapor cum Aſtyage majore natu filio: à quá retractus rem geſtam à Roxane Satraparum fideliſſimo edocetur. Hîc ille enimverò furere, dira omnia urbi, Satrapis, exercitui minari: Sed tum maximè cùm fictum ſe & ludicrum Saporem appellari, ſibiq́ue urbis portas occludi videt. In eo motu Artavaſdem ſibi forte obvium in vincula conjicit, & Proceres dimittit qui diſſipatos milites colligant, ad urbem ferro flammâq́ue delendam. Sed Aſtyages paterno furori tempeſtivè, ſapienterq́ue moderatus, jubet acciri Amyntam Chriſtianum militem captivum, ut ejus facundiâ ferox animus emolliatur. Interim ut in urbano malo cautus Roxanem ficto habitu in urbem mittit, ut Magos omnes noctu in caſtra perducat. Diſputat ergo Amyntas de unius Dei providentiâ, potentiâ, in ſuperbos ſeveritate. Verùm ſuperbo canit, & adhuc felici. Hâc enim occaſione totum ſuperbiæ virus effundit Sapor, ſeq́ue ulli alteri quàm ſibi regnum debere, aut ab ullo Deo eripi poſſe negat. Blaſphemiam hanc inter-

interrumpit nuntius de Legatorum Ægyptiorum adventu; quos excepturus in caſtra regreditur. Aſtyages autem animi anceps in urbem à Surenâ, Saporem in regiâ eſſe affirmante, deducitur.

SCENA PRIMA.

Verus Sapor aliquid à Roxane purpuratorum fideliſſimo accipit de triumpho.

SAPOR. ASTYAGES. ROXANES.

QVæ monſtra narras? ſceptra quis ludit mea
Inopinus error? fare, ſi ſalvum cupis,
Rem pande, ne quà creſcat exoriens malum:
Præire decuit, proximum eſt properè ſequi.
ROXAN. Te mithra, ſi fas, voſque ſiderei globi
Fratres Saporis, teſtor undantes agris
Vidi phalanges, & triumphanti agmine
Explicita victæ ſpolia telluris trahi:
Ex quo Artavaſdes Civium turmas redux
Accivit urbe. SAP. Perfidum, ingratum caput,
Quis te Sapori reddat irato Deus?
Nemo ire vetuit? nemo compreſſit gradum?
ROXAN. Quin ire miles juſſus imperio tuo.
SAP. Meo? at ſequebar junctus homotimis feras,
Aviaque curſu nemora luſtrabam procul.
At ubi pyropis currus eois flagrans?
ROXAN. Vanuit in auras. ASTYA. Turba captivi gregis?
ROXA. Erepta nobis. SAP. Ecquis hoc vivo nefas
Potuit Sapore? ASTYA. Statua ſemihominis Dei
Radiata gemmis? ROX. Periit. SAP. Aſtrorũ faces
Dei eſtis? ô qui lucidum accendis jubar
Spectator orbis, fratris hauſiſti probrum,
Torpente inultus dexterâ? Cœli pudor,
Quis ſcandere aſtra, quis me anhelantes vetat
Flectere jugales, perque monſtrorum orbitam
Tua æſtuoſis membra partiri feris?

SCE-

SCENA SECVNDA.

Artavaſdem Regis epulas curantem, Sapor jubet in vincula conjici, quaſi proditionis reum.

ARTAVASDES. SAPOR. ROXANES.

TV quod juberis regias exple dapes,
Aurea choaſpes dona depromſit recens.
Tu militem arma ; ſequere tu, Aſtyagem juvat
Revocare ab agris. ROXA. Cernis intentum tibi
Rex Artavaſdem ? regias loquitur dapes.
SAP. Ten' video Regum proditor ? ARTAV. Superi ! quid hoc ?
SAP. Caput exectrandum. ARTAV. Cœlites veſtram fidem !
SAP. Quid parricida, quid ſtupes ? ARTAV. Hic eſt Sapor ?
SAP. Ego perduellem miſeram ? ARTAV. Quis te huc Deus ?
SAP. Attonita voce verba quid trepidâ jacis ?
ARTAV. Rex magne, num te regio liqui in toro ?
SAP. Faxo relictum ſentias. ART. Inter dapes ?
SA. Etiám-ne ludis ? ART. Iuſſa num tua exequor?
SAP. Hoc imperaram debitum Diti caput ?
ART. Feci imperata. SAP. Nam coëgiſti Magos
Satrapas? ART. Coëgi. SA. Nam meus victũ tulit
Triumphus aurum? ARTAV. Et fercula,& ſpolia, & duces.
Vidi ipſe, vidi cùm paludatus Sapor
Rutilaret auro, perque Perſepolis vias
Victore pompam duceret curru arduus,
Blanduſque patrio luderet natus ſinu.
ROXAN. Delira loqueris : ipſe ego ſylvis pedem
Referre monui, reddidi caſtris ego
Legione vacuis. ARTAV. Rex in urbem non iit ?
ROXAN. Et quæris ? ARTAV. Hodie? ROXAN. Somnias. ARTAV. Non eſt Sapor,
Vel ego Artavaſdes. SAP. Eſſe me qui ſim negas ?
At faxo diſcas, cumque detractâ cute
Sulcata ferro latera porriciam in rogos
Dirum cadaver : parce, clamabis, Sapor,
Ego ſum Artavaſdes proditor. Miles rape,
Conſume in uno vincla, dum ſurgant cruces.
ARTAV. Vincla innocenti ? SAPOR. Rapite. ARTAV. Quid ſceleris luo ?

SAPOR.

Tellure tantùm ſaxa tenebroſâ obruam.
Hùc tela, & arcum. Iuppiter ſi quid polo es,
Sic Artavaſdem liceat ulciſci precor
Vt tela nervo taxus adducto vibrat.
Vos ite Proceres, militem victo mihi
Glomerate mundo, qualis Actæas minax
Xerxes per urbes tonuit, haud hæres minor
Ita fulminabo, fundet armorum globos
Pede pulſa tellus; omnia Saporem audiunt.
ROXAN. In urbe ſævit, fugere quod tentas malũ.
Hàc providendum eſt. ASTYA. Dicis: acciri tamen
Hùc antè, genitor, è catenatâ jube
Pharium catervâ militem: is pleno ſapit
Pectore, quietem rebus & dubiis feret.
ROXAN. Fugiſſe vinctos ecquid audiſti duces?
ASTYA. Queîs nulla durum temperat virtus jugũ.
Majora Amyntas ſpirat. Hic ille eſt, pater,
Cui gratulatus frontis aſpectum aureæ,
Oculiſque fulgur, & verecundo genas
Rubore tinctas, plebe captivâ erutum,
Non indecoro ſtare juſſiſti gradu.
ROXAN. Vinctæ cohortis fors & indicium dabit,
Niſi fugit ipſe. SAPOR. Vade veloci viâ
Roxane, ſaltem tædii fallet moras.

SCENA QVINTA.

Aſtyages prudente conſilio patris iram mitigare conatur.

ASTYAGES. SAPOR.

PErmitte Genitor, pectus audaci impleam
Puerile curâ, teſte dum ſedes vacat.
SAPOR. Secede Miles. Fare pars melior mei,
Regem putaris publicè, patrem domi.
ASTYA. Inopina regni fata, mutatas vices,
Pompam ſinente cernis ereptam Deo,
Trepidoſque cives: Rebus hæc ſubitis ſalus,
Et certa ſpes eſt, eſſe quod ſubitæ ſolent.
Vbi ſe iſte fluctus frangat, haud equidem auguror,
Vbi ponat æſtum. SAP. Vbi juſſero: ingratâ ferox
Vndabit urbe, perque Perſepolis fora
Inimica triſti capita torrente avehet.
Norint Saporem. AST. Genitor, hoc primũ rogo,
Animo imperemus: nulla conſilium utile
Dedit ira: lentus ſtatue quæ peragas citus.

Digitized by Google

Sævire parce, cauſa dum morbi latet.
Non punit ira ſæpe, ſed refricat ſcelus.
SAPOR. Ita vindicari civium prohibes nefas?
ASTYA. Hoc mentis æſtu tempera. SAPOR. Hoc ſuades mihi?
ASTYA. Meliùs timetur qui remiſsè vindicat.
Venena colubri quis pede irato terit?
Simul iſta regni poſuit inventor Deus,
Aulam, atque fraudes: perfidos capit, aut facit.
Quâ parte tutus eſſe vis, illâ time.
Secura nimiùm corda ſe prodi volunt.
Sic nauta totos nullus explicuit ſinus,
Quin contrahendis apparet velis manum.
Sanum, quietumque æquor ex æquo malum eſt.
Vbi nil nocet, nocere quod poſſit, ſubeſt.
Alios proinde caſus affligat repens,
Tibi nil repens ſit; ſortis humanæ vices
Animo occupatas conſilî è ſpeculâ aſpice.
SAP. Quàm, nate, monſtras rebus obſcuris viam?
AST. Hominũ ipſa prodit natio, & Regum ſtatus.
Scis magica, genitor, robora: hàc pando metum,
Si rite quid mens augurat: verbi minax
Fremitus trementem ſæpe turbavit ſtyga,
Pavidoſque in auras traxit inſolitas Deos.
Illuſit oculis ſæpe, & artifici manu
Mentita veris ora ſimulavit notis.
Genitor quid hæres? quiſquis imperium invidet
Magus Sapori, fictus ingreditur Sapor,
Vmbrâque cives ludit ignaros doli,
Satrapũmque ſanctam perdit impoſtor fidem.
Hàc proditorem, genitor, hàc fraudem time.
SAPOR. Aſtyage vincis: Ninyam hoc mater dolo,
Hoc Oropaſta Mergidem regno expulit.
Effare prudens nate quæ fieri velis.
ASTYA. Eliſa vulnus vulneri ſerpens ferat:
Mors unde, ab iiſdem vita viſceribus fluat.
Conquire lectos urbe populoſâ Magos,
Blandoque cæcas exprime inſidias ſono.
Si reſilit, & luctatur educi malum,
Verum fateri cogat admotus dolor.
SAPOR. Periculoſam volvis Aſtyage aleam.
Spectro tenetur aula, ſuppoſitum colit
Civis tyrannum, conſcius fraudis Magus
Proſpectat arma; quam mihi mentem facis?
AST. Cautè extrahenda eſt turba: ſors alacres dabit
Nil triſte metuens animus. Inveni, Pater,
Quî devocentur: fraudibus nam quis vetet
Objicere fraudes? Commodùm nobis redit

Roxanes,

Roxanus, uni ſi jubes credam arbitro
Quodcunque tutus ſuggerit menti dolus.
SAPOR. Placet, experire: nota Roxanis fides.

SCENA SEXTA.

Roxanes mentito habitu in urbem mittitur, ut rerum ſtatum diſcat, & Magos omnes ad Regem cogat.

ROXANES. SAPOR. ASTYAGES.

REx magne, pharius huc gradûm miles tulit,
Vt imperaſti. SAP. Tota non fugit cohors
Super unus eſſe potuit: admitti placet.
Roxane pectus interim fidum proba,
Exequere quicquid natus arcanum jubet.
ROXAN. Committe Princeps: ſi putas fidum, facis.
ASTYA. Hoc placuit unum: caſtra confeſtim pete,
Notoſque vultus veſte ſimulatâ tege.
Vrbem pererra tacitus, agglomera magos,
Omneſque muris æde vicinâ occule;
Indeprehenſo caſtra quò ſubeant gradu
Vbi alta vigilem merſerit turmam quies.
Prudens ſuſurros urbis intereà ebibe,
Aulæque ſtrepitus: qualis & quantus Sapor
Viſus per urbem? nam quis Aſtyagem petat,
Num qui Artavaſdem? te quoque optari audies.
ROX. Cui viſa referā? AST. Iunctus hærebo patri.

SCENA SEPTIMA.

Amyntas captivus Chriſtianus de Deo providentia, & poteſtate in Reges ſapienter coram Sapore diſſerit.

SAPOR. ASTYAGES. AMYNTAS.

CAptive quò ſe ſocia proripuit phalanx?
AMY. Rex magne fraudis neſciū pectus rogas.
SAP. Tibi ſervitutis terminum invidit polus.
AMY. Qui ſervitutem juſſit, hîc retinet Deus.
SAP. Servire Superûm liberos ullus jubet?
AMY. Servire me vult qui tibi palmam dedit.
SAP. Palmam meæ fortuna virtuti dedit.
AMY. Humana caſu reris incerto rapi.

Pra

Et fortuitos aſtra metiri impetus ?
Melioris orbes legis imperium rotat
Inſeque gyro volvi inoffenſo jubet :
Cuſtode nec fas ſtare ſemoto ordinem.
Ille ille terram librat, ut vacuo inſidens
Circùm ambientes Solis excipiat faces :
Vt mollienti maria ſtagnentur freto
Refuſa campis : pendulus Cælo vapor
Conſtipet undas : Inde truculentum tonat :
Hinc vorticoſus equitat Oceano Notus,
Contraque Boreas murmure adverſo fremit :
Hinc & tremente terra ſuccuſſu labat ;
Ardentque buſto montium arcano juga :
Hinc dives undæ vena medicatæ fluit.
Nil vacat ab illo, major immenſo licet
Porrigitur opere, deque ſublimi æthere
Speculatus, hominum fata moderatur vigil.
Nec fas latere : Gnoſſii cœcas ſpecûs
Molire latebras, clauſtra tercentum objice
Indomitum ahena turris opponat latus,
Penetrabit, ibit, cordis & rupto aggere
Tacitos receſſus aure non tardâ hauriet.
SAP. Negotioſum miles informas Deum.
AMY. Stabilis moveri cuncta ſub pedibus jubet :
Elementa verbo format, & nutu regit.
Dextræ potentis opibus animantum greges,
Quæ vacua volucri ſpatia remigio ſecant,
Bifidoque findunt ungue telluris ſolum,
Liquidæque cives ſquameos paſcit plagæ.
Huic altâ arenas maria numeratas vehunt,
Et aura juſſo ventilat ſylvas modo :
Legemque Tigri poſuit, & Nilum incitans
Huc ſurget uſque, dixit, æſtivus tumor.
Hominum-ne curam ponat ignavus parens,
Caſuque natos, arte fortunam regat ?
Huic ſceptra credit, ruſticâ hunc claudit caſâ,
Illoſque vacuat, implet hos gazâ ſinus.
Tibi palma ceſſit ? lauream miſit Deus.
Superata Memphis ? juſſit & vinci Deus :
Domino ſtat uni victor, & victus cadit.
SAP. Delira loqueris, cuiq; mens propria eſt Deus:
Sibi quiſque ſortem moribus fingit ſuis.
Aut cœca vinctos fata mortales trahunt.
Nam bene bonis fit, noſtra ſi curat polus.
AMY. Tu de Pronœâ quereris, an dubitas, Sapor?
Bonis malè eſſe poſſit, aut malis bene ?
Sic lux tenebras, unda ſic flammas alat,
Natura diſcors pariter æternâ fide

Elementa nectat ; quamlibet ſortem æſtima
Vtentis animo, veniet aut fiet bona
Bono recepta pectore. Immiſcet Deus
Secunda duris, læta caſtigat malis,
Hîc pater, & illic : fortiter natos amat
Quos experitur. Certa generoſos legit
Dux ad perîcla, vulnus athletas decet,
Fortia cicatrix ora nobilitat frequens.
Madeſcit animus otio, & recti impotens
Longùm ſupinat marcidos artus ſopor :
Subit ille tandem gravis inexpertis rigor.
Ne metue, molles & ſui caſus manent :
Dilatus eſt, ſi quem eſſe dimiſſum putas.
ASTYAG. Plebeja tantùm ludere in capita aſſolet
Fortuna, Regum ſancta majeſtas Deo.
AMY. Deus æquat omnes:non legit titulos polus :
Rex, cerdo, miles, Satrapa, naſcuntur Deo,
Moriuntur homines. Vincit hoc Regis ſtatus,
Quod vindicantem primus incurrit manum,
Vt alta Libano cedrus, aut ſi qua inclytum
Fuſcis cacumen nubibus tecta inſerunt,
Æthræ triſulcas meliùs excipiunt faces :
Plebeja tantùm in capita deſævit Deus ?
Dic hoc Dario, certa Cambyſes feret
Documenta, quique claſſibus junxit freta.
SAP. Obliqua me ſpectare fortuna audeat
Humana ſuprà, proximum Cœlo Deum ?
AMY. Si ſcandere audes graviùs ex alto cadis.
SAP. Mea vertat ullus regna?AMY. Qui fecit Deus.
SAP. Mihi ſceptra rapiat ? AMYNT. Qui dedit.
SAP. Hic ubi Deus ?
AMY. Rex parce, ſpectat ille te. SAP. Cœlo evoca,
Iuvat meum videre victorem, juvat.
Cernemus orbis regnum, & illuſtri exitu
Mundi ſequentur ſceptra victricem manum.
Me præter ullus regnet in terris Deus ?
Non hæc Serapin dextra, non pharias Aves,
Hoſpitia Superûm, non Canem oppreſſit Deum ?
AMYN. Portenta ſtygii vana domuiſti lacûs,
Quos fecit error, ſuſtulit Divos furor.
At verum Olympo Numen, aſtrorum ſator,
Deus deorum domitor & Regum ſedet ;
Agnoſce Princeps, ſubditum incurva caput ;
Potente dextrâ frangere ſuperbos poteſt
Soletque : gravis eſt ira quæ Cœlo cadit,
Quid quæ rebellem tangit ? SAP, Alieni ſequar
Arbitria Regis ? ſceptra non mihi debeam ?
Me timeat orbis, ego alterum, & Rex & Sapor ?

AMYNT. Odiſſe Reges vera quæ faciunt, ſolent.
Diſcedo, at iſtud forte ſupremum audias.
Melior in aulâ regnet Arſaciâ cave,
Et ſceptra Cœlo vindice immiſſus ferat;
Habere ab alio regna, cùm exciderint, ſcies.

SCENA OCTAVA.

Legatorum Ægyptiorum adventus Regi nunciatur.

PHARNABAZVS. SAPOR. ASTYAGES.

Rex magne, Phariæ caſtra numeroſus ſubit
Legatus aulæ: dîa majeſtas viris
Animuſque verbis major: auguſto putem
Superûm-ve natos ſanguine: admitti rogant
Ad ſacra, Princeps, ora; quid fieri placet?
SAP. Hoſpitia Dotus apparet, menſam Badres.
Lautia Bagæus: victi Achæmenios volo
Spectent honores populi, & auxilium boni
Facileſque præſtent: donec occluſam Sapor
Peſſum urbem & aulam dederit. AST. Irarũ ſatis;
Mihi crede curam hanc, dignus Aſtyage eſt labor
Externa magno regna moliri patri.
SAP. Reſiſte fili: Numen hæc poſcunt meum.
Gubernat aſtra Phœbus, & terras Sapor.

SCENA NONA.

Captivi cum Sapore diſputationem cum animo ſuo reputat.

ASTYAGES.

Verúm-ne, an animos cœcus illudit favor?
Nihil improbatur dedecet amicum nihil.
Quàm gravia Regi verba captivus dabat!
Amór-ne, veritáſ-ne conſenſum exprimat,
Addubito: certè placuit. Eſt Cœlo Deus
Qui fata Regum volvat, & facili manu
Imperia mutet? Vivat, & vivat ſibi
Deus ille: nam quem cura regnorum coquat
Dices beatum? Noſtra ſed caſu rapi,
Fluitare mundi gurgite incerto ratem;
Sed eſſe Numen Regibus compar Deo,
Orbemque duplici ſtare ſub Domino putes?
Deus eſt Sapores? ſit licet Rex, & Pater,
Natura, corpus, vita, vox, hominem ſonat.

SCE-

SCENA DECIMA.

In urbem à Surena ægrè reducitur, ut cum patre convivium ineat.

SVRENA. ASTYAGES.

AStyage quas hîc ſolus innectis moras,
Fauſtumque vitias patre deſerto diem?
At ille vitis Lydiæ, & platani aureâ
Recubans in umbrâ, regias inter dapes
Felicitati deeſſe te queritur ſuæ.
ASTYAG. Surena ludos agitis, intruſam audio
Regnare larvam: nemo ſecura abſtulit
Ludibria Regum: ſorte cum Domino impari
Capitis periclo luditur. SVREN. Solis faces
Adjuro, Princeps, fabulam hanc veſtri cient
Vt fama, Satrapæ: ſubitus attonitam quatit
Tumultus aulam, denſus ad Regem coït
Statione miles liberâ: ulciſci petit,
Tu ſi rediſſes fors & ulciſci daret.
ASTYAG. Cui verba pectus perfidum? vidi, nefas!
In caſtra adactum ſcelere Megabizi patrem:
Occluſa præſens clauſtra, & oppoſito aggere,
Vidi Saporem regiâ excluſum ſuâ.
Hoc ille Regum rector, hoc natus ferat?
SVRE. Quod olim amabas pignori oppono caput,
Supplicia non recuſo ſi fraudem paro,
Si verè in aulam non penetravit Sapor.
ASTYAG. Tu finge jura, vilis eſt Divûm metus,
Cui levia Regum ſceptra, cui nutat fides.
SVR. O Sol! ô aſtra! Magne regnator Deûm
Hoc hoc tridente verbera telo caput:
Fige, ure, lania, ſum nocens, merui mori;
Nutante nam quid demorer vitam fide?
AST. Sic merita penſas? noſter hoc meruit favor?
SVR. Quod ſuſpicando vindicas, Princeps, ſcelus?
Quod crimen in te ſervus admiſſum luo?
ASTYAG. Nempe Artavaſdi frater addendus fuit.
SVR. Vtrunque vinclis perdoma, accedant ſcaphæ,
Et quicquid uſquam eſt horridum, nullum dies,
Tormenta nullum pectoris retegent dolum.
AST. Secura loqueris? SVR. Mitte qui explorent (fidem,
Qui patris ora, vocis agnoſcant ſonum.
AST. Magia finxit. SVR. Veſter hanc potius Sapor
Tentarit artem; ſolus illudi potes:

Quis fallat omnes ? Eja, dubitatum nimis.
AST. Fortuna pectus credulum quævis premat ;
Surena fidei ſe dat Aſtyages tuæ.
Quid machineris cogita, Regum polus
Invigilat ultor. SVR. Quod times in me cadat.

CHORVS

Felicibus intolerabilem eſſe fortunæ mutationem conqueritur.

HOc habent in ſe miſerum beati,
Eſſe quod nolunt miſeri : ſecundam
Prima fortunæ vocat aura, ſeque
Ebrium præſente bono, futuris
Proluit pectus, niveamque vitæ
Aureâ ſperat ſeriem catenâ.
His ferax pandit gremium irremiſſæ
Cura naturæ, rotat aſtra Cœlum,
Candido circùm micat igne Phœbus,
Parturit fruges inaratâ tellus,
Subſidet pontus, famuluſque juſſa
Accipit orbis.
Quis Deûm voces ita conſtitutis,
Quis poli longè jaculantis iras,
Quæque mortales agitant, procellas,
Et Deæ ludum volucris, ſuoque
Semper auctori grave crimen, & te
Proh nimis velox Libitina, voſque
Tartari flammæ malè ominatus
Occinat augur ?
Aſpero igneſcit monitore veri
Pectus inſuetum ſtimuliſque vires
Calcitrat contrà. Violente qualis
Preſſat admorſu ſonipes lupatum :
Denſa cui dextrum juba velat armum,
Surgit ad plauſus ſinuata cervix,
Ignei vibrant oculi, toroſum
Explicat pectus, micat acer hirtis
Auribus, flammam bipatente voluit
Nare collectam : Ergo ferox juventâ
Quaque denſatur via ſenticetis,
Quaque ſublimi petit aſtra mole,
Quà ſalebroſo malè tuta fundo
Terra ſorbetur Dominum fatigat,
Succutitque, aufertque, ruit, volatque.
Seſſor adducto cohibere freno

Tentat,

Digitized by Google

Tentat, & mollire manu rebellem:
Voce nunc blandâ, ſtrepituque linguæ
Mulcet iratum: modò calce, virgâ.
Increpat ſtantem; furit ille contrà
Oblitus ſpumis, equitemque dorſo
Excutit, totoque terit ſecutus
Pondere victum.
Talis incerti monitus futuri
Se ſuo demens agitat furore:
Et bonum primò tenet occupatum
Inquies; ſortis rota dum caducæ
Volvitur præceps, revolant ſecundæ
Blanda fortunæ, nihil & timentis
Incubat tandem capiti malorum
Agmen horrendum; levior videri
Mors inexperto queat: ipſa quanquam
Mors inexpertum petet, & ſuprema
Tam bonas horas ſubitò imparati
Opprimet hora.
O mihi nunquam nimiùm beatæ
Aura fortunæ veniat, diuque
Inſolens cladis favor! ô ſerenum
Auferat nubes, Superſimque dono
Per vices lætis mala temperentur!
Ille plus felicibus eſt beatus
Qui poteſt ſperando minùs beatus,
Aut miſer eſſe.

ACTVS TERTIVS.

ARGVMENTVM.

LEGATI Ægyptii adoratâ de more aureâ Regis ſtatuâ, & ejuſdem Regis promiſſâ adoratione Surenam ſibi muneribus conciliant, ut ejus operâ Ptolemæum captivoſque ceteros recuperent. Huic autem de Artavaſdis periculo ſolicito ſupervenit Angelus Princeps Perſarum, ſeque

planè pro Rege & Sapore gerit. Legatos audit, Artavaſdem honori, Ptolemæum libertati regnoque reſtituit: de Satraparũ aliquorum inſolentiâ conqueritur, qui per ludicrum alium Regem, alium Saporem finxiſſent. Inter hæc Roxanes commiſſi ſibi ab Aſtyage negotii rationem reddit: ſeque quot potuit Magos in domum unam ſilentio convocaſſe renunciat. Quos omnes ut publicæ quietis oſores, Dei hominúmque hoſtes Princeps Perſarum flammis addicit, & Archimagum ad ſe in vinculis adduci imperat.

SCENA PRIMA.

Poſtulant ad Regem admitti, ſed id antè à chiliarcho non impetrant, quàm auream Regis ſtatuam ex more adorarint.

PHARNABAZVS. MASTYES. PSAMMETICHVS.

OPtata vobis mœnia, Arſacidûm decus
Aulam potentis culmen auguſtum imperî
Spectate Proceres: inde quà tellus patet,
Et anhela Phœbus hinc & hinc flectit juga,
Promuntur orbi jura: ſublimi Sapor
Sedet arce, quantus ille qui Cœlo tonat.
Tùm gemina proles, patre nil magno minor
Vt amica fratres ſigna Ledæi micant.
Numeroſa Regem Satrapûm ſtipat cohors
Stelliſque claro Numine invidiam ferunt.
MAST. Salvete Divûm tecta, venerandi lares.
Implexa vaſtæ ſpatia dimenſus plagæ
Vos fronte primùm cernuus totâ colo:
Placate magni Numen Arſacidum Iovis,
Victiſque faciles reddite Ogygiis Deos.
PSAM. Hic ille terror gentium? hâc vitæ & necis
Scribuntur arce fata? Regnorum potens
Quis hîc Serapis verſat immotus vices?

At

At ille lituos inter, & chalybis minas
Cædeſque, Martis more biſtonii furit:
Putâs-ne victis, Satrapa, ſe clemens dabit?
PHARN. Iejuna qualis cæde venantûm leo
Perfuſus ora, tela quamdudum micant,
Incendit iras, & flagellato rudit
Tergo cruentum. Tange victoris pedes,
Omnis reſidet ira, & infractus furor
Rabioſa tacito murmura elidet ſono.
Per rapida talis bella fulmineus volat,
Idemque placidus jura dat victis Sapor.
Ad ora, Proceres, regia admitti placet?
PSAM. Si fas, & ille veniat ad victos honor.
PHARN. Ergóne Regum ritu Achæmenio lubet
Coluiſſe Regem? MAST. Quem mihi ritũ imperas?
PHARN. Incurva cervix fronte tellurem premat,
Genibuſque nixus implica tergo manus:
Ita ſupplicatur Regibus. MAST. Famulas jubes
Straviſſe mentes? hic Deos cultus decet.
PHAR. Huic Mithra frater, ſidera agnoſcunt parẽ.
MAS. Hominem videri cui leve eſt, Regem putes?
PHARN. Humana nutu qui regat qualem putes?
MAST. Deo minorem: medius æquales ſuprà,
Infraque Superos ſceptra veneretur Deûm.
Subjecta quod ſi capita violentus premit,
Cœlo opprimetur ipſe ſubjectum caput.
PHARN. Malè ominari mitte; victorem doces
Quid ſapere par ſit. Fare conſilii ultima:
Nulli aula Rege non adorato patet;
Lex patria prohibet: ſi ſuperbire eſt ratum
Tua vota Regi fidus interpres feram.
PSAM. Etiám-ne pectus, Maſtye, incertum labat?
MAST. Tu fracta ſuades colla ſervitio dare?
PSAM. Nondum ſubactam ſpiritus quos tu foves
Decuêre gentem: victa fortunam accipit.
MAST. Quæ facere victrix ſolita. PSAM. Dedidici (ſtatum
Prioris ævi, fata non luctans ſequor.
MAST. At fata contrà ſtat ſuo virtus gradu.
PSAM. Eſt prima virtus ire fatorum gradu.
MAST. Baſia ſuperbi Regis ut pedibus feram?
Pronâ ſalutem fronte? PHARNAB. Væ victis. MASTY. Manus
Tergo reducam ſupplices? PSAM. Cœlum jubet.
PHARN. Victus recuſet facere, quod victor ſolet?
PSAM. At dum Saporem pervicax colere abnuis.
Tuus ille quondam clauſus infandâ jacet
Ptolemæus umbrâ: vita ſi tamen eſt ſuper
Victore pendens arbitro. MAS. O patria! ô pater!

O dulce nomen ! pectus hæc cura effodit.
Thalamos reperti teſtor arcanos Bovis,
Et quicquid uſquam per Parethonias aves
Latuit Deorum, ſupplicî quò me furor,
Non adigat ullus, priſtinæ aut ſortis favor,
Ptolemæe cogis ; ſupplicem pietas facit,
Fortuna victum. Satrapa quò placitum eſt age :
Fuerit honeſtum quicquid impendam patri.
PHARN. Tu Rege cretus ? MAST. Frater, & Re-
gum nepos.
PHARN. Regés-ne vetuit colere, dum felix pater ?
MAST. Deos putare vetuit infelix pater.
PSAM. Dabis ergo, Princeps, Regis aſpectu frui ?
PHARN. Dabo & fidelem rebus incertis opem.
PSAM. Benefacta nullus rapiet immemori dies :
Et habent regreſſum fata. PHARN. Terreni Iovis
Simulatus auro, Principes, vultus micat ;
Et hic colendus. MAS. Vincla dum patri eximam,
Ecquid recuſem vile ? PSAM. Da bonus bonum,
Sapor Saporem. MAST. Vivat æternùm Sapor
Vmbræ ſuperſtes aureæ, & reddat patrem.
PHAR. Iam ſtate, Proceres, regiæ cardo ſtrepit.
PSAM. Quis ille, Princeps, frontis auguſtæ Magus.
PHARN. Surena Regni fidus, & Regum comes.
Sperate rebus læta fors veſtris adeſt :
Hinc prima miſeris panditur vulgò ſalus.

SCENA SECVNDA.

Surenæ domeſticam cladem lugentis favorem apud Regem ſibi conciliant legati.

SVRENA. PHARNABAZVS. PSAMMETICHVS. MASTYES.

VTrum incitatos ocyùs motus rapit,
Diurna Cœli lampas, an Regum favor ?
Biſſena certâ ſigna metitur face
Sol deſtinatum dividens orbi diem :
At hora Reges ſæpe mutavit brevis ;
Brevis hora tenebras peperit, & mediam abſtulit
Nox atra lucem. Quid quòd æquali rotat
Sua Phœbus aſtra turbine ? æſtivus refert
Hyberna luci damna, nec currus obeſt
Merſiſſe ponto citiùs : at Regum diem
Caligo longa noctis horrendæ regit :

Tùm

Tùm creber animos haurit incertos pavor,
Squallent penates, nubilo undante effluunt
Lamenta, triſtes alite minarum impiâ
Reſonant tenebræ. Vota ſi lucem vocant,
It nothus ab aulâ fulgor, & rutili faces
Intentat atras fulminis. Tantùm parem
Phœbo atque Regi ſplendor invidiam facit
Obliteratus; aureum lucis jubar
Nox una perimit: rapitur, effugit, evolat
In pigra lethes ſtagna, non ullo dies
Reditura ſeclo. Reparat, & reparat ranien
Parili ſereno decora fugientis polus:
Etiám-ne Reges? tranſit irrevocabilis
Favoris hora, reſtat ex illâ, fuit,
Et triſte, memini. Si quis exurgit tamen
Revocante Cœlo, unus tot inter millia:
Si quis renatum proſpicit felix diem,
Quàm ſplendet hebeti luce! redivivos ferit
Quàm tenuis oculos fulgor! Impuro æthere
Per uda qualis nubila invitos Deus
Rupit vapores, atque rimatus viam,
Terram albicante pallidus radio notat,
Nec eſſe jures, eſſe quem ſolem vides.
PSAM. Ingrata, Princeps, vota lugenti accident.
PHARN. Miſeros juvabit non inexpertus mali.
Adeundus ultrò eſt. Satrapûm auguſtum caput
Surena ſalve: Miſſus ogygiis adeſt
Legatus oris, regios per te rogat
Vultus mereri. SVR. Tempus alienum vetat,
Nova cura Regem publico exercet malo.
MAST. Surena Regum ductor, Arſaciæ decus,
Et columen aulæ, da piam afflictis manum.
Fortuna ſatis eſt eſſe quòd victos jubet,
Ne facite miſeros. SVR. Eſſe quos vincit Sapor
Miſeros negato. MAST. Victor animoſus, potens,
Sceptroque clarus, miſeriæ ſolatium
Sit inane victis: ecquid & captos juvat?
SVR. Ergo redimendis pretia captivis parant?
PHARN. Numeroſa, Princeps. SVREN. Publico neſcis foro
Vaeniſſe ad haſtam? PHAR. Nempe Niliaci levis
Iactura vulgi, Principum ambitur ſalus.
Paterna natus vincla diſſolvi rogat.
SVR. Tú-ne Ptolemæi ſanguine, Adoleſcens, ſatus?
MAST. Natura munus fecit, invidit polus.
SVR. Feliciore dignus appares patre.
MAST. Carcer patricios fecit è plebe ultimâ;
SVR. Quæ vincla Regem facere plebejum queant?

MAST.

MAST. Olim beatum filius colui patrem,
Miſerum erubeſcat degener : Natum voca
Ptolemæe vel ſic, tu mihi æternùm pater. (ſer ?
SVR. Iram Sâporis meruit. MAST. Afflictus, mi-
SVR. Miſer, at ſuperbus. MAST. Nempe ſic for-
tem vocas.
SVR. Non poſuit animos, non triumphatũ caput,
Non deprecatus vincla, non genua attigit.
PSAM. Surena crede, grandis imperiũ, & preces,
Sceptrum & catenas, carcerem & regni thronum
Intercapedo dirimit : anteacti immemor
Inaſſuëtam juſſus ordiri viam
Reſpexit ibi ſe, ſubſtitit, luctatus eſt.
SVR. Fortuna pectus veſtra mollivit meum :
Tentabo ſi quid Rege placato queam.
Sperate, abite. MAST. Munus obſequii cape
Surena noſtri : poculum Auſonio vides
Dignum Monarchâ : tritavus hunc habuit meus,
Actiaca poſtquam decoloravit vada
Noſtro Triumvir ſanguine, & ſocium Imperî
Emancipatum fœminæ letho dedit.
SVR. Commendat auctor, Principes, doni decus ;
Gratum & quod Itali tetigit Auguſti manum.
Regum favores inter, eoas opes,
Et quicquid Indus amne fœcundo creat,
Duplex in uno, Principes, pretium inſeram.
Nunc ite, veſtri cauſa me Regis movet.
PSAM. Dî te ſecundent, prima miſerorum ſalus.

SCENA TERTIA.

Surena ipſe aditum ſecum diſpicit ad Regem fratri placandum.

SVRENA.

ALiena tracto commoda, excluſus meis,
Fratri ſuperſtes optimo. Iratus minas
Quâ parte ponet, quâ prece infringet Sapor ?
Antiqua noſtræ decora revocabo domûs,
Regumque Reges ſtemmate atavorum ſatos ?
Qui ſe videri vult parem, non ſupplicat.
Obſequia memorem longa ? bene facta exprobrem ?
Quæcunque veniant dona, ſit merces licet,
Nec æqua meritis, gratiam Reges vocant.
Quid ſi verendum famulus amplectar genu ?
Frcêre mores debiti cultûs notam.

Non

Non ſupplicantis. Frater incerti vagas
Animi procellas cerneres, nullâ ratem
Statione firmam! Monita ſpreviſti mea.
Dicebam, ut altum navita emenſus mare
Cui cana fluctus inter, & vela, & notos
Senuêre menta: fige quà tutum eſt gradus;
Prærupta ſequeris; tenuis eſt Regum favor,
Pellucet Artavaſde, tranſparent minæ
Fraudes, perîcla, ſervitus. Té-ne arguam,
An acerba Superûm fata? ſi Superi jubent
Tam dira Regum imperia. Privati innocens
Quod utrique Numen otium invidit laris,
Vinctoſque in ortu regia implicuit plagis?
Fortuna manes patitur illuſtris ſuos:
Vive, late: in alto nemo ſecurus ſtetit.
Sed ecce ſocium ducit Aſtyagem Sapor.

SCENA QVARTA.

Angelus Princeps Perſarum Surenæ precibus fratrem ejus Artavaſdem vinculis liberat. Tum conqueritur ſubdititium neſcio quem Saporem coli ab aliquibus pro Rege.

PRINCEPS PERSARVM. SVRENA. GOBRYAS. ASTYAGES.

QVid procul ab aulâ fronte non lætâ coquis?
SVR. Privatus auget publicas clades dolor.
PR. PERS. Meæ reponam lucis afflatu jubar:
Effare cauſam. SVR. Genibus advolvor tuis,
Miſerere Princeps. PR. PERS. Vincla te fratris movent?
Non ſum rogandus. SVR. Culpa peccantis fuit,
Fatebor equidem, nulla me pietas movet,
Et Rege, fratris nomen, offenſo perit.
Pro ſcelere magno ſupplicî paulum eſt ſatis
Magno Monarchæ: parcit abjectis leo,
Hoſtemque rabidas frangit ad fractum minas.
Sic ille, longa cui dedit nomen manus,
Tam major olim patre, quàm te uno minor,
Veſtes cecîdit non reas: pœnam toga,
Corpus timorem ſenſit, & timuit ſcelus.
Quis fulminanti tela ſufficiat Iovi
Meritis ſeverus paria ſi vindex vibrat?

Violenta quos non potuit, effecit bonos
Tranquilla virtus: ſurgit è culpâ acrior,
Ipſoque vires ſumit in lapſu vigor.
Scelus eſt peractum; quem piget, certè luit:
Miſerere Princeps. PR.PER. Leviter in Reges nihil
Peccat; furorem læſa majeſtas habet.
SVR. Meliùs ſerenum placida majeſtas habet:
Quem Rex nocentem fecit, abſolvat Sapor.
Eripere vitam quilibet poſſit reo,
Servare nemo: genius hic Regum, & Deûm.
PR.PERS. Violata quamvis ſceptra ſuppliciũ exigunt,
Benefacta juſtum libret examen placet:
Hinc trutinam, & illinc pondus impoſitũ premat.
Quò vergat ipſi facitis, in veſtrâ manu
Veſtrum eſt periclum: vita diſcrimen facit.
Gobrya, Artavaſdis facta percurre ocyùs.
SVR. Ergo revixi! ſubdit Aſtrææ Sapor
Arbitria Regum: parte quâ potiùs gravis
Statera ſedeat, inclyta Oroſangûm fidem
Monumenta facient. PR.PER. Ille fatorũ potens
Lethæa vivax ſtagna tranſcendit, patrum
Rediviva natis ora poſiturus liber.
Age fida Regi turba, ſit tanti decus
Ævo ſuperſtes emere, vel fuſus cruor
Oculos mereri diſcat æternùm meos.
Quoties renatum Phœbus oſtentat diem,
Quoties Ibero proluit currus vado,
Amica gratus nomina exſequitur Sapor
Memorique repetens pectore infixos locat.
SVR. Recente qualis excitus Phœbo vapor
In aſtra ſurgit, munere & Matris Deûm
Stellis propinat nectar: hinc iterùm ſacro
Excoctus igne refluit, & vivos agens
Latè parentem rore fœcundo beat.
Sic noſtra Regem merita momento juvant,
Iterumque donis fœta in auctores cadunt.
PR.PER. Quæ merita vincunt Gobrya? GOBR. Oroſangæ fidem
Mercede juſtâ Regis æquavit favor.
Suprema reſtant bella queîs hoſti fugam
Spectata virtus fecit, & validas manu
Stravit phalanges. Brachium in Regis caput
Iam jam caducum barbaro Numidæ abſcidit.
Denſum premebat agmen Aſtyagis latus;
Ruit Artavaſdes ſubitus, & ſtrage horridâ
Infecit agros. Si qua peccavit recèns,
Nullâ notaſti paginâ. ASTYA. Regum genus
His adde, patrum decora, fraternam fidem.

Digitized by Google

In illa virtus, ſors in errorem impulit.
PR. PERS. Eſto Artavaſdes liber: exonera manus
Præxaſpe vinclis: ſoſpitem huc ſiſti volo.
SVR. Mundi tuiq; domitor, ô quàm animus ſtupet
Tardante linguâ! quantus excitas coquit
Æſtus medullas! Ecquis in grates Deûm
Pectus reſolvat? vincor, ô ſuperi! ah pudet,
Pigetque! quanquam qui ſolet, vincit Sapor.
Torrente non ſi rapidus eloquio in nivem
Liqueſcat Hermes, Cœlitum non ſi Pater
Omnes benigno charites effundat ſinu,
Æquare dona valeat, & Regi nihil
Debere victus. Quid loquar primum Sapor,
Quid aut ſupremum? vita quandudum meos
Animabit artus, in tuum, Princeps, decus
Linguam reſolvet pulmo: Surenam Sapor
Modò qui tacere cogit, & cogit loqui.
PR. PERS. Surena, quæ ſint pretia virtutis ſcio;
Ita munerari merita famulantum decet,
Prævaricatrix ſi quibus non eſt fides.
SVR. Tui columna vivit Aſtyages throni,
Et clara Satrapûm turba, quid fruſtrà times?
PRINC. PERS. Vnde haud timendum fuerat?
ASTYA. Agnoſco pater,
Agnoſco Superi, petitur hoc, petitur caput.
Egon' ut parentis fraude degeneri audeam
Temerare ſceptra natus? Aſtyagem Sapor
Timere potuit felle vipereo ſatum?
Reboate Cœli templa; ſed levius malum eſt:
Vindex per artus in faces, in fulmina
Denſatus æther currat; etiamnum leve eſt:
Dehiſce tellus, da novo monſtro viam,
Et abominandum tartaro abſorbe caput:
Merui perire, genitor infidum putat;
Me parricidam patris effecit timor.
PR. PERS Meliora fili: fabulam ſed quis dedit?
Aude profari, ſceptra quis finxit mea?
AST. Per ſancta Mithræ numina, & majus tuum
Rex magne Numen, juro, præſentes tua
Oculos imago tenuit: aut tibi adfui,
Vel adeſſe volui; luminum ſi me, & meos
Fefellit acies, mente peccatum eſt bonâ.
PR. PERS. Fari recuſas Otacuſtarum vigil
Quod cura notum faciet. Hoc curent volo.
Veniſſe Pharios fama legatos erat.
SVR. Hîc ſtant ad aulæ limina. PR. PERS. Admitti placet,
Vt vile nato Numen externi colant.

Violenta quos non potuit. effecit bonos
Tranquilla virtus : ſurgit è culpâ acrior,
Ipſoque vires ſumit in lapſu vigor.
Scelus eſt peractum ; quem piget, certè luit :
Miſerere Princeps. PR.PER. Leviter in Reges ni-
Peccat ; furorem læſa majeſtas habet. (hil
SVR. Meliùs ſerenum placida majeſtas habet :
Quem Rex nocentem fecit, abſolvat Sapor.
Eripere vitam quilibet poſſit reo,
Servare nemo : genius hic Regum, & Deûm.
PR.PERS Violata quamvis ſceptra ſuppliciũ exi-
Benefacta juſtum libret examen placet : (gunt,
Hinc trutinam , & illinc pondus impoſitũ premat.
Quò vergat ipſi facitis, in veſtrâ manu
Veſtrum eſt periclum : vita diſcrimen facit.
Gobrya, Artavaſdis facta percurre ocyùs.
SVR. Ergo revixi ! ſubdit Aſtrææ Sapor
Arbitria Regum : parte quâ potiùs gravis
Statera ſedeat, inclyta Oroſangûm fidem
Monumenta facient. PR.PER Ille fatorũ potens
Lethæa vivax ſtagna tranſcendit, patrum
Rediviva natis ora poſiturus liber.
Age fida Regi turba, ſit tanti decus
Ævo ſuperſtes emere, vel fuſus cruor
Oculos mereri diſcat æternùm meos.
Quoties renatum Phœbus oſtentat diem,
Quoties Ibero proluit currus vado,
Amica gratus nomina exſequitur Sapor
Memorique repetens pectore infixos locat.
SVR. Recente qualis excitus Phœbo vapor
In aſtra ſurgit, munere & Matris Deûm
Stellis propinat nectar : hinc iterùm ſacro
Excoctus igne refluit, & vivos agens
Latè parentem rore fœcundo beat.
Sic noſtra Regem merita momento juvant,
Iterumque donis fœta in auctores cadunt.
PR.PER. Quæ merita vincunt Gobrya ? GOBR.
Oroſangæ fidem
Mercede juſtâ Regis æquavit favor.
Suprema reſtant bella queîs hoſti fugam
Spectata virtus fecit, & validas manu
Stravit phalanges. Brachium in Regis caput
Iam jam caducum barbaro Numidæ abſcidit,
Denſum premebat agmen Aſtyagis latus ;
Ruit Artavaſdes ſubitus, & ſtrage horridâ
Infecit agros. Si qua peccavit recèns,
Nullâ notaſti paginâ. ASTYA. Regum genus
His adde, patrum decora, fraternam fidem.

In

In illa virtus, fors in errorem impulit.
PR. PERS. Eſto Artavaſdes liber: exonera manus
Præxaſpe vinclis: ſoſpitem huc ſiſti volo.
SVR. Mundi tuiq; domitor, ô quàm animus ſtupet
Tardante linguâ! quantus excitas coquit
Æſtus medullas! Ecquis in grates Deûm
Pectus reſolvat? vincor, ô ſuperi! ah pudet,
Pigetque! quanquam qui ſolet, vincit Sapor.
Torrente non ſi rapidus eloquio in nivem
Liqueſcat Hermes, Cœlitum non ſi Pater
Omnes benigno charites effundat ſinu,
Æquare dona valeat, & Regi nihil
Debere victus. Quid loquar primum Sapor,
Quid aut ſupremum? vita quandudum meos
Animabit artus, in tuum, Princeps, decus
Linguam reſolvet pulmo: Surenam Sapor
Modò qui tacere cogit, & cogit loqui.
PR. PERS. Surena, quæ ſint pretia virtutis ſcio;
Ita munerari merita famulantum decet,
Prævaricatrix ſi quibus non eſt fides.
SVR. Tui columna vivit Aſtyages throni,
Et clara Sarrapûm turba, quid fruſtrà times?
PRINC. PERS. Vnde haud timendum fuerat?
ASTYA. Agnoſco pater,
Agnoſco Superi, petitur hoc, petitur caput.
Egon' ut parentis fraude degeneri audeam
Temerare ſceptra natus? Aſtyagem Sapor
Timere potuit felle vipereo ſatum?
Rebboate Cœli templa; ſed levius malum eſt:
Vindex per artus in faces, in fulmina
Denſatus æther currat; etiamnum leve eſt:
Dehiſce tellus, da novo monſtro viam,
Et abominandum tartaro abſorbe caput:
Merui perire, genitor infidum putat;
Me parricidam patris effecit timor.
PR. PERS Meliora fili: fabulam ſed quis dedit?
Aude profari, ſceptra quis finxit mea?
AST. Per ſancta Mithræ numina, & majus tuum
Rex magne Numen, juro, præſentes tua
Oculos imago tenuit: aut tibi adfui,
Vel adeſſe volui; luminum ſi me, & meos
Fefellit acies, mente peccatum eſt bonâ.
PR. PERS. Fari recuſas? Otacuſtarum vigil
Quod cura notum faciet. Hoc curent volo.
Veniſſe Pharios fama legatos erat.
SVR. Hîc ſtant ad aulæ limina. PR. PERS. Admitti placet,
Vt vile nato Numen externi colant.

AST. Pater id putare deſine, haud unquàm minor
Petita nato gratia, hanc mentem exue.
Vel parricidam creditum, extorrem loca
Vbi Bootes frigore arctoo rigens
Molitur ægrè plauſtra, palantur Scythæ :
Ad inhoſpitalis Caucaſi exeſos ſpecus,
Ad iniqua Tauri culmina, undiſonis ferum
Canibus Pelorum, Malea quà ſorbet rates :
Mihi nulla tellus pejor offenſo patre.
PR. PER. Toties vocatus fugere diſcebas patrem.
AST. Te credidiſſem Regio exceptum toro
Deûm favores inter, & plauſus virûm
Lenæa patrios dona libare ad focos ?
Fatebor, hæſi genitor, & dubius ſteti,
Vacuûm-ne velles laudis Aſtyagem tuæ
Comitem pericli, martis expertum aleam.

SCENA QVINTA.

Legati pro Regis ſui Ptolemæi libertate ſupplicant.

MASTYES. PSAMMETICHVS. PRINCEPS PERSARVM.

REx vive, regna. PSAM. Vivat æternùm Sapor,
MAST. Ambigua quanquã tela Gradivi potens
Sors cœca verſat, perque camporum æquora
Et hos & illos reciproco extollit gradu ;
Nec cauſa palmæ ſemper eligitur bona.
Tamen imperato fata populorum Deus
Diſpenſat æquus ordine : hunc vinci jubet,
Mavult & illum vincere : utrunque addecet,
Quia ſic ſtatutum : victus è Cœlo eſt miſer,
Victor beatus ; cauſa non mala, ſed latet :
Meare quis enim gentium incertâ vices
Ratione credat ? Debuit vinci tuis
Ptolemæus armis, quando ſic placitum Deis.
Iam quære cauſas arbitrî. Auguſtum decus
Regni tiaras, purpuræ irradians jubar,
Cumulata patribus gaza, populorum agmina,
Phalanges, arma, par bonum ambobus fuit.
Hinc Rex, & illinc : Iuppiter medius ſtetit.
Cur libra partes pendula erexit tuas ?
Futura pietas omne momentum dedit.
Parcite penates patrii, viſus Iovi
Poſt victa melior arma Ptolemæo Sapor.
Fuit ille, qualis alveo rivus brevi
Tacitus quietis alluit ripas vadis :

Digitized by Google

At ubi caducâ nube, & hybernâ nive
Tumuêre fluctus, inde diſſimilis ſui
Spatiatur arvis, ruſticus quà ſe labor
Explicuit in ſpem lætus, & ſoli obrulit,
Torrente rapidus inchoat cladem freto.
At non profundo pelagus undarum pater
Sorbens hiatu flumina, æthereo magis
Tumeſcit imbre ; quicquid inſtillat polus,
Capiente minus eſt : ſævit, intra ſe æſtuat,
Siccumque ſpumâ littus innocuâ quatit.
Stagnare quod ſi gurgite effuſo placet ;
Vidiſti ut omne Delta complexus vadis
Fœcundo arenas Nilus opulentat luto,
Aufertque terras ? cæteri abradant, edant,
Prædentur amnes, eiicit Nilus ſolum
Quod rapere viſus, quicquid abſorpſit, colit.
Vndante ſic tu Memphin amplexus freto
Inimica, Princeps, regna quà ſternis, beas,
Iràque prodeſt martius juſtâ furor.
Nunc ergo vana facere cœleſtum Sapor
Auguria parce : legerit palmam in tuos
Verax honores Iuppiter : victæ pius
Miſerere parti, vincla Ptolemæo exue ;
Viduis cupitum redde Niligenis Ducem,
Serenitate ſic inoffenſâ dies
Æterna ſignet fauſtitas : fulmen tuæ
Sic metuat iræ nil Iovis metuens Scytha
Gelu peruſtus horrido, atque alio Æthiops
Aduſtus aſtro : ſi quis aut irâ Deûm
Sole æſtuantes patitur æterno plagas.
Conſcendat hæres patrium Aſtyages thronum,
Clarumque Cyro ſtemma redivivo trahat.
Regis-ne potiùs empta libertas placet,
Et vile credis quod datur precibus caput ?
Quid tale Nilus ore ſepteno vomat ?
At ille lege fluere jam didicit tuâ.
En ſervitutis debitum, haud pretium ducis.
Hac paterâ Amaſis hoſpitem Cœlo Deum
Placavit Apin : hic Amazonium latus
Aſtrinxit olim ceſtus, & zonam inclyto
Soluta lecto ferre Pellæo dedit
Audax Thaleſtris : dignus Alcide labor,
Tibi cedit ultrò : fruere, placatus tuis.
PR. PERS. Mea veſter ille vincula, atque ergaſtula
Captivus olim riſit, expertus ſciet
Quo turbine iras vibret offenſus Sapor.
Quanquam immerenti facere non pigeat bene
Abite, Procerum donec arbitria audio.

SCENA SEXTA.

Eâ de re cum purpuratis deliberat Angelus.

PRINCEPS PERSARVM. SVRENA. ASTYAGES. MEGABIZVS.

COnſilia Satrapæ fida ſecuri date.
Surena cani verticis ſophiam excute.
SVR. Rex magne, ſceptro quiſquis admovit manus
Rectâque Cidari nobile erexit caput,
Hunc blandiente prærogativâ extulit
Natura, ſupra ſortis ingenitæ bona.
Inde ubi ſecundos juſſa moliri gradus
Fortuna, vitam lapide ſignavit bono;
Quæ pronâ facili carbaſa expandens notò;
Citiùs petito navis in portu ſtetit.
Quàm culmen ille gloriæ his vectus rotis
Per aperta curſu rapidus aligero attigit?
In decus ab omni parte conſpirant tuum
Amica Perſis ſidera: auguſto locat
Natura ſolio: divite amplificat manu
Fortuna gazas, claſſico armatur tuis
Bellona ſignis, pax Achæmenios alit
Longæva populos: cura Divorum Sapor
Eſt ſolus omnis: Imperî in partem à Iove
Vocatus, orbem Numine æquato regis.
Magnum onus honoris ſumma: deſiſti tuus
Tunc eſſe, cùm Rex eſſe cœpiſti Sapor:
Tam lege vivis omnium, quàm omnes tuâ
Lumen ſequuntur lumine attonito tuum
Subjecta populi turba, vocali ſonant
Theatra cantu, ſi quid edicto præis
Reſponſat Echo: vocis elumbem tamen
Iterat maligna caudam, & anteactum invidet
Verbo leporem. Fama ſic actus Sapor
Geminat ſupremos: quicquid exactum eſt, perit:
Vbi agere tandem deſinis, fari incipit.
Antiqua regni decora, magnanimi recens
Martis trophæum, totque congeſtas opes,
Et latè utroque diditum nomen polo
Tonante ſævum fine concludi velis?
Et hic remotas rumor in gentes eat?
Regnat; cruenta ſceptra ſed torquet manu.
Vincit; ſed hoſtem mactat inclemens Sapor.



Rex captus ; at eum ſupplicem occidit Sapor.
Hæc magna, Princeps, fama, ſed præſtat bona.
PR.PERS. Ne metue, noſtro fiet arbitrio bona.
Megabize cauſam pariter hoſtilem foves ?
MEGAB. Rex magne, vinci qui poteſt, hoſtẽ voca,
Non victum, inermem : barbarus regnis emat
Hoſtis Saporis dici, & impoſitus jugo
Tremenda Perſis nomina tueri expetat.
Quæ terminavit bella lux, hoſtem abſtulit.
Quò tendis ultrà ? ſupplicem, victum, reum,
Tua metuentem regna, dejectum ſuis,
Graviore merſum funditùs letho obrues ?
Da da per urbes ferculum pompæ vehi,
Ptolemæus hic eſt, conjugi miles canat;
Ille hoſtis olim, filio dicat pater,
Vitam imperavit, regna reſtituit Sapor.
Quòd ſi reducti ſceptra Ptolemæi times,
Doma tributis, Nilus exundet tibi.
Limoque campos ubere explicitos aret :
Et dives onere Memphis impoſito gemat,
Hoſtile tanto robur impulſu rues,
Pariterque gazam barbarus condet labor.
Quis ope recuſet tutus alienâ frui,
Et otioſus regere ſudantes ſibi ?
Hæc certa pax eſt, prælia hunc capiunt modum :
Hæc mihi beata vita ſit ſi ſint Sapor.
PR.PER. Megabizus aliter, aliter inſtituat Sapor.
Vinci fatetur poſſe qui ex alio accipit.
Aſtyage regni pectus explorem capax.
AST. Venale Regis nolo proſcribi caput :
Injuria eſt non rara dimidius favor.
Quid ergo, vivet hoſtis ? & felix licet.
Eripe parenti vincla queîs natum induas.
SVR. Patriúm-ne natus crimen immeritus luat ?
ASTY. Immeritus ? ille patris amiſſi reus ;
Ille ille, genitor, prodidit Regem neci :
Patrem catenas ferre qui patitur, jubet.
SVR. Nam quid Gradivi faceret ignarus puer ?
ASTY. Quid faceret ? iret impete adverſo obvius,
Cuneata rueret agmina, obſtantes globo
Protereret hoſtes, perque mirantũm manus
Pulcram ſuperbus redderet prædam ſibi.
SVR. Vires recuſant. AST. Non habet vires amor ?
SVR. Viam negabat hoſtis. AST. At pietas dabat.
SVR. Vitã occupaſſent tela. AS. Quam debet patri.
SVR. Nil profuiſſet AST. Magna conantẽ juvant.
PR.PERS. Videre, fili, pace ſecurâ, ferox :
Vbi tela, ubi enſes emicant, animus cadit.

Non eſſe patrem me puta, terrâ ſatum,
Hominemque crede lucis auctorem tuæ,
Intra coactum ſortis humanæ ordinem :
Hunc ſi catenis caſus aſperior gravet,
Aut indecoram fata minitentur necem,
Patris in pericla te tua hæc pietas agat ?
ASTY. Certám-ne verbis faciet Aſtyages fidem,
An facta mavis, genitor ? avertant Dei,
Non vota facient impia Aſtyagem pium.
Sed ante rupto ſorbeat tellus ſinu,
Dubium aut parenti vultur arrodat jecur,
Quàm ſoſpitatis indigum patiar patrem :
Irem, coruſcas ſiderum juro faces,
Agmina per agglomerata, quà crebræ volant
Mortes per æthram, quà venenatus chalybs
Coruſcat arte vulnus immedicabili.
Servare patrem fata, vel ſinerent mori.

SCENA SEPTIMA.

Artavaſdes vinculis ſolutus Regi gratias agit, & pro Ptolemæo ſupplicat.

ARTAVASDES. PRINCEPS PERSARVM. PRÆXASPES.

SVpreme Regum, carceris paſſus luem
Redivivus adſum : qualis ubi noctem dies
Elumbis haurit, atque fallaci jugo
Caliginoſa intercipit Phœbum ſoror,
Quacunque ſpectes trepidat illætabili
Natura vultu : Mox ubi adverſis eunt
Sejuncta ſpatiis aſtra, meliori Deus
Rutilat ſereno, rebus iteratur decor,
Paulùm moratos mundus alternat choros.
Haud aliter, ô Rex , luce privatus tuâ
Inter futuros, inter afflantes metus,
Medio tenebras horrui exanimis die ;
Penè & triumphi carcerem è curru attigi ;
Hodie per urbes credis unius tibi
Traducta victæ ſpolia telluris Sapor ?
Non hæc triumphi meta, majorem dedit
Fortuna pompam domita quâ Reges domat.
Coacta primùm ceſſit. & eodem aſtitit
Revocata motu : ſeſſor alipedis velut
Vnâ lupatum laxat, & preſſat manu.
Rex pylia vive ſecula ; immenſum exeat

Pietas in orbem : Roma te norit jugis
Impoſita ſeptem, nomen extremis ſonet
Getula campis virgo, miteſcat Scythes
Stridente gratos voce conatus modos.
Nomen Saporis eſſe pietatis putent
Seri nepotes. Donec in venis liquor
Purpureus amnem ducet, & ſacros tuo
Rigabit artus Numini ; donec pias
Veſcetur auras animus, & fratrum agmina
Saliente pingent flammulâ Cœli tholos,
Grates rependet pectus ; ingratum tamen
Coget Sapores vivere, ingratum mori.
PR.PERS. Perge famulari, dona virtuti Sapor
Parat ampliora. Fare quâ jubeo fide,
Ptolemæus animos poſuit in vinclis truces ?
ARTAV. Nil mage ſubactũ vidit immanis ſpecus.
Vix ille trepidum fixerat in antro pedem.
Oculos repente cœca caligo occupat,
Quatiuntur artus, haurit invitas pavor
Subitus medullas, hiſpidæ aſſurgunt comæ :
Luctatur animus intus, & quanquam pudet,
Tamen horret : ille pervicax quondam tumor
Subſidit oris, verba grandiſona excidunt :
Injuſſus alto pectore erumpit dolor.
Et jam mori vel vivere, alterutrum rogat,
Sed utrumque totum : parte quod propior ſtygi
Meliore, reliquâ vivat in pœnas, pudet.
PRÆX. Prenſavit & me, perque victoris caput
Præxaſpe Regem, dixit, ignoto licet,
Miſeroque placa : quicquid in vinclis gemo
Piget fuiſſe, niſi quid exactæ dabit
Memoria fortis : ipſa ſucciſæ movet
Ruina quercûs, debili claudus pede
Colitur Canopus : Regibus nomen tuli
Non pœnitendum ; videat & luctum Sapor,
Condonet hoſti, ſi quid ex hoſte eſt ſuper.
PR.PERS. Iam victa Memphis, Satrapæ, infames Deûm
Ceſsêre ritus, terra me dominum colit.
Parem tulêrunt ſecla, & æternùm ferent ?
Vinci potes Ptolemæe, ſed ab uno potes.
Vbi illa clades provocans virtus ſuas ?
Sua mala frangens animus, ut ſpumas ſecat
Rupes procellis confragum opponens latus ?
Miſerum fatetur, eſt ſatis : luget, rogat,
Nimis eſt, nec ultrà tendat iratus Sapor.
Legatus adſit, noſtra quid poſſint ſciet
Arbitria mundus, quâ rotem humanas opes

Digitized by Google

Virtute Cœlo natus : eripiant pares,
Det regna major, qui thronum Cœlo locat
Supraque Regum fata, conjunctus Deo.

SCENA OCTAVA.

Ptolemæo libertatem decernit Angelus.

PRINCEPS PERSARVM. MASTYES.

SÆvire in hoſtem jura Gradivi dabant :
Tumidique faſtus impotens animi, moras
Letho petebat, longa quò meritos fames
Vitiaret artus, ſquallor horrendi ſpecûs
Non imperatâ tabe detraheret cutem.
Miſerum eſſe ſciret, eſſe quem miſerum volo.
Tamen & Olympo luſtrat immeritas Deus
Paſcitque gentes : ſenſit & domitus meas
Ptolemæus iras, ſupplici vitam prece
Subactus orat ; hoc idem petitis viri,
Proceres ſuadent, mundus aure avidâ bibet:
Veſtra ſuperabit vota gratuitus favor.
Quod eſſe fauſtum jubeat Arſacidis polus,
Ptolemæus eſto liber : afflictum leva
Megabize vinclis, dona legatis para
Tu Pharnabaze : dexteram accipite, & date.
MAST. O cana pietas, tuque ſupremi ætheris
Moderator alme, meſſe cui centum calent
Aræ Sabæâ, Pharia non ergò placet
Regna eruiſſe penitùs ? hoſpitii memor
Cœlum vetuſti parcit, & pœnæ metu
Satiat furorem. Quicquid in Superis pium eſt
Audite vota, ſciſſa pallentes genas
Ægyptus adſit, precibus adjungat preces,
Validoſque mundus iteret attonitus ſonos.
Victo Monarcham fata ſi mundo petunt
Regnet Sapores, jura naturæ ferat,
Claroque patrium vertice attingat polum.
Sic imperandum eſt : victa jam primùm Sapor,
(Cogis fateri) victa te Memphis colit ;
Non illa Memphis tecta quæ muto vehit
In aſtra ſaxo, quam ſalutifero ambitu
Nil ſentientem Nilus exundans rigat.
In ipſa victor pectora imperium tenes.
Nato parentem reddis, atque unâ duos
Animas ſalute. Quid Deos majus precer ?
Ibo Saporis præco quà Nilus cadit

Oriturque

Oriturque populis : inde Pyramidum arduus
Cono ſuperſtans, hinc & hinc mundi plagas
Reſonante quatiam buccinâ, & dextrâ Patrem,
Clamabo, dextrâ munus oſtentans tuum :
Ptolemæus hic eſt, hoſte qui felix pio
Victus Saporem vicit : inferior niſi
Foret Sapore, tantus haud unquam foret.

SCENA NONA.

Magos in unam domum Roxanis induſtriâ coactos jubet Angelus cum ipſâ domo flammis concremari.

ROXANES. PRINCEPS PERSARVM. ASTYAGES.

REx magne vive, tuque felicis pium
Germen parentis, ſacra quâ potui fide
Feci imperata. AST. Quicquid eſt gratum venit.
Hominém-ne, genitor, Regiâ excludi jubes ?
PR. PERS. Amica tu ſic corda tractari jubes ?
Roxane, hic artis rite ſucceſſit dolus ?
Mandata nati fare quo geſta ordine,
AST. Secreta meliùs Regiæ tecta audient.
PR. PERS. Vbi eſt Senatus, eſſe ſecretum ſcias.
ASTY. Vſus Senatum pectore coëgit tuo.
PR. PER. Non faciet uſus plurimis unum parem.
ASTY. Credatur uni cauſa, quæ unum reſpicit.
PR. PER. Privata non eſt cauſa quæ Regē aſpicit.
ASTY. Privatam at eſſe publicus juſſit timor.
PR. PER. Publica remediū publicū accipiant mala.
AST. Decerne ſolus fata. PR. PER. Sic fieri volo.
ROX. Dū me umbra, Princeps, veſtis ignotæ tegit,
Peragro platæas tutus, & facili domos
Aditu pererro : multus ancipitem volat
Rumor per urbem, monſtra ſed populo canit.
Namque ille qualis ore defixus tuo
Currus, triumphos, ſpolia, captivos amat.
Hic loquitur Ochum patris umbrantem latus,
Eſt cui Tyranni barbarus capti furor
Placuiſſe viſus. Ille ſe contrà putat
Vidiſſe Regem, qualis agreſtes agit
Venator apros, læva fert arcum manus,
Fidoque patrem ſequitur Aſtyages gradu.
Vtrique chlamydem Zephyrus undantem facit,
Sacrique ſpreta verticis fumat coma.

Digitized by Google

Et hìc, & illìc alter, in campis ſimul,
Simul urbe mediâ, temporum motu levi
Vidiſſe Regem jurat. Intereà Magos
Subduco tectis, atque ſuſpenſo pede
Mitto in propinqui limina incautos laris.
Totâ adfuerunt urbe, vix ullum putem
Superare, Princeps. Deſit Archimagus tamen
Privata rure quem ſuburbano ferunt
Augere lucra : quicquid eſt turbæ ſuper
Ab æde nutus proximâ expectat tuos.
PR.PER. Bene eſt, doloſis undique impoſiti plagis
Tenentur hoſtes : ſumma votorum attigi :
Dei & Saporis Numen ulciſci datur.
Perge Artavaſde, libera hâc mundum lue.
ROXA. Perdâs-ne, Princeps, regiâ accitos fide ?
PR.PERS. Fide infidelis regiâ vivat cohors ?
ROX. Quid deceat, haud quid illa mereatur, vide.
PR.PERS. Nil perduelles dedecet. Patiar mea
Adulterari ſceptra ? larvatos feram
Volitare Reges, & per attonitos coli
Terrore populos ? ludus hic veſter Magi,
Ciere manes, civibus diræ ſtygis
Implere regnum, gentis in cladem meæ.
Stat execrandas Rege cùm vano manus
Erebo & tenebris reddere. Actutùm vola,
Iubeo Artavaſde ; nemo ſe contrà ferat.
Si quid recentis, ſi quid antiquæ memor
Polles, poteſque gratiæ, obvalla domum,
Cæde, ure, perde, nullus effugiat necem ;
Gratum eſt ab aulâ cernere ardentes rogos,
Et factioſo ſanguine undantes vias.
Præxaſpe, ab agris Mithrobarzanem erue,
Vincliſque onuſtum grandibus monſtrum huc age.
Legati adeſte, Regia hoſpitium dabit.

CHORVS

Regis jus dicentis majeſtatem potentiamq; deſcribit.

PRoh quàm auguſta throni gloria regii !
Cum criſpantibus hinc tela cohortibus :
Hinc ſeptem Satrapis conſiliantibus,
Princeps explicuit purpureum jubar.
Olli rectus apex canitiem tegit,
Et ſacrum ſociat cœlitibus caput.
Tum Candys tyrio murice fulgurat :

Lambit

Digitized by Google

Lambit palla pedes Medica : pectoris
Quod lex nulla ligat, zona per ambitum
Circunfuſa meat : quid loquar aurei
Vaginam, capulum, robur acinacis ?
Quid jucundum oculi ſulgur, & inclyti
Flexus non humiles verticis, & gravem
Membrorum poſitum ? Parcite cœlites,
Veſtrum nullus habet Iuppiter æthera,
Aut noſtro ſimilis ſedet.
Hûc gentes coëunt, & prece ſupplici
Poſcunt pacifico jura ſub arbitro.
Hic regnata piis ante parentibus
De ſævâ repetit regna tyrannide.
Fraude alter minor, & viribus, hoſticis
Defendiſſe rogat regna furoribus.
Hic & Marte truci victus, inefficax
Victricis fugitat tela ſuperbiæ.
Stridentem veluti per liquidum aëra
Niſum Scylla tremit, dumque capi timet,
Humanos capienda advolat in ſinus.
Stat ſquallente reus cæſarie innocens,
Et ſquallente magis cæſarie nocens :
Aſtræa in medio, nudaque Veritas,
Et flecti impatiens confidet Æquitas.
Hunc triſti immeritum funere ſuſcitat :
Illum tartareas illacrymabilis
Immigrare domos protinus, & luem
Morum efferre piis ſedibus imperat.
Haud unquam geminis tortilis anguibus
Viſa Atlantiadæ virga potentior
Ad lethæum animas trudere gurgitem,
Detruſáſ-ve reducere.
Quid cùm mens operis conſcia nobilis,
Re geſtâ, domitis hoſtibus inclyta,
Ad laudem properat ? cùm populos gravis
Annis atque animis Satrapa legibus
Rexit ſub patriis ? quàm facili manu,
Quàm ridente oculo præmia dividit ?
Hunc ſceptra, & capitis vincula regii,
Illum urbes moveant, atque ſub unico
Caſtrorum populi Numine mobiles.
In gazâ hi ſtupeant, aut calybonii
Inter delicias exiliant meri :
Hoc fortuna mihi regia plus placet
Quod prodeſt facilè omnibus.

ACTVS QVARTVS.

ARGVMENTVM.

ROXANEM cum Aſtyage de violatâ fide Magis datâ expoſtulantem, exanimat gravis nuntius de uxore, & filio quos Magicus ignis involverat. Advolat ille ſcilicet extemplò, ut eos præſenti periculo eripiat. Sapor ex adverſo in ſcenam regreſſus è caſtris à filio ſalutatur gravi interrogatione & dubitatione ſitne vere Rex, verè Sapor? Cui cùm non ſine indignatione fidem feciſſet ex corpore & membris: ſigna ex mentis ſuperbiâ addit haud paulò certiora. Nam Amyntam inopinatò & severè de arrogantiâ ponendâ, gladioque divinæ juſtitiæ avertendo monentem, mirâ pervicaciâ remittit in vincula, & toti Chriſtianorum genti extrema minitatur. Interim Roxanes, in ſummâ trepidatione, ſervum filii veſtes indutum, pro filio, ab incendio abſtulerat: quo eventu in furias actus ſe ſub Saporis ipſius oculis confodit. Vix expiraverat, cùm Datis ejus filius, qui aliunde evaſerat, ingreditur vitam à Rege impetraturus: ſed patris viſo cadavere poſt multa in Saporem convitia, & ipſe ſe, niſi prohiberetur, interficeret.

terficeret. Et hîc iterùm dubitandi cauſæ Aſtyagi. Siquidem imperatam à ſe Magorum cædem negat Sapor. Ptolemæum de beneficio gratias agentem hoſtiliter tractat. Sibi oblatum Archimagum liberũ eſſe jubet. Cujus copiam nactus Aſtyages, digreſſo patre, magicis ſacris à dæmone tantæ, tamque ſubitæ rei exitum poſtulat: à quo tamen poſt conſumptam artem Magus nihil auferre poteſt quàm obſcurum, & incertum de Rep. reſponſum.

SCENA PRIMA.

Queritur Roxanes contra fidem regiam interfectos eſſe Magos.

ROXANES. ASTYAGES.

TAntum ſupinus ſorbeas, Princeps, probrum?
Tam inſigne, tam palmare? ASTYAG. Men' Regi velis
Obſtare, quodque graviùs extimulat, Patri?
ROXAN. Regem putaris nulla cui conſtat fides?
AST. Imperia Regum quà cadunt, faciunt fidem.
ROXA. Ea juſſa debent cadere, quò inclinat fides.
AST. Inclinat arbitrium omne quò Reges trahunt.
ROX. Et quò trahuntur; ſerviunt queîs imperant.
AST. Servire veſtrum eſt: quidlibet Reges velint.
ROX. Sed honeſta, ſed non varia momento velint.
AST. Conſtanter eadem velle privatum puta.
ROX. Regale magis eſt velle conſtanter bona.
AST. Ire in Senatum juſſeram? ROX. Qui te locus
Regemque haberet. AST. Iuſſa ſecretus dedi.
ROX. Coram parente. AST. Potuit inflecti rigor
Privatâ in aulâ: tu tibi reliqua imputa.
ROX. Sed dum hîc ſedemus, pateris infami rogo
Vetuſta gentis nomina in cineres agi?
Tam fida Regi pectora? heu, Princeps, tibi
Tot amica perdi capita? ſubtexi vides
Vndante fumo ſydera illacrymabilis?

Aſtyage quis te ſubitus invaſit rigor?
Tam turpi amicos funere involvi ſines?
AST. Horrenda claræ fata me gentis monent;
Sed ire contrà patris imperium, nefas.
Quid ſi execrandæ fraudis artifices erunt?
Quid ſi locarunt régio larvam throno?

SCENA SECVNDA.

Nuntiatur Roxani uxoris & filii cum reliquis Magis interitus.

TITHRAVSTES. ROXANES.

QVis me per auras turbo præcipitē vehet
Domini ſub ora? ROX. Quis recens lacrymas ciet?
TITH. Roxane ubi es? ROX. Tithrauſte, quem ad luctum vocas?
TIT. O here! ROX. Profare, jam meos novi metus.
TIT. Periêre cuncta. ROX. Perditos luges Magos?
TIT. Here, domus omnis concidit. ROX. Quid audio?
TIT. Aſpaſia quondam ſocia felicis tori.
ROX. Eloquere. TIT. Magico clauſit in buſto diē.
ROXAN. Quis ire vetitam ſævus immiſit Deus?
TITH. Vix ſtare tecto juſſeras, cùm ſe nurus
Intulit in ædes; quas, ait, nectis moras
Aſpaſia? Regi noſter ambitur labor:
Præcurre, Procerum ſanguinem extremo nefas
Spatio videri; cauſa regalis vocat,
Vbi ipſe primus ſtare Roxanes velit.
Sic fata teneram Datidis prenſat manum,
Et blandientem matris è gremio eripit.
Sequitur coacta mater, & nato comes
Nuruique diræ limen ingreditur domûs.
ROX. Ergóne periclo Datidem involvit ſuo?
TITH. Tuos amores, ſanguinem, Princeps, tuum.
ROX. Crudele Cœlū! ſequere, ſtat rapere, aut mori.

SCENA TERTIA.

Roxanis calamitatem deflet, & ad dubitationem ſuam redit

ASTYAGES.

SEvera Divûm fata! quis ſtabili putet
Vitam rotari cardine, & fidens ſibi
Beatitatem vota per longam ferat?

Roxane

Roxane felix Satrapa, infelix pater ;
Mihi dum fidelem ſedulus præſtas opem,
Quâ ſtare primùm parte debueras, cadis.
At, at ſtetiſſes, ni quòd iratis polus
Tonuiſſet aſtris efferum atque ingens malum.
Cor trepidat intùs : horror invitum quatit.
Neſcio quid aliquid pectus hoc certè gravat,
Denſoque frontem nubilo obductam tegit.
Patri timere debeo ? an potius patrem ?
An utrunque ? utrique ? Voce quàm blandâ dedit
Vitam Artavaſdi, vincla Ptolemæo abſtulit ?
Queîs fulminavit in Magos idem minis ?
Non ſic repente læve placati maris
Rapuêre marmor in alta præcipites Noti.

SCENA QVARTA.

Saporem eorum quæ actú præcedente geſta ſunt, ignarum videri miratur Aſtyages.

SAPOR. ASTYAGES.

NOn hâc morantem ſede retuliſti gradum
Ex quo receſſi Nate ? quo res ſunt loco ?
AST. Adeſ-ne genitor ? & unde ? quid turbat novi
Mutata ſpecies oris ? SAP. Incertam movent
Adverſa mentem ſomnia. AST. Vnde illud, pater ?
SAP. Digreſſus iſtinc regio incubui toro,
Feſſumque curis altus oppreſſit ſopor.
Hinc inquieto vertici illudunt modis
Simulacra miris : diceres ruptâ Styge
Irruere manes, inque devotum caput
Comâ cruentas ſibilâ Eumenides rapi.
AST. Hoſtile genitor ſomnia incurſent caput :
Fecêre Superi brevia. SAP. Credideram moras
Traxiſſe longas. AST. Tædia has fingunt moras.
SAP. Vbi quos ſubacta miſerat Memphis viros ?
Coacta per te turba venerunt Magi ?
ASTYA. Ah genitor ! SAP. Ecquem ſpiritum ex imo trahis ?
AST. Favere poteras. SAP. Agere felices volo.
AST. Fidem dediſſes! SAP. Sunt tuâ tuti fide.
AST. Vel parce miſeris. SA. Eſſe quos miſeros veto.
AST. Quid tale meruit, genitor, Aſtyages tuus ?
SAP. Quas mihi querelas, nate, quos luctus canis?
AST. Quos imperaſti, quoſque ſpectaſti, pater.

SAP. Mihi incruentus fluxit hic, fili, dies.
AST. En illa palmas tendit innocuas phalanx.
SAP. Quæ? ASTYA. Quam coëgi. SAP. Cur? AST. Malo ut finem daret.
SAP. Quid illa poſcit? AST. Quod petat fruſtrà, pater.
SAP. Eloquere. AST. Vitam. SAP. Vivat. AST. In flammis jubes?
SAP. Quos loqueris ignes? AST. Nam quid hoc ſimulas, pater?
SAP. Perplexa remove verba. AST. Cùm nulla eſt ſalus.
SAP. Cogêre. AST. Aduſtos ánne ſpectaſti Magos?
SAP. Quando? unde? nam quis caſus in flammas dedit?
AST. Quis illud ante Regis imperium audeat?
SAP. Non imperavi: Mithra ſic ſalvum velit.
AST. Non Artavaſdes juſſus hæc buſta excitat?
SAP. Quis Artavaſdes? quē ſpecu & vinclis premo?
AST. Qui vincla blandâ fratris evaſit prece.
SAP. Sapore liber proditor vivo exeat?
AST. Etiam jubente. SAP. Somnias. AST. Vidi, pater.
SAP. Aſtyage mentem magicus eripuit furor.

SCENA QVINTA.

Chriſtianus miles Sapori viſum refert de Deo ejus ſuperbiam penitùs domari jubente.

AMYNTAS. SAPOR. ASTYAGES.

REx magne, ſalve. SAP. Regia injuſſo gradu
Venias ſub ora? AMYN. Numine huc agor Dei:
Nutus Tonantis aure famulanti accipe.
SAP. Sacrilege miles, Numen alienum ingeras?
AMY. Mortale nō eſt quod loquor, Cœlū imperat.
SAP. Terræ propago. AST. Quicquid eſt, audi pater:
Spreviſſe nocuit: magna non magni ferunt.
SAP. Loquere: ſed audi, per ſacrum Mithræ jubar,
Malè ominatum ſi quid effutis, lues.
AMYNT. Minare verò ſi qua vox hominem ſonat:
Divina veſtros verba non capiunt metus;
Vbi varia in auras verba conſilians dedi,
Et vix tonantes ſalvus effugi minas:
Placare ſummi Numen aggreſſus patris,

Ad

Ad aſtra puras cernuus palmas tuli,
Et vota (tali thure Chriſtiadæ litant)
Cùm ſupplicanti lenis irrepſit quies:
Vt ſomnus artus quandò non totos ligat
Nebulam vigiliæ primulam aſperſit ſopor,
Grandi ſmaragdo paret impoſitus Senex,
Cui frons coruſcat mille luminibus vigil;
Qualis minores Cynthia exſuperat faces,
Aut quantus æthræ lampadem Phœbus quatit.
Pennata circùm turba conglomerant, leves
Sine mole vitæ: pars verecundo pia
Connivet ore: ſtare pars neſcit loco
Devota juſſis, quò vocat nutus, volant;
Rapiuntur: actum tardiùs fulmen ruit
Animante flammâ: pars inardeſcit ſuo
Bellare Regi bella: factorem timet
Natura vitreo tremula ſub pedibus globo,
Et veſtra tenui claudit Imperia ambitu.
Tarpeia punctis culmina notantur tribus:
Quæſivi Athenas: penè & Ægyptus latet:
Biſſena pingunt ſtigmata & pontum & rates:
Minore Nilus lineâ, & Tigris fluit.
Vidi & Saporis Regna, quàm ferè nihil.
Stat ante Regem flammeo vultu Aliger,
Dextrâ ſariſſam librat, in lævâ aureus
Radiatur umbo, caſſis auratum vomit
Agitata fulgur, pectus objecto riget
Adamante ſolidum. Cui ſacrum quaſſans caput,
Tremente Cœlo, voce ſic fatur Senex:
Penetravit aſtra typhus, & flecti impotens
Deo ſuperbus regnat irato Sapor.
I perge regno vertere, auguſtam domum
Agitare turbis, donec edoctus malis
Regnare Cœlo diſcat, & timeat Deum.
Hæc viſa refero, plura non juſſit Deus.
SAP. Duplica catenas miles, immani ſpecu
Conde inſolentem: liber ancipiti malo
Quid illa proſint ſomnia auctori, exprimam.
AMYN. Recide linguam, ſpiritus faſtum arguet,
Faſtum Saporis: lumina introrsùm erue,
Gladium videbunt pendulum irati Dei.
Sulcante nudum exentera ferro latus,
Terga lacerentur ſcorpio, flammâ & pice
Rigentur artus, omnia inviſum Deo
Dicent Saporem membra. SAP. Non ſolus meam
Satiabis iram, Regius totam dolor
Gentem revellet, mugiet veſtrâ efferùm
Gravidus catervâ Taurus, eculei gement,

Stridenſque celeri machina rotatu molet.
AMYN. Meliora, Princeps, non priùs furvâ polum
Nox rapiet umbrâ, quàm meam implores opem,
Totoque ſalvos orbe Chriſtiadas velis.

SCENA SEXTA.

Roxanes pro filio ſervum veſtibus ejus ornatum è Magorum incendio eduxiſſe ſe deprehendit, & de ſupplicio Magis irrogato cum Sapore expoſtulat.

ROXANES. SAPOR. ASTYAGES. BADRES.

QVàm penè claræ columen amiſi domûs!
Accede, patrem ſtringe, per certam mihi
Petita mortem præda. ASTYA. Roxanes adeſt;
Subſiſte, genitor, tacitus explora virum.
R OXA. Cor fluctuatur intùs, & nondum ſatis
Sibi credit animus, ita quod effugit, timet.
O dulce pondus! ora quid vertis retrò?
O aſtra! perii: Datis hic non eſt meus.
BADR. Ignoſce princeps. ROX. Filii exuvias mei
Indutus aſtes? BADR. Iuſſus hoc ſpolium indui.
ROX. Ita ludis audax? BA. Qui rogo objeci caput,
Et penè fido gutture favillas bibi.
ROXAN. I larva, morere, Datidi inferiæ meo.
AST. Roxane ſiſte. RO. Facinus, ô Princeps, ferū!
AST. Quæ cauſa luctûs? RO. Datis heu! Datis meus,
Spes ſola generis. Quid querar? quò nunc ferar?
En illa, Princeps, regia Saporis fides?
His ille donis merita compenſat mea?
SAP. Quâ parte quereris Satrapa infidum tibi?
ROX. Ah Rex, amica perdis indignè agmina!
Saltem decoro funere innocuam daret
Perire turbam! vultur arroſum jecur,
Oculoſque cornix, exta rapuiſſent canes:
Beata vivo membra ſarcophago inderent.
At impiari juſſus invitas retrò
Egit favillas ignis, & crepuit ſerùm
Coactus ardor, ſed pati potuit nefas.
SAP. Delira loqueris. ROX. Vortices ſinuans polo
Hinc flāma paret. SAP. Somnia. ROX. Vrbanis fine
Monſtrare peſtem mœnibus. SAP. Scande ut lubet.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Non imperatum à ſe Magorum vivicomburium ſibi narrari jubet Sapor.

SAPOR. BADRES.

Mendace quam tu fabulam inſtituis togâ?
BA. Narrabo, Princeps, quando me audentem facis.
Vbi juſſa ſtetimus turba ferali domo,
Ipſumque magicos limen expavit gradus:
Horreſco referens! per tenebroſos ſpecus
Latrare ſtygiæ concavum auditæ canes.
Tum viſa ſponte ſpectra, quæ nullâ magus
Educat irâ. Mé-ne, conclamat Doius,
Me monſtra petitis? voveo Perſephonæ caput:
Aconita linquit anguis, & Dominæ comam
Scandit Megæræ: Cerberus rictu minas
Reſpirat omni: clauſtra tartarei patent
Inamœna Regis: ibimus, Pluto, ibimus:
Fuimus, Sodales, rexit Arſacidas potens
Magia, ſummum fata parturiunt chaos.
Sic factus amens paſſibus trepidas citis
Pererrat ædes, it, redit, plorat, furit.
Per aperta Niſæ mitiùs toto enthea
Mænas Lyæo currit, & ſocias rapit
In arma thyrſo. Subitus auguſtâ ruit
Aulâ Artavaſdes, agmine & telis minax.
Periêre cuncta, clamat excelsâ intuens
Speculator arce, fugite, ſi ſupereſt ſalus.
Ac velut Averno ſi quis immiſit diem,
Vetitâque manes luce præſtringi dedit,
Palantur umbræ, ſi qua nec triſtem loca
Fregêre noctem, tenuis huc rapido advolat
Vulgus ſilentum turbine, in cæcum inferi
Coiêre punctum: talis attonitas quatit
Tumultus ædes: antra pars furtim ſubit,
Magico antra fremitu clauſa: pars Cœlo petit
Propiore latebras: ardet hic verbo efficax
Celare trepidum fiſſili ſaxo caput:
At ille tentat pariter & mundo & ſibi
Eripere Phœbum: fata ſi caſum ferunt,
Sequatur orbis, ſi ſecuturum trahit.
Hæc inter auget turba quæ faceret metus
Imbellis, exſpes, innubæ, matres, nurus.

Stridenſque celeri machina rotatu molet.
AMYN. Meliora, Princeps, non priùs furvâ polum
Nox rapiet umbrâ, quàm meam implores opem,
Totoque ſalvos orbe Chriſtiadas velis.

SCENA SEXTA.

Roxanes pro filio ſervum veſtibus ejus ornatum è Magorum incendio eduxiſſe ſe deprehendit, & de ſupplicio Magis irrogato cum Sapore expoſtulat.

ROXANES. SAPOR. ASTYAGES. BADRES.

QVàm penè claræ columen amiſi domûs!
Accede, patrem ſtringe, per certam mihi
Petita mortem præda. ASTYA. Roxanes adeſt;
Subſiſte, genitor, tacitus explora virum.
R OXA. Cor fluctuatur intùs, & nondum ſatis
Sibi credit animus, ita quod effugit, timet.
O dulce pondus! ora quid vertis retrò?
O aſtra! perii: Datis hic non eſt meus.
BADR. Ignoſce princeps. ROX. Filii exuvias mei
Indutus aſtes? BADR. Iuſſus hoc ſpolium indui.
ROX. Ita ludis audax? BA. Qui rogo objeci caput,
Et penè fido gutture favillas bibi.
ROXAN. I larva, morere, Datidi inferiæ meo.
AST. Roxane ſiſte. RO. Facinus, ô Princeps, ferum!
AST. Quæ cauſa luctûs? RO. Datis heu! Datis meus,
Spes ſola generis. Quid querar? quò nunc ferar?
En illa, Princeps, regia Saporis fides?
His ille donis merita compenſat mea?
SAP. Quâ parte quereris Satrapa infidum tibi?
ROX. Ah Rex, amica perdis indignè agmina!
Saltem decoro funere innocuam daret
Perire turbam! vultur arroſum jecur,
Oculoſque cornix, exta rapuiſſent canes:
Beata vivo membra ſarcophago inderent.
At impiari juſſus invitas retrò
Egit favillas ignis, & crepuit ferùm
Coactus ardor, ſed pati potuit nefas.
SAP. Delira loqueris. ROX. Vortices ſinuans polo
Hinc flãma paret. SAP. Somnia. ROX. Vrbanis ſine
Monſtrare peſtem mœnibus. SAP. Scande ut lubet.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Non imperatum à ſe Magorum vivicomburium ſibi narrari jubet Sapor.

SAPOR. BADRES.

MEndace quam tu fabulam inſtituis togâ?
BA. Narrabo, Princeps, quando me audentem [facis.
Vbi juſſa ſtetimus turba ferali domo,
Ipſumque magicos limen expavit gradus:
Horreſco referens! per tenebroſos ſpecus
Latrare ſtygiæ concavum auditæ canes.
Tum viſa ſponte ſpectra, quæ nullâ magus
Educat irâ. Mé-ne, conclamat Dotus,
Me monſtra petitis? voveo Perſephonæ caput:
Aconita linquit anguis, & Dominæ comam
Scandit Megæræ: Cerberus rictu minas
Reſpirat omni: clauſtra tartarei patent
Inamœna Regis: ibimus, Pluto, ibimus:
Fuimus, Sodales, rexit Arſacidas potens
Magia, ſummum fata parturiunt chaos.
Sic factus amens paſſibus trepidas citis
Pererrat ædes, it, redit, plorat, furit.
Per aperta Niſæ mitiùs toto enthea
Mænas Lyæo currit, & ſocias rapit
In arma thyrſo. Subitus auguſtâ ruit
Aulâ Artavaſdes, agmine & telis minax.
Periêre cuncta, clamat excelsâ intuens
Speculator arce, fugite, ſi ſupereſt ſalus.
Ac velut Averno ſi quis immiſit diem,
Vetitâque manes luce præſtringi dedit,
Palantur umbræ, ſi qua nec triſtem loca
Fregêre noctem, tenuis huc rapido advolat
Vulgus ſilentum turbine, in cœcum inferi
Coiêre punctum: talis attonitas quatit
Tumultus ædes: antra pars furtim ſubit,
Magico antra fremitu clauſa: pars Cœlo petit
Propiore latebras: ardet hic verbo efficax
Celare trepidum fiſſili ſaxo caput:
At ille tentat pariter & mundo & ſibi
Eripere Phœbum: fata ſi caſum ferunt,
Sequatur orbis, ſi ſecuturum trahit.
Hæc inter auget turba quæ faceret metus
Imbellis, exſpes, innubæ, matres, nurus.

Digitized by Google

Puerſuuſque pavitans agmen. At tædæ memor
Domina jugalis Datidem gremio adprimit,
Totoque inumbrat corpore, & ſi fas, daret
Vtero receſſus. Pignus ô fidei unicum
Genialis, inquit, gaudium ô matris breve,
Imago patris, per meum, fili, latus
Tuum peretur, plaga ſe plagæ induet,
Natique vulnus ſanguinem matris bibet.
Tecum-ne moriar? debui ah pro te mori?
Sed vive, fili. Varia ſollicitus timor
Conſilia verſat: inde me ſubito vocat
Clamore: propera Badre, ſi domini ſalus
Si tangit oriens vita: quid multis morer?
Mutate veſtes, Datidem inſtanti meum
Exſolve fato, præmium virtus erit,
Et ſi quod aſtris Numen afflictos videt.
  Mora nulla dominum ſervus erepto tegi,
Centone lætor, adjuvat fidam manum
Sperare mater auſa: jam Badrem exui,
Fictuſque veram Datis expecto necem.
Æterna ſed quis fata declinet Deûm?
Iam dira circùm ſulphura, & flammæ cibos
Bitumen omni miles indiderat foco:
Abſtulerat atra nebula poſtremum diem.
Ecce ora ſubitus ante Roxanes ſtetit,
Et jam propinquâ morte pallentem rapit:
Dicere parabam: falleris non ſum tuus:
At ille dextrâ, voce cunctantem abripit
Tela per, & ignes: trepidus abeuntem ſequor.
SAPOR. Ergo coacta periit infidè cohors?
BAD. Niſi cui Artavaſdis, militu, & flammæ furor
Pepercit, ô Rex. SAP. Fabulas certò canis:
Abripe ſatelles: quære quod ludas caput.
BAD. Quò rapior eheu! quod fides pretiûm tulit?

SCENA OCTAVA.

Roxanes furore inflammatus multis in Saporem convitiis ex urbis mœnibus jactatis, ſe in ejus oculis confodit.

ROXANES. SAPOR. ASTYAGES.

Eia Sapor eja, tolle veſanum caput:
En aſtra piceo turbine obduci vides?
Hàc hàc cruento regnat imperio Sapor.
Perjure, populi carnifex, ſecli probrum,

Digitized by Google

Fidei charybdis, patriæ buſtum tuæ.
SAP. Megæra vexat unde lymphatum caput?
ROX. Age ſcande, ſcelere quid parum frueris tuo?
Oculis favillas hauries; lentum eſt bonum.
Audire quæ cupieris. I miles, lege
Rivos cruoris, ponet hoc pretio ſitim.
ASTY. Roxane quis te ſubitus invaſit furor?
ROX. Stolide Gigantum frater, ampullæ tumor
In ventum ituræ, longa Roxanis fides
His aucta donis? hoc meus meruit labor?
In hoc periclis obvium objeci caput?
In hoc honeſtis latera vulneribus patent,
Obicemque morti pectus hoc poſuit tuæ?
SAP. Queri remitte; quod exprobras donum, perit.
Donare ſed tu ſubditus Regi potes?
ROXAN. Hîc ſiſte, cogam qui tibi his ſtipendiis
Magne Imperator, militent. Statis viri?
Properate, quærit quem rogo immittat Sapor.
Odium parentum, tetra natorum lues,
Vive execrandus Perfidi, ingratus tuis,
Tibi gravis, eſto (quid precer pejus) quod es.
SAP. Quò quò ſceleſte? miles inſequere ocyus.
ASTY. Aditum recuſant urbis oppoſitæ fores,
Tutus receſſit. SAPOR. Tutus irato trahat
Vitam Sapore? quolibet curſum feres
Celer aſſequar te: ſeu per arentes plagas
Mediteris indignata prenſari juga,
Illuc ſubibo: penna ſi Icario vehet
In aſtra niſu, jamque Latoum ſuper,
Super & minantem dira Gradivum, caput
Tuleris ſuperbum, vindices iras time;
Sequar, & in ipſum tela jaculabor Iovem.
ROXA. Fugiſſe reris? redeo: quid perdis minas?
Age redde natum, redde Roxani Sapor.
SAP. Moriere prædo. ROX. Moriar, at nullum mei
Tibi jus cruoris fuerit: oſtendam patrem
Cui vilis anima filii. Hunc enſem vides?
Hoc nuper altum barbaro exhauſi latus
In te vibranti vulnus: hoc pater, hoc avus
Rupêre Scythicum patre cum tuo gelu.
Quæ terret oculos umbra? te fili ſequor,
Agnoſco manes; aſpice, occurro tibi,
Simul & Sapori. SAP. Nolo præcipias ſcelus:
Meo occides furore. ROXA. Iam tempus vocat:
Age anime, parta eſt ultio: exciderat manus,
Niſi hic doleret, reliqua conficiet polus.
AST. Vetare perge, genitor. SAPOR. Ipſe ictum
adjuvera.

SCENA NONA.

Datidi puero ex incendio erepto vitam dat, ſed patris recèns occiſi cadaver objicit Sapor.

ARTAVASDES. SAPOR. ASTYAGES. DATIS.

SIs ſalvus ô Rex. SAP. Vnde te ſiſtis mihi?
ARTAV. Feci imperata: clauſit indago viros,
Flammiſque totam à culmine everti domum.
Vixêre quondam turba, nunc cineres Magi.
Vnus ruinam gentis evaſit puer
Roxane natus: ſi qua te pietas movet,
Huic parce, Princeps. DAT. Regii faſtûs apex,
Pietatis idem culmen imbelli Sapor
Ignoſce puero: ſic tibi Aſtyagem polus,
Ita ſervet Ochum. Nam quid in Regem innocens
Tentavit ætas? tenera quid potuit manus?
Pro me iſta prenſant: merita narrabunt viri.
Magis innocens ſum, quò minus poſſum nefas.
Sed robur ætas addet, & potero tuis
Servire ſceptris, ritè quæ coluit pater.
Me nil merentem redde jam merito patri.
SAP. Puer æqua poſcit, jubeo, Roxanem hûc dare.
DATIS. Superi reponant æqua pietati Sapor.
ASTY. Pueri ne matrem ſævus abſumpſit rogus?
ARTAV. Abſumpſit omnes, nullus elapſus fugâ.
AST. Heu ſtemma clarũ! SAP. Nullus elapſus fugâ?
At, perduellis, ire Roxanes tuos
Potuit per ignes, frangere armatas manus,
Natumque letho eripere, ſi matris dolus
Natum ſiviſſet eripi. ARTAV. Ignaro exprobras
Facta Artavaſde. SA. Fare, grande aliquid queror.
Quis illa juſſit buſta? AR. Rex. SA. Tibi quis ſpecũ,
Quis merita dempſit vincla? ART. Tu vitæ arbiter
Neciſque. SAP. Magicis manibus pœnas dabis,
Mentire. ART. Multus Satrapa cingebat latus,
Et ipſe regno natus Aſtyages tuo,
Validas jubentem voce viderunt minas.
SAP. Mentire, non hoc juſſus es. ART. Teſtor Deos
Hominesque. SAP. Ludis perfide, & noſtrum tuo
Nomen furori commodas. Quid agis Sapor?
Ludibria ſervo, fabulam regno paras.
Ita perduellis carcerem effringat reus?

Populo innocenti crudus, injuſſus ferat
Quos meruit ignes? Dati genitorem accipe.
DAT. Quæ monſtra, miles? quid video? pater hic meus?
Roxanus hic eſt genitor? ô cœlum! ô Dei!
Pater effer oculos; Datis en adſum tuus:
Adjunge labiis labia. Quid torpet manus?
Quid ora pallor occupat? malæ rigent?
Quis te cruentam caſus in mortem impulit?
An tuo alienum facinus in vultu lego?
Quò torva flectis lumina haud fruſtrà minax?
Agnoſcis? in te mortuus ſævit furor
Tyranne vecors: hoc meus meruit ſator?
Hoc clara avorum nomina? exorior parem
Eductus in ſpem? trux, abominabilis.
Da, redde patrem, redde Roxanem fera.
SAPOR. Etiam Sapore dignus irato puer
Optat videri? DATIS. Dira progenies leæ,
Pergis-ne in unâ facere quod placuit domo?
Ferrum, vel ignes ferte, me fecit tigris
Vix dum peritum vivere, peritum mori:
Vtroque telo doctus utetur dolor.
ASTYA. Cavete ne quid impotens peccet manus.
DAT. Mortem recuſas carnifex: & parceres
Niſi ut noceres? ſæva te pietas tenet:
Cui cauſa vitæ tollitur, vitam imperas?
Non ſervio ſic: Saxa præcipiti vides
Abrupta dorſo? facilis ad mortem hinc via eſt.
Fractâ æſtuantem nube torrentem vides?
Hunc fontis alti gurgitẽ? hunc puteum? has aquas?
Mors ſedet in imo. Cor meum, guttur meum,
Iugulumque cernis? quâlibet venâ patent
Effugia vitæ. Nempe me prohibes mori:
Genitrice aduſtâ perfide, occiſo patre,
Quod jus tibi in me? quos mihi intentas metus?
Vis moriar? opto: vivam? id arbitrii mei eſt.
SAP. Rapite hinc cadaver: filium tuto mihi
Servate clauſtro. DAT. Dum ſequor nulla eſt mora,
Præcede genitor. Datidem promptum vides
Tyranne, quod minaris aut poſſum, aut volo.
Si vivo; quà ſol igneos currus agit;
Si morior; orbe porrigit quà ſe infero
Cocytus ingens, umbra clamabo innocens:
Megæra in orco regnat, in terris Sapor,
Et illa manes vexat, hic manes facit.
AST. Sequere Artavaſde: furere ſi pergit, veta.
SAP. O contumacem ſpiritum! ô dignam mago
Parente ſobolem! ASTYA. Gratulor nullam puer
Quòd Regis iram extorſit impunè impudens:

Virtute, genitor, eſt tuâ factus nocens.
O temperaſſet chalybe Roxanes pater !
Fortuna fidum pectus invidit tibi.

SCENA DECIMA.

Ptolemæum gratias pro libertate agentem negat Sapor ſe liberaſſe, & jacenti ad pedes ſuperbè inſultat.

MEGABIZVS. SAPOR. PTOLEMÆVS.

TVa Rex, ſubactus ora Ptolemæus petit.
SAP. Ptolemæus ? unde ? MEG. Carceris diro ſpecu.
SA. Dudũ expetitus ? MEG. Squallor, illuvies, ſitus,
Neglecta triſte fecerat monſtrum coma.
SAP. Et hoc placebat : ſquallor, illuvies, ſitus
Sunt pulcra in hoſte : da meum videam decus
Megabize. MEGAB. Magni genua victoris ſubi
Ptolemæe. PTOL. Regna, vive Rex Regũ Sapor.
SAP. Tú-ne ille victæ gentis attritum caput ?
PTOLEM. Ego rebellis ille, fortunæ pila,
Spolium Gradivi, gloriæ veſtræ ſeges :
Tua ut vigeret dextera impoſitus throno,
Virtus vigeret ut tua excluſus throno.
SAPOR. Vbi ille quondam vocis effrenæ tumor ?
PTOL. Miſer eſſe neſcit poſſe, qui non eſt miſer.
Fortuna non ſi Regibus ſe ſe eripit,
Sui memoriam, verba, ſpem ſecum eripit.
Sed jam prioris verba dedidici ſtatus,
Potentiore doctus imperii jugo :
Meque eſſe vidi poſſe quod vellet Sapor.
Tollis ? ſuperbum verticem Cœlo inſeram:
Deprimis ? iniquam patiar è terris ſtyga.
Et quis tyrannûm ſceptra non timeat tua ?
Das regna quæ non tollis ; effusè beas
Quos eſſe miſeros non jubes. Potui bonum
Optare Martem, facere quem ſolus potes.
Vinci beatum victor humanus facit.
SAPOR. Fictó-ne ludit vox adulatrix ſono,
An vera fari geſtit ? alienâ abnego
Creviſſe laude : quicquid eſt peperi mihi
Ceſſante Cœlo : decora quid vitias mea
Et miſer, & hoſtis ? PTOL. Decoris & partẽ facit
Ptolemæus hoſtis, eſſe quem miſerum vetas.
SAPOR. Etiam priori vota fortunæ facis

Captive

Captive prædo ? noſtra famulanti manu
Imperia perages ; hoc tibi regnum eſt ſuper.
Exin malorum, carceris, vitæ ſatur
Decorticatum luridus truncum trahes
Vivax cadaver, mortis exuvium, & metus.
PTOL. Tam dira merito gloriæ quãtùm eſt, Sapor,
Donare regna ? SAPOR. Regna ? funeſtum caput.
PTOLEM. Si glorioſo certa promiſſo fides.
SAPOR. Submitte (jubeo) colla, victori pede
Terenda colla. PTOL. Perfide, exitiabilis ;
Tám-ne ergo regno penitùs exciderim meo ?
Sit aliquid ultra vincula ? & quod es juvat
Fuiſſe quondam : colla proculca impotens
Lacera, trucida, victus eſt quiſquis ſcelus
Feciſſe gaudet : tuque quod cogis, time.
SAP. Reſtitue vincla miles. MEG. Effari ultimùm
Permitte, Princeps. SAP. Nempe quid portas novi ?
MEGAB. Legatus aulâ nuper auditus tuâ
Patrem impetravit regiâ natus fide.
Vitam dediſti Satrapûm cinctus choro.
Tua dicta regni poſcit & fama, & ſtatus.
Promiſſa primùm ſponte, debetur ſalus.
SAP. Mercede quâ te vinctus adjunxit ſibi ?
MEG. Quâ non recuſes, Regis imperio & fide.
SAP. Es factioſus Satrapa. Quâ nuper fide
Mihi me negabas, urbe prohibebas meâ ?
MEG. Quâ te Saporem, perfide, & Regem nego.
Ptolemæe in urbem ſequere, quærendus Sapor :
Nos fallit umbra. Ludere an ludi cupis
Aſtyage toties ? regium ſic tu genus,
Sic patris amorem publicas ? SAP. Regni lues,
Odium Saporis ! quis mihi crudum Deus
Laniare pectus, vellere inſanum caput,
Quis parricidæ ſpargere cerebrum dabit ?

SCENA UNDECIMA.

Archimagum pro vitâ ſupplicantem benignè ſuſcipit Sapor.

PRÆXASPES. SAPOR. ASTYAGES. MITHROBARZANES.

MActanda, Princeps, victima Inferno Iovi,
Vt imperaſti ſiſtitur. MITH. Regum decus,
Tutela mundi, numinum Numen Sapor,
Quid amica Regi, fida quid regno cohors
Magi meremur ? ocyor Cauro volat

Glomerante nubes factus ad nutus tuos
Noſtri ſatelles agminis, Cœli plagas
Scrutamur, ô Rex, Ditis horrendum chaos
Tibi penetramus, frangimus rerum vices.
Quoties reflexus in ſuum Euphrates caput
Luctante fluctu rediit? occurrit ſibi
Retrogradus Iſter? horruit Phœbe ſolum
Admiſſa terris: clauſtra tartareæ ſtygis
Rupêre manes: ſerviunt toto impetu
Elementa noſtris legibus, Regum Magi.
Eôa per nos maria pretioſâ gravant
Conchile baccâ; ſternitur odoro ſeges
Panchæa campo; regias quicquid Thetis
Gremió-ve tellus ubere in gazas vomit
Magia peperit. Quid loquar fuſa omnibus
Inimica bellis agmina, accitos tuo
Igneſque, & imbres claſſico? inſidiis caput
Regale tutum? redditum natis patrem,
Patrique natos? Turba parendi artifex
Prodeſſe docta, fraudis ignara ac doli,
Iræ bidental triſte ſternemur tuæ?
SAP. Non ſic amicum pectus; æthereas cape
Securus auras: ſolvite immeritas manus:
Injuſſa noſtro vincula imperio excidant.
PRAX. Figis, refigis juſſa, famulanti Sapor
Obſequimur aure, vivimus, morimur tuo
Vertenda nutu membra. ASTYA. Legatos adi
Præxaſpe Pharios, vincla Megabizo duce
Rupiſſe ſpreto patre Ptolemæum mone:
Placare Numen Regis offenſum parent.

SCENA DVODECIMA.

Tot caſuum varietate attonitus Aſtyages, tandem à Sapore fidenter petit ſitne verè Sapor & Rex?

ASTYAGES, SAPOR. MITHROBARZANES.

SEcura teſtis, genitor, emiſſus dabit
Conſilia promi: miles externa atrii
Hinc ſervet atque hinc ſpatia ſemotus jube.
SAP. Secede miles. Arbitro ſedes vacat,
Aſtyage quid moliris? ASTY. Hoc primum, pater,
Sine te rogari: ſi quid indignum loquor,
Peccare liceat, patrius ponat furor,

Digitized by Google

Dum ponit æſtus filius mente abditos.
SAP. Eloquere tutus, languet objecto furor
Nato paternus: impetus fractos habet
Amantis ira. ASTYA. Genibus affundor tuis.
SAP. Exurge nate. AST. Per tuum, genitor, caput!
SAP. Facis moleſtè. AST. Per pium fratris jubar!
SA. Aliena mitte. AST. Grāde per ſi quid polo eſt!
SAP. Fili, enecas me. AST. Ne mihi verbū invide
Facile, breve, unū. SAP. Fare, quæ ſciero eloquar.
Sic mithra fratrem me velit. AST. Túne es Sapor?
SAP. Quæ monſtra! Superi! ubi ſum? quid audio? quid loquor?
AST. Tú-ne ille genitor es meus? tu Rex Sapor?
SAP. O Cœlum! ô aſtra! quid moror? vixi ſatis
Pulcro ſuperſtes nomini, & nato, & mihi.
Ignotus, anceps, dubius Aſtyagi Sapor?
Dehiſce tellus, meque cum regno abripe.
Immane fatum! quis meos ſævo Deus
Aſpexit ortus lumine? ô vindex tuos
Roxane manes ſentio, veſtros Magi.
In hunc dolorem vivo? Me Procerum favor
Deſeruit omnis: ille lymphato gradu
Invaſit urbem; fodit hic ferro latus:
Meâ jubetis facinus expleri domo.
Labat in parente natus, atque oculo timet
Mendace ludi: quique ſic dubitat, negat.
Negat mei pars ſanguinis, imago mei?
AST. Iræ profeſſum quiſquis es ſerva modum.
SAP. Quis tibi Saporem, nate, ſuſpectum dolus
Iubet eſſe? videor ecquid in ſcenam ingredi,
Et fabulæ actor regios ficto ſonos
Tonare vultu? ponere auguſtos gradus?
Edicta fari ſpiritu theatrico?
Quid non Saporis corpore hoc, fili, vides?
Non ora noſti? non lacertorum toros?
Mentita vox eſt? induit fucum coma?
Fallax cicatrix fronte ab obliquâ meat?
Quid credis oculis? melior exploret manus
Huc, nate, dextram, te tuus poſcit Sapor.
ASTYA. Non hos tumultus ipſe juſſiſti? Magos
Solvi in favillas, vincla Ptolemæo exui,
Vincla Artavaſdi? SAP. Perdat, & letho obruat
Saporis ira quiſquis hoc auſus nefas.
Aurora Cœlo candidum extulerat diem,
Cùm vaſta nemoris ſpatia luſtrantes ſimul,
Terrere viſa eſt rupe ſub triſti Lea:
Eduxit inde cura Roxani inſcium
In vacua turmis caſtra. AST. Plebs vectum canit

Rutilante

Rutilante curru, regios dignâ lares
Intraſſe pompâ : ſede ſublimem aureâ
Vidi ipſe phariis jura legatis dare.
SAP. Ea facta, nate, neſcio. ASTY. Fecit Sapor.
SAPOR. Oculos feſellit arte mentitus Sapor.
ASTY. Archimage. MITH. Princeps. ASTY. Si quid artifici potes
Movere cantu, (magna res agitur tibi.)
Si quid fuiſti, ſi quid es, totum explica
Volumen artis : colchico peſtes ſinu,
Vires nocendi culmine æmenio advoca :
Omnes ahenâ falce ſollicita plagas :
Lunæque totas horridus ſpumas lege.
MITH. Non ſum monendus, pande quid fieri velis:
Illa è propinquo gnarus Hoſtanes feret.
ASTY. Phlegetonte manes evoca, incertis cape
Reſponſa rebus. Hinc & hinc paret Sapor,
Hic urbe dudum excluſus, ille aulam tenet.
Patrem ille, patrem hic ore ſe monſtrat pari.
Nec Sapor uterque eſt, nec capit regnum duos.
Quæ teneat urbem larva, quod ſpectrum roga.
SAP. Hecates alumne, myſta tenebroſæ domûs.
Tua ſi ſecundo ſacra ſuffitu micant,
Pectuſque cura regium ingenti levas,
Per amica Mithræ ſidera, & Regni lares,
Pendebit ante Cidaris, Oroſangam voco.
MITH. Pretium dat arti Regis imperium & favor:
Tua parce dignis dona ; mihi das cùm jubes.
Aggredior, unum patere ſed de te impetrem :
SAP. Fidenter aude. MITH. Sacra præſenti nefas
Arcana Regi pandere : ad tacitos meant
Vmbræ receſſus : ipſe quàm ſæpe horrui
Quod imperavi murmure inſano malum !
Et mihi minantur impii peſtes lacûs.
Edico, Princeps, timeo de Acheronte omnia.
SAP. Volens recedo. Nunquid & natum jubes?
MITHROB. Illum latere ſede nil tutâ vetat.
SAP. In caſtra redeo. Nate per ſanctum patris,
Et dulce nomen, per meum obteſtor caput,
Tuumque, pietas ſi qua viſceribus calet,
Ne factione Satrapûm, & victus dolo,
Fili parentem deſere : accrevi ſatis
Si te recepi. Cor meum, vitæ quies,
Aſtyage patris anima, quam, ſi me fugis,
Mortem recuſem ? ASTY. Ne precor, ne me, pater,
Time infidelem : video, tu Rex, tu Sapor ;
Agnoſco, nullus fucat obtutum dolus.
Præcede, ſacris caſtra tranſactis petam,

Præſtabo

Præſtabo rebus debitam afflictis opem.
SAP. Dii te ſecundent, Nate, præſidium meum.
Tibi me perennem dicet hic patrem annulus;
Include digito, recta turritum caput
Dum tollat altè Cidaris, & Regni comes
Arſacia melior ſceptra modereris patre.
ASTY. Tu vive, regna, genitor, haud nati indigus.

SCENA DECIMATERTIA.

Hujus negotii tam perplexi exitum per Mithrobarzanem magicis ſacris conatur diſcere Aſtyages.

MITHROBARZANES. ASTYAGES. HOSTANES. ORACVLVM.

SEcreta, Princeps, poſcit impatiens loca
Populus ſilentum: ſi quid es tutus, late.
ASTY. Elige latebras, nec datâ excedam tuus
Statione miles. MITH. Commodè aſtabis procul,
Hic ubi tenebras angulus tenues facit.
ASTYA. Quid deinde? MITHR. Trepidus, tacitus aſpecta ſacrum.
Mutire parce, ſive felices volant
In altra flammæ, ſive caligo ruit
Inauſpicata. ASTYA. Labra Sigalion premet
Ne metue, linguam paſcere addidici puer.
HOSTAN. Vt imperaſti do malis fœtam penum.
MITHR. Vbi unda? HOSTAN. Vixdum tenuis afflavit focus.
Si ſpargis aras in vices ibit cruor.
MITH. Hîc extrue aram. Regis hîc ſtatuam loca.
Converte in atras Solis occidui plagas.
Diſcinge veſtem, vinculis pedem exue.
Capiti tiaram deme. Suppedita facem.
HOSTAN. Imperia feci promptus. MITHR. Hîc tacitns mane.

Oppíto Telumo te: a	a Multũ te ſaluto Pluto:
* Ob vos ſacro Teniræ: b	b Obſecro vos Parcæ:
Calo vos freæ ſilentum: c	c Voco vos poteſtates mortuorum:
Po mane te quiríto. d	d Popule umbrarũ te appello.
† Tami bimatris iſtoc, e	e Sanguine Bacchi,
Cetiúmque curione f	f Et ovium cruore

Vos

* *Iuxtà aram pede nudo terram percutit.*

† *Aſpergit aram & ſtatuam.*

Vos habeo jurulentos. g
Bromoſa februare ; h
Cracata tarenare ; i
Lari redandruate ; k
Donaticam, ſtigina l
Solerate ſente voſtrâ. m
Cernulus, ambaxioquus topper. n
Fœcundi ſpices ter calo, ter eo. o
* Vrbo circite me, polluɛto tibi Vrage inepte. p

g Vos madeſacio.
h Immunda purgate ;
i Acerba mollite ?
k Redite ad Regem ;
l Coronã, regalia inſignia
m Confirmate ſententiã veſtrâ.
n Pronus, circumactus celeriter
o O felices Deę ter voco.
p Circundo me circulo, voveo tibi ô Pluto meipſum.

Aras amictu vitta purpureo tegat
Da thura prunis maſcula : ingrato effluat
Verbena fumo. † VT IGNIS HAS STIRPES CREMAT
SIC REGIS HOSTES VRO. SIC REGIS DECVS
SPLENDEAT IN ORBE FLAMMA VT INVASIT FACEM.
‡ Munditenens, Proarche, Annenoëtos, Arrhetos, Sige,
Patricoſque, Metricoſque, Piſtis, Henoſis, Hedone,
Hebdomas, Lar, Macariotes, Teleta, ſi Regem jubes
Soſpitari, fauſtitari, dextrovorsùm vortitor.
Ogdoas primogenitalis, Metagogee, Horos Ectroma
Demiurge, Aſynetos, Enthymeſis, Horothetes, Nymphon,
Iaioth, Lyrrote, Ageratos, Aine ſi nefas Regem
Soſpitari, fauſtitari vortitor ſiniſtrorsùm.
Implicita, Princeps, ſacra ; Dii fallant metum.
Ad vota ſurdam patior hoc primum ſtyga.
ASTYA. Tonare perge, vanus haud ludet labor:
Bene conſtat omni fauſtitas Regum prece :
Vile eſt, quod ultrò facilis objecit Deus.
MITHR. Ciebo manes ultimo validè impetu.
Iterùm lyæi murus admiſce puer.
HOS. Quid hoc ? nigreſcit: calice ſuſcipitur cruor,
Quod urna vinum fundit. MITH. Ah perii miſer !
Inſide Princeps, quas mihi inſidias ſtruis ?
ASTY. Meliora amicum pectus : hoſtiles jube

Exceſſe

* *Circulum ſibi deſcribit.* † *Accendit facem ſacro illo igne.* ‡ *Eanden faculam ter concutit, & invocationem inchoat.*

Digitized by Google

Exeſſe larvas. MITH. Rite moriendum auguror,
Nec docuit ars me vana : quod crimen luo ?
AST. Te monſtra turbent ſtygia, necquicquã times.
MIT. Arma fer, arma puer; totũ chaos arietare per-
Evincam rupiſſe ſilentia Vejovis ſeveri. [go:
Divinos latices poto Theangelis.
Quâque hirabotane vultus inungitur
Clàm Latonigenis falce ſub æneâ
Oſtentante jubar Sotthide concidit.
Titani Triviæ Tartarei Canis
Spumam populeâ ſpargimus arbore.
Hanc Saturnius aram cruor irrigat
Tu divinipotis divitiæ Magi,
Tu torquere Deos, vota dare efficax,
Regem Rege ſatus temnere parcito.
* Bytios, Proprincipatus, Pneumatica ponerias,
Metropator, Poſtpoſtumatus, Lucetie, Homoſyncraſis,
Myxis, Achamoth, Abraxa, Ialdabaioth, Iao.
ORAC. Non coges Phlegetonta loqui, deſiſte movere.
MITHR. Impiata monſtra Averni, ſæva Gorgonidum lues,
Horridi Pyriphlegetontis incolæ, indigenæ, accolæ,
Andruatis, adbitatis, procem cettis oxyme ?
Vos ego aſtroſæ phalanges luridum immittã diem:
Tartari religata ripis ricta frendebo ſpaci :
Tantalo faciã quietem; meditor immenſum chaos,
Terra, Cœlum miſta current, ſtare cogã flumina.
Stella, briza diſpalate, aut protinã impibo Vragũ.
ORAC. Scandere dum geſtit tellus, deſcendit Olympus.
Eſt duo, ſunt unum magno diſcrimine Reges :
Vivet uterque ſuis : Sapor hic, Sapor ille ; fuerunt
Quod modò ſunt : uni debentur Perſica ſceptra.
MITH. Actum eſt, move aras, effer effigiem puer :
Fluente rivo trans caput cineres jace :
Cave orã flectas retrò dum manes legunt.
Abiêre manes : tutus hùc flectas gradum
Aſtyage. ASTYA. Quidnam rebus in tantis ſpeĩ
Tua ſacra faciũt? MIT. Implicant, Princeps, magis:
Leve hoc, niſi ipſos implicent etiam Magos.
ASTY. Reſponſa Divûm loquere. Quid vultu ſiles
Pallente retroverſus ? aſſuetam ſenex
Puero artem iniſti. MITH. Non novus veni artifex:
Sed ominoſa vidi inexpertus ſacra :
Aſtyage, vixit Mithrobarzanes tuus.

ASTYA.

* *Ter facem concutit, & arã virgâ percutit.*

Digitized by Google

ASTYA. Meliora vitæ arbitria donabit polus ;
Tu vana temne ſpectra. Regales age
Imminue curas : quid ſtyge oratâ refers ?
MITH. Obſcura, Princeps, pauca. Sunt unũ, eſt duo;
Quod ſunt, fuerunt : hic & hic idem eſt Sapor.
Aut duo Saporem detinent unum loca,
Binos Sapores unus aut patitur locus :
Vtrunque tandem fata miſceri jubent,
Vt inde regna tertius flectat Sapor.
Has mota vobis Tartara ambages canunt.

SCENA DECIMAQVARTA.

Reducitur in urbem Aſtyages, etiam ipſius Magi conſilio.

SVRENA. ASTYAGES.
MITHROBARZANES.

QVæ cauſa, Princeps, urbe te excivit repens ?
Tumultus ingens ſurgit, & totam quatit
Megabizus aulam : viſa mentiti refert
Portenta Regis, cui latus cingas comes.
ASTYA. Surena ſic eſt, huc & huc dubiam trahunt
Nova monſtra mentem : viſus eſt duplex Sapor,
Vterque parili corpore, & memet vocat
Vterque natum, ſigna non tollunt fidem.
SVR. Portenta, Princeps, loqueris, & nullo fidem
Habitura ſeclo. Quicquid eſt, acrem petit
Aſtyage curam : ne prius vires paret,
Abeundum : in urbe tutiùs magnos licet
Satrapas in arcem cogere, & dubiis dare
Reſponſa rebus. AST. Linquere & ſuades patrem?
SV. Admiſſus urbe regnat. AST. Et caſtra occupat.
MITH. Ne metue, Princeps, Sequere quò Satrapes
Secura cernes omnia, & faciles dolos (præit.
Septena meliùs capita diſcutient Magûm.
AST. Licet abeamus. MITH. Ergo ſupremùm vale
Dilecte Princeps, ultimum eſt quod te alloquor.
AST. Parce ominari. SVR. Vivis addictum caput ?
MITH. Brevém-ne lucis Satrapa invideas moram ?
SVR. Quid ſi Sapores reſciat? MITH. Nõ me Sapor,
Sed fata perdunt. ASTY. Neſcio quò me vocat
Præſagus animus, nec ſatis certus ſui,
Luctatur : ô Pater ! SVR. Eja quid greſſum refers?
ASTYA. O caſtra ! SVR. Perge. ASTYA. Deſero
fors & Patrem.
SVR. Vbi ſceptra Reges inter incertos labant,
Bona eſt tenentis cauſa, ſi validè tenet.

SCE-

SCENA DECIMAQVINTA.

MITHROBARZANES

Infelicem artis ſuæ finem lamentatur.

Ergo moriendum eſt: artis infelix mea
Pericla patior. Fulva ſic ales Iovis
Volucre telum fecit, & proprio cadit
Perculſa dono. Culmine hoc dudum meo
Ferale bubo carmen inſedit gemens.
Hoc hoc minantur agmen horrendum ſtryges,
Omnique cornix ilice. Vrbanos fugâ
Liqui penates trepidus, & fati minas
Fugiſſe demens credidi. Occurri mihi,
Meque ipſe mecum porto: quà penetrat reus,
Subit ultor; unà ſcandit & pœna, & ſcelus.
Damnata ſerò carmina! infauſtâ alite
Suſcepta puero ſacra! quàm tetro graves
Labore canos clauditis? quid me juvant
Erepta Cœlo ſidera? ignaro Iove
Tonuiſſe dirum? non ab ætnæis rogis
Criſpaſſe fulmen? Tartari fundo excita
Nova monſtra tellus Mithrobarzani dedit
Luctata fruſtrà: tygris ad vocem cicur,
Captiva ab aſtris ales imperium tulit.
Abiêre regna, famulus hâc dæmon tenus
Ad ſua recurrit juſſa; quàm ferox herus!
Confide Diti, quando theſſalicas rapit
Levis hora vires, carcer æternus ſubit,
Maneſque jam non fabula, igneſque, & rotæ.
Vrbana tandem limina heu! hoſpes brevis
Reviſo, mihi ſuperſtes, & pondus ſoli
Diſpono mortem. Qualis armenti decus
Opima Taurus colla mactandus popæ
Feſto per urbes credulus cornu viret,
Pueriſque ludos apparat, pompam ſacris.

CHORVS

Perſonatam eſſe, & in exitium ruituram improborum felicitatem demonſtrat.

Si modum ſcelera hunc habent,
Nullum ut accipiant modum,

Donec horridus incubet
Supplicî dolor ultimi :
Quid juvat fugientibus
Comparare bonis mala,
Atque inutile ſub rogis
Pœnitere perennibus ?
Quando pectoris exulat
Sedibus pietas, fides,
Floris ingenui pudor :
Occupat ſubitò locum
Indecora protervia,
Et licentia mobilis,
Et ſuprema erebi lues
Mentis indomitus rigor.
Tum recente beatitas
Gaudio ſubit intima,
Fronte dulcis amabili.
Sed tyrannide lugubri
Corda ſubdita perdomat
Hoſtis, & penetralia
Dente vipereo ſecat.
Quaque plus aliis placet,
Parcit hàc Domino minùs.
O genus miſerum improbi !
Pervicacia creduli
Vota quò malè mittitis ?
Si placet quod adeſt frui,
Falſa vos bona lancinant :
Si futura animus cupit,
Vera vos cruciant mala.

A C.

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

COACTO igitur ſuper eâ re in urbe Concilio, alternantibuſq; ſententiis, tandem decernitur, cùm duos formâ & habitu ſimillimos Reges eſſe conſtaret, eum qui triumphans in urbem admiſſus eſſet, dolo aliquo improviſo tentandum. Itaque per ſpeciem negotii publici in Senatum venire rogatus Princeps Perſarum Angelus, bellè fucum facit. Nam pluribus argumentis, tanquàm ignarus ſe probari, poſtquàm egregiè ſatisfecit, ſine cunctatione ullâ Rex & Sapor, verus, germanus à Patribus ſalutatur: alius autem Magus, hoſtis, & perduellionis reus judicatur. Sine morâ in Senatum catenis onuſtus rapitur Sapor; ubi Surena capitis ſententiam in eum pronunciat, & ſupplicii exigendi curam Artavaſdi demandat. Hîc Sapor cùm omnes ſibi ad vitam præcluſos aditus ſentit, circunſpicere ſe tandemque humani à ſe nihil alienum putare. Adeſt opportunè Amyntas qui eum ſalubri palinodiâ ad anterioris ſuperbiæ deteſtationem adduxit. Vix ſe ſub potenti Dei manu humiliavit, cùm ecce Princeps Perſarum, jam ſuâ, jam

Angeli formâ & habitu videndum ſe præbet, & increpitâ homuli arrogantiâ, revocatis Satrapis bonum dolum reique totius ſeriem aperit : verùm illum Saporem eſſe, ſic à Deo Admonitum ut ſeipſum noſſe inciperet. Eo diſcedente regia ornamenta Sapori reſtituunt Proceres; illis Sapor veniam eorum quæ mente bonâ peccaverant : Amyntam honoribus cumulat : denique uni Chriſtianorum Deo tiaram ſubmittit, regnum devovet, fidem profitetur.

Epiſodicum eſt hoc drama, quod in argumento implexo neceſſarium fuit: ſed id vitii compenſabit, ut opinor, non injucunda peripetiarum varietas. Veritatis autem hiſtoricæ fides penes auctorem eſto D. Antonin. 2. p. ſummæ Theolog. tit. 3. c. 2. Cujus tamen narrationem ſecuti ſumus ut tragicum foret argumentum : quia poëticæ fictioni locum aliquem in eâ parabolâ futurum ſperavimus.

SCENA PRIMA.

De veri Saporis agnitione ſeptem Satrapæ deliberant.

SVRENA. ASTYAGES. ARTAVASDES. GOBRYAS. MASISTIVS. MEGABIZVS. PHARNABAZVS. PRÆXASPES.

LVdum inſolentem ludere haud vana artifex
Natura, quondam ſolis æſtiferos polo
Geminavit ignes, nubis adverſæ Deum
Radioſque lævor quà repercuſſus dedit.

Trepidare

Trepidare Superûm populus, & multos rudis
Pati tyrannos, bella moliri impia.
Dividit olympum factio, incertos agit
Nova forma Divos : hunc recens prenſat decor
Fallacis aſtri ; Regis hic Mithræ vetus
Inſigne præfert. Sæva non aliàs magis
Extulit Orion arma : non truculentiùs
Vrſæ Bootes torpidum excuſſit gelu.
Sopitus ignes hauſit inſolitos Leo,
Et ferus inermi major Alcide ſtetit.
Latravit audax Syrius : tortos diu
Explicuit orbes Anguis, & linguâ emicans
Mortifera pandit guttura. Has causâ pari
Regno minantur monſtra bellorum faces.
Non unus unum, Principes, ambit thronum :
Et facilis error hinc & hinc populos trahit.
Vterque pariter nomine & vultu Sapor,
Ambigua raptat ſceptra. Dum recens malum eſt
Conſulite, Proceres ; robur adjiciet mora.
Obruite in ipſo limine, inviſum exeat
Quà vidit auras. Crevit è molli luto
Lernæus anguis, quemque naſcentem puer
Calcaſſet, ingens factus Alcidæ eſt labor.
Dilecta Conſo capita, quid fieri placet ?
GOBR. Sævire temerè parcit affectos rigor
Medicus in artus : lene fomentum ſubit,
Penetratque venas, blando & admiſſum dolo,
Hoſtem medullis penitùs exturbat luem.
Ignota Regni peſtis invaſit caput ;
Serpente jamque membra contage inquinat :
Ergó-ne durus ibit in plagas chalybs,
Ægroque truncum corpus è populo dabit ?
Peragantur iſta mitiùs : dextro Iove
Propriis adactæ viribus fraudes ruant.
Vterque vivat, artibus donec ſuis
In ſe reductus pereat effictus Sapor.
MASIST. Periculoſas trahere perſuades moras.
GOBR. Plus eſt pericli trahere præcipiti impetu.
MASIST. Mala ſæpe publica impetus felix tulit.
GOBR. Felix ruina eſt quæ trahit per quos perit.
MASI. Pereundo prohibes trahere, ſi augeri vetas.
GO. Flabella flammã dum premunt, magis excitãt.
MASI. Favilla non poteſt premi, extingui poteſt.
SVREN. Maſiſtie, ecquid rebus incertis placet ?
MASI. Mox varia binos vota reſpicient duces
Ni providemus : factio extollet ſuum
Vtraque Saporem : bellaque, & famem, & neces
Video apparari, patrius noſtras cruor

Angeli formâ & habitu videndum ſe præbet, & increpitâ homuli arrogantiâ, revocatis Satrapis bonum dolum reique totius ſeriem aperit: verùm illum Saporem eſſe, ſic à Deo Admonitum ut ſeipſum noſſe inciperet. Eo diſcedente regia ornamenta Sapori reſtituunt Proceres; illis Sapor veniam eorum quæ mente bonâ peccaverant: Amyntam honoribus cumulat: denique uni Chriſtianorum Deo tiaram ſubmittit, regnum devovet, fidem profitetur.

Epiſodicum eſt hoc drama, quod in argumento implexo neceſſarium fuit: ſed id vitii compenſabit, ut opinor, non injucunda peripetiarum varietas. Veritatis autem hiſtoricæ fides penes auctorem eſto D. Antonin. 2. p. ſummæ Theolog. tit. 3. c. 2. Cujus tamen narrationem ſecuti ſumus ut tragicum foret argumentum: quia poëticæ fictioni locum aliquem in eâ parabolâ futurum ſperavimus.

SCENA PRIMA.

De veri Saporis agnitione ſeptem Satrapæ deliberant.

SVRENA. ASTYAGES. ARTAVASDES. GOBRYAS. MASISTIVS. MEGABIZVS. PHARNABAZVS. PRÆXASPES.

LVdum inſolentem ludere haud vana artifex
Natura, quondam ſolis æſtiferos polo
Geminavit ignes, nubis adverſæ Deum
Radioſque lævor quà repercuſſus dedit.

Trepidare

Trepidare Superûm populus, & multos rudis
Pati tyrannos, bella moliri impia.
Dividit olympum factio, incertos agit
Nova forma Divos: hunc recens prenſat decor
Fallacis aſtri; Regis hic Mithræ vetus
Inſigne præfert. Sæva non aliàs magis
Extulit Oriôn arma: non truculentiùs
Vrſæ Bootes torpidum excuſſit gelu.
Sopitus ignes hauſit inſolitos Leo,
Et ferus inermi major Alcide ſtetit.
Latravit audax Syrius: tortos diu
Explicuit orbes Anguis, & linguâ emicans
Mortifera pandit guttura. Has causâ pari
Regno minantur monſtra bellorum faces.
Non unus unum, Principes, ambit thronum:
Et facilis error hinc & hinc populos trahit.
Vterque pariter nomine & vultu Sapor,
Ambigua raptat ſceptra. Dum recens malum eſt
Conſulite, Proceres; robur adjiciet mora.
Obruite in ipſo limine, inviſum exeat
Quâ vidit auras. Crevit è molli luto
Lernæus anguis, quemque naſcentem puer
Calcaſſet, ingens factus Alcidæ eſt labor.
Dilecta Conſo capita, quid fieri placet?
GOBR. Sævire temerè parcit affectos rigor
Medicus in artus: lene fomentum ſubit,
Penetratque venas, blando & admiſſum dolo,
Hoſtem medullis penitùs exturbat luem.
Ignota Regni peſtis invaſit caput;
Serpente jamque membra contage inquinat:
Ergó-ne durus ibit in plagas chalybs,
Ægroque truncum corpus è populo dabit?
Peragantur iſta mitiùs: dextro Iove
Propriis adactæ viribus fraudes ruant.
Vterque vivat, artibus donec ſuis
In ſe reductus pereat effictus Sapor.
MASIST. Periculoſas trahere perſuades moras.
GOBR. Plus eſt pericli trahere præcipiti impetu.
MASIST. Mala ſæpe publica impetus felix tulit.
GOBR. Felix ruina eſt quæ trahit per quos perit.
MASI. Pereundo prohibes trahere, ſi augeri vetas.
GO. Flabella flammã dum premunt, magis excitãt.
MASI. Favilla non poteſt premi, extingui poteſt.
SVREN. Maſiſtie, ecquid rebus incertis placet?
MASI. Mox varia binos vota reſpicient duces
Ni providemus: factio extollet ſuum
Vtraque Saporem: bellaque, & famem, & neces
Video apparari, patrius noſtras cruor

Rigabit urbes, Perſis incumbet ſibi,
Propriumque mundi ſabula exitium trahet.
Romana fati ſpectat è ſpeculis cohors
Momenta rerum, certa diviſis lues.
Ergo amputari ſemina dolorum placet,
Bellique cauſas: neuter imperium Sapor
Vitám-ve ſervet: proximum ſcandat thronum
Ingens ſereni munus Aſtyages poli.
ASTY. Ego ut immerenti ſceptra deripiam patri
Violentus hæres? quære cui facinus probes:
Me parricidam mille non faciant throni.
GOBR. Quo jure pereat uterque, cùm alter ſit probus?
MAS. Quo jure vivat uterque, cùm alter ſit malus?
GOBR. Quis innocentem cum reo perdit furor?
MASI. Vbi cauſa poſcit publica, æquandus reo eſt.
GOBR. Bonis-ne Princeps publico vivit malo?
MAS. Ars, ubi redundat ſanguis, & ſanũ exprimit.
GOBR. Vbi plus mali ſit, ſanguinẽ bonũ exprimet?
MASIST. Sin poſſit aliter, tabidus ſanum trahet.
ASTY. Poſſe aliter opus eſt: non placet curatio
Quocunque morbo tetrior. ARTA. Non hoc petit
Nova cauſa, Proceres, neuter ut regni decus
Vel uterque teneat: alter amborum eſt Sapor:
Vterque regnet? ſceptra cur ficto dabis?
Vterque pereat? ſceptra cur vero auferes?
Servandus eſt Rex Perſidi, Aſtyagi pater.
Sed uterque Regem, uterque ſe dicit patrem,
Iam diligenti certa librentur notâ
Indicia Regis: alteri æqualem alterum
Non forma, non vox faciat, aut animus ferox.
Si paria ſe dant ſingula, haud tamen omnia.
Nunquam ulla, parte falſitas omni latet.
GOBR. Ante implicatos, Satrapa, intricas magis.
Quis certa Regis ſigna mentiti dabit?
Delphos eatur, doctus oſtendet tripus;
Dodona quercum quæque fatidicam movet.
MEGAB. Ne quære ab aſtris ſigna, ne turba Iovem:
Tripodes faceſſant, ſolus hoc ſtatuam ſatis.
Qui regnat, illum jure quis Regem neget?
GOB. Et uterq; regnat. MEG. Regnat agreſti ſpecu
Ferale monſtrum? ſola quod linquit loca,
Vt ſola faciat quà trucem immittet pedem?
Regnat furenti ſemper, & ſemper minans
Similis tonanti? flamma quòd nondum vorat
Civeſque, & urbem; quòd ſumus, quòd vivimus
Pietatis eſſe credis? impotentiæ eſt.
At noſter ille fronte quàm placidus gravi
Vrbem ſerenat! nemini irata vibrat

Digitized by Google

Supplicia dextrâ, civium verè pater,
Teque Artavaſde facilis exſolvit nece.
PRÆ. At hæc Saporem ſigna non verum probant.
Experta novit Perſis ingenium viri
Atrox, ſuperbum, gloriæ, imperii impotens:
Cui onera Regni levia, ſydereos quoque
Niſi flectat orbes, pondus Alcidæ grave.
Nil de Sapore monſtrat urbanus Sapor.
MEG. De Rege nam quid mõſtrat immanis Sapor?
AST. Compeſce linguam Satrapa: me coram patri
Convicieris? MEG. Et patrem, princeps, putas?
ASTY. Sacer eſt, putari quandiu in dubio poteſt.
PHAR. Mihi alia, Proceres, ſuggerit mentis calor
Probanda vobis. Intimi ad cordis ſinus
Cœcum latebris ducit implexis iter
Monſtroſa quantùm tecta Cretæi Bovis.
Externa parent ora prudenti fidem
Factura nulli: mille fucatam dolis
Ars verſat animum: qualis in ſcenâ hiſtrio
Illi ſerenat, huic minis frontem aſperat,
Et mente vultum ſobriâ indecorem facit,
Mox alius, & non ipſe, momento latet.
Momento in aſtra tollitur, Proteum refert
Quoties poëta juſſit. Ita regni appetens
Vultum Saporis moribus quidni augeat
Saporis idem? falſa cùm occupant, placent,
Et vera jures. Melior arbitrium regat
Libella, Proceres. Nec ſemel quæri velim
Quid huic quid iſti dixerit, quæ regii
Secreta thalami, cui data arcani fides.
Tam Regibus latere quàm ſoli nefas.
Tentandus aliter: fraudis incurrat plagas
Inopinus, improviſus, ignarus peti:
Sæpe occupatus abiit in ventos dolus.
Æqualis oculos fallat aſpectus rei
Caudyn, tiaram vel quod Imperii decus
Simulate. SVR. Tamen eſt credita arcani fides
Quam nullus Oracuſta, non ullâ magus
Recludat herbâ: cumque Niligenas jugo
Premeret rebelles, gravia Romulei ducis
Mandata precibus juncta Niſibenæ attulit
Præfectus arcis, mente quæ tutâ oculo.
Simul & fidelis teſſeræ partem dedit
Regi exhibendam: parte ſi inſtructus pari
Componit ambas, pignus & fidei ſacrum
Oſtentat invitatus, ingenuum nefas
Regem negare. Quid quod arcanâ penu
Regum duorum ſceptra ſervantur mihi?

(Scis Artavaſde, reſera & inſerto ocyùs.)
Erroris erit hæc cauſa. Tam ſimili micat
Vtrumque virgâ, vix ut agnoſci queant.
Aliud Sapores ipſe geſtavit puer,
Aliud parentis Choſroæ implevit manum.
Duo offerantur : patrio urbanus Sapor
Suum relicto ſi ſciens ſceptro legit,
Sapor eſto verus : ſi quid incertâ manu
Addubitat, hæret, ejici ut fictum placet.
AST. Placet, offerantur: commoda ad regnũ via eſt
Eligere ſceptrum. MASIST. Copiam ſed vix ſui
Facturus ille eſt, regiam rarò patet
Aditus in aulam. GOBR. Curiam viſat prior,
Hîc terminentur jura, ubi ſeptem Magi
Regnum adminiſtrant publicâ experti fide.
SVR. Sapienter : hic te Gobrya maneat labor
Allicere in aulam, noſtra dignari velit
Colloquia Princeps, eſſe quæ Regem petat
Cauſam inſolentem, ſtare in ancipiti Patres.
GOBR. Volens periclo publicum oppono caput :
Dum redeo vos hîc, Satrapæ, ſtare addecet.

SCENA SECVNDA.

Proferuntur ſceptra duo, quorum indicio verus Sapor agnoſcatur.

ARTAVASDES. ASTYAGES. SVRENA.

HÆc illa, frater, ſceptra, queîs dubium datur
Regnũ arbitrari. AST. Primus explorem cedo.
O triſte pondus ! dexteræ ô fallax decus !
Feralis auri ſplendor ! hoc tantis emit
Ambitio curis ? hoc per ardentes rapit
Audax favillas ? morte contemptâ ferox
In aperta currit vulnera, horribili impetu
Oppidaque, populoſque ciet, & dignum putat
Pretium furoris ? ô nimis faciles Deos,
Atque pretioſi prodigos ſemper mali !
Meas quid iſtis alligant ſpinis manus?
SVREN. Meliora, Princeps, ſceptra moliri piè
Par eſt Tonanti : ſic polum heroës tenent ;
Nil ipſe poſſit grandius rerum ſator.
Nunc ô coruſci lucidum mundi jubar
Ter ſancte Mithra, rite ſi ſemper tuos
Coluit honores Perſis, & lecto grege

Sonipes

Digitized by Google

Sonipes ad aras niveus auguſtas ſtetit :
Da pace partâ, & hoſte proſtrato foris,
Civica quieſcant bella, da veros tui
Vultus Saporis cernere, & fraude agnitâ
Certum repone gentibus dubiis ducem.
Sic alma currus fræna luciferi regas,
Sic luce plebem ſyderum æternâ augeas.

SCENA TERTIA.

Angelus Princeps Perſarum pluribus indiciis à Satrapis verus Sapor agnoſcitur, & ſalutatur.

PRINCEPS PERSARVM. SVRENA. ASTYAGES. OCHVS. SATRAPÆ.

SAlvete Proceres. Noſtra quæ cauſa inſolens
Arbitria poſcit ? SVR. Quanta non alio, Sapor,
Naſcatur orbe : quanta vel regni ſtatum
Nutare cogat. PR. PERS. Rege me mundus labet,
Niſi quà Saporis fulmina irati tremit.
Ego aſtra nutu quatere, mundanas potens
Mutare leges ſceptra non firmem mea ?
SVR. Niſi te dediſſent Numina huic cauſæ arbitrũ
Perierat, ô Rex, Perſis. Auſonii memor
Preces Tribuni, mente non vanâ tenes.
Procinctu in ipſo, Lydiæ viti accubans
Secreta docui vota : reſponſum abſtulit
Moles negotî gravior, & Pharii alea
Mavortis anceps. Hora jam, Princeps, monet,
Rem parte ab illâ gerere, & Oenotria Africis
Iungere trophæa. PR. PER. Liberum curâ & metu
Petebat animum cauſa : ſuſpenſam interim
Hærere volui dum triumphatus mea
Sub jura flueret Nilus : inſtanti malo
Rite expeditus, alia pacare auſpicor.
Sic inquietas Delius bigas agens
Huc opifer, atque huc currit, & donum aureæ
Vitale lucis impotens ſtandi vibrat.
Sed hæc agenda, quando qui Niſibim regit
Meſſala, fidum mittet alloquio virum.
SVR. Matura res eſt : venit & palmam attulit
Quem poſcis, ô Rex, fidus, arcani capax.
Tum victor aberas : ne qua tardantis moræ
Perìcla fraudem panderent, juſſi ad Ducem

Properatò abire, poneret noſtrâ in fide
Reliqua Tribuni vota, facturos Patres
Cum Rege reduce, Arſacia quod peteret ſalus.
PR.PER. Quis id Senatū monuit? hanc Regi fidē,
Regnoq́ue præſtas ? Magna ſecreto auſpice
Conſilia neſcis creſcere, & certò fore
Quod vix futurum ſera præſenſit dies ?
SVREN. Feci rogatus. Atque ne vanum putes,
Agnoſce partem teſſeræ, & parili auream
Adjunge parti. PR.PERS. Symbolum mentis ſuæ
Tibi ille dederit ? cautus explora notam,
Meumq́ue, Nate, fragmen externo applica.
Per amica Mithræ Numina, & Fratrum choros,
Si falſa prodis ſigna, ſi ludum facis,
Satrapa, occidiſti. SVR. Curiæ, & regni bono
Iuventâ ab ipſâ ſedulum addixi caput
Ad uſque canos, nulla Surenam dies
Fidei ſiniſtrum vidit : Infami putas
Præterita fine claudere, & prima ultimis
Turpare facta? ASTY. Iuncta pars parti quadrat,
Dicas Sorores. PR.PERS. Lumine intento aſpice
Iterùm iterumq́ue ne quid incauto excidat.
SVR. Times in uno gratiam ? incumbant Patres,
Et adulterinum ſi quid in nummo latet
Simul anxiè omnes eruant. ASTY. Hoc omnium
Iudicia clamant, unus eſt ſigni modus,
Eadem metalli vena, nil fraudis ſubeſt. [dedit
PR.PERS. Placet, hoc agamus. Ergo quæ Latius
Promiſſa ductor ? quid rogat ? SVR. Sceptro priùs
Ornare dextram patrii mores jubent,
Nec gravia vacuis Regibus Regum licet
Edicta fari. PR.PERS. Sceptra properentur mea.
Etiam paternum Satrapa oblitum mei
Superba avorum fata memorare addecet ?
Mihi mithra meritis ceſſit, & nitar patre
Ignavus hæres ? qualis implicuit comas
Hedera per ulmum tortilis. Avitos reſes
Laudet triumphos pectus, & egenâ prece
Mendicet altis nobile à titulis decus :
Ego mea peperi, vivet & mecum occidet
Prognata mecum gloria. Hinc patrium procul,
Donate ſceptrum læva quod pueri gerit :
Hoc auſpicatò genius inſedit meus,
Et conſecravit per rudimenta imperi.
SVREN. Rex vive, regna, verus ô verus Sapor.
OMNES. Rex vive, regna. ASTYA. Genitor, ô
Rex, ô Sapor,
Vt genibus alacer oſculum ſacris premo !

GOBR.

GOBR. Tibi noſtra cedunt regna, tu verus Sapor.
MASIST. Ita vive, regna magnus ut verè es Sapor.
PR.PER. Quæ verba, Proceres? eſtne qui Regẽ ne-
Qui me Saporem? ſceptra qui poſcat mea? [get,
OMNES. Sapor es, Saporem credimus. SVREN.
Dubium hactenùs
Tenuit Senatum (pace quod dicam tuâ)
Et caſtra, & urbem terruit magicus Sapor
Quàm gutta guttæ, membra tam ſimilis tibi.
Dum providemus ne quid incautus trahat
Error pericli, Patribus mens hæc ſtetit,
Ambigua certo tollere indicio omnia:
Hæc cauſa, Princeps, inſolens: liceat ſemel
Dubitaſſe, tutus ſemper in magnis metus,
Secura longum culpa in exitium ruit.
PR.PERS. Probo quod agitur, Satrapæ: ſed quæ [meos
Formare vultus artifex potuit manus,
Etiámne mentis decora? divinam ingenî
Vim perſpicacis, omnia potentem manum,
Oculum videntem cuncta, virtutum choros
Et hinc, & illinc quæ meum obvallant latus?
Mortale non eſt ſi quid optavit, Deum
Fingere laborat ultimus terræ nepos.
OCHVS. Hæc providebam, genitor, & nemo meis
Illuſit oculis: ſolus ego mentis potens
Dubitas cohortes inter, attonita agmina
Certam Sapori junctus inſtitui viam.
Sic cautus inter mille balantum greges
Revocantis agnus matris agnoſcit ſonum.
PR.PER. O Patris amores, creſce quò cœlũ vocat.
SVREN. Nunc ergo ficto Rege quid fieri jubes?
PR.PER. Quod jura legũ, jura quod Regũ jubent.
SVREN. Os intueri nunquid & larvæ placet?
PR.PER. Me cernat hominũ dedecus, terræ pudor,
Odium Tonantis: ſumma votorum attigit
Cui me reducto cognitum velo obtuli:
Et mea cadaver ora proſcriptum beent?
SVREN. Abſente dirum Rege torquebo caput.
PR.PERS. Surena, ſi te Regis exſtimulat dolor,
Pectore Sapores ſi quid aſpirat tuo,
Omitte Niſibim, majus exſurgit nefas:
Hoc age, ſine modo quære tormenti modum
Quem nulla taceat, omnis horreſcat dies:
Regum fidelem commodas Regi manum:
Quis vindicetur cogita. Obſerva ſimul
Profugum paterno Mithrobarzanem lare
Duxiſſe cures, Numen offendit meum,
Et hos tumultus impiâ juvit fide,

Euno

Hunc perduellem voce regali cito.
SVREN. Megabize, caſtris erue horrendam citus
Saporis umbram, militant prætoriæ
Tibi cohortes, vel reluctantem extrahe.
Age Pharnabaze, præda te poſcit minor,
Scrutare latebras, ſicubi Archimagus latet,
Efferre propera, macte, quod metuas abeſt.
PHAR. Timere causâ hac Regis ut genius ſinat?
Vt faſcinantis horream fraudes magi?
Vlulata fidens antra, devotos ſtygi
Ibo in receſſus, nulla me obſequio dies
Tardum videbit regio, aut timidum mori.

SCENA QVARTA.

De Saporis ſupplicio deliberant Satrapæ.

SVRENA. ASTYAGES. ARTAVASDES. PRÆXASPES. GOBRYAS. MASISTIVS.

NEc gemina mundo lampas aſtrifero micat
Cœlo tonantes ſceptra nec torquent duo.
Vnus phalanges ductor armatas præit,
Claſſem magiſter unus oceano regit,
Et diſtrahentur ſceptra? diviſos agent
Imperia populos? Cyrus hunc regni thronum
Poſuit duobus? ASTYA. Iuris alieni occidat
Prædator amens, auſus ut inauſum nefas
Conſpurcet auras ſpiritu? OMNES. Occidat, occidat.
SVREN. Tot ſcelera non ſat unus eluerit dies,
Si perduelli figimus larvæ crucem.
ARTAV. Truculēta quamvis ingeras, mitē & pium
Te cauſa faciet: PRÆX. Vtere arbitrio tuo,
Amore Regis, viribus regni, impiâ
Novitate ſceleris, quicquid his fuerit ſatis,
Leges probabunt. GOBR. Funus extendat ſuum,
Vivoque manes corpore incluſos trahat.
MASIST. Monſtrum hoc Erynnis laceret, & viridi ferox
Megæra crine, tartari fundo excitum
Tartarea crimen agmina æternùm doment.

SCE-

SCENA QVINTA.

Adducitur ad conſeſſum judicum Archimagus.

PHARNABAZVS. SVRENA. MITHROBARZANES.

DAmnata, Proceres, ora produco Magi.
SVR. Tam citò tremendâ potuit educi domo?
PHAR. Horrenda nondùm tecta contigeram pede,
Turbatus, amens, lumine cruento, comâ
Furens rigente: qualis erepto tigris
Animata catulo, Mithrobarzanes ait,
Quem quæris, adſum, præeo quà mortem jubes.
SVR. Quis antecepit mortis imperium recens?
MITH. Ne quære, qui me miſit ad mortem Deus,
Prædixit idem. SVREN. Regiâ dictum attulit
Te perduellem voce? MITHR. Fatorum vocant
Decreta, non Rex: certus advenio mori,
Surena Cœli nectis imperio moras,
Ferale carmen loquere. SVREN. Quis cogit furor
Proiicere vitam? vive quia ſperas mori.
MITHR. Terrere credis? moriar, & notos petam
Acheronte manes, non novus motam ſtyga
Ingrediar hoſpes; jam ter ulularunt canes.

SCENA SEXTA.

Siſtitur judicio Sapor, Archimagus condemnatur.

MEGABIZVS. SAPOR. ASTYAGES. SVRENA. MITHROBARZANES.

PRogredere larva, terminum hîc fraudes habent.
SAP. Aſtyage regni cauſa ſter ſaltem arbitro.
MEGAB. Te, prædo, capitis dixit Aſtyages reum,
Hàc ſequere. Iuſſus, Principes, ficti offero
Saporis ora. SAP. Aſtyage. ASTYA. Quid video?
ô Dei!
O aſtra! SVR. Princeps ſiſte, quis repens furor?
AST. O genitor, ô Rex. SAP. Hæc mihi ſanctè fides
Iurata fili? pignus hoc certum annuli?
AST. Mi genitor, ego te prodidi: ah! fateor pater,
Ego parricida. SVREN. Regiâ vice impero.
Recede

Recede, Princeps, pergis ambuſti faces
Animare regni. SAP. Luditis vitam in meam
Scelerata Satrapæ capita? ſic notus Sapor
Cœlo tremendum nomen? invaſit maga
Solium Saporis umbra, Perſepolim quatit
Felix tumultu, verus ejicitur Sapor.
Megabize, & urbis clauſtra mî objectas meæ.
Tu me Artavaſde prodis, & pompâ inclyti
Fraudas triumphi; decora mentitam mea
Surena larvam recipis, atque aulâ locas.
Tu Pharnabaze Pharia legatos mihi
Quos terra miſit perfido avertis dolo:
Leviora querimur: vincula, ô divûm Sator!
Vincula Sapores indui, mundi timor,
Regum monarcha. Numen & mithræ æmulum
Sapor in catenis! Secula! ô monſtrum! ô probrum!
Sapor in catenis! ſiſtitur famulo gregi
Tot perduelles ante pro reo Sapor!
SVREN. Serum eſt minari cum pari evictæ dolo
Patuêre fraudes: linquat Aſtyages latus
Furias probabis. ASTYA. Nulla complexu tuo
Vis me revellet, genitor, & quicquid minax
Surena machinatur excipiam prior:
Meos per artus ad tuos ibit chalybs,
Exanime nondum corpus exanimis tegam.
MITHR. Aſtyage perge fortis, & ſerò pius,
Agnoſce, ſtringe, verus hic pater, hic Sapor.
SVREN. Et tu labante buſta de regno excitas
Addicte larvis? Miles ad mortem rape:
Mora nulla turpi pendeat primùm trabe,
Hinc ſemivivo corda thorace exime,
Turpiſque magicos polluat pulmo focos.
MITHROB. Ne parce judex, perge, truculentùm intona.
Siles? averno reliqua ſupplicia exequar.
Quid video? quis ſe præpete huc pennâ tulit?
Ficte quid ora Sapor violento verbere torques?
Romphæam quid utroque rotas Rex albe lacerto?
Viciſti, tua buſta Magi, tua ſceptra Sapores
Senſerunt: ſtygias vindex innare paludes
Magne jubes? domitó-ne paras ignoſcere Regi?
SVREN. Delira loquitur conſcius mortis dolor.
MITHR. Nunc adeſte ſæva Ditis monſtra, tartareæ canes,
Anguineas Phlegetonte rupto concutite, Eumenides, comas:
Quà vorago, quà barathrum, quà ſepulcralis lacus
Tetriore torpet aurâ, incendite ultricem facem,

Mithro-

Mithrobarzanem rapite, peſſundate æternis malis.
State pœnæ, ſtate diri dira Plutonis phalanx
Me Sapores non Sapores torquet, urit, lancinat.
SVREN. Abripite; ne quid peccet ulteriùs furor.

SCENA SEPTIMA.

Avulſo à latere patris Aſtyage, Sapor ad mortem damnatur.

SVRENA. SAPOR. ASTYAGES. GOBRYAS. MASISTIVS. ARTAVASDES.

DEcreta tu me fata mandantem accipe.
SAP. Quo me revincis teſte? quis falſi arguit?
Hoc eſt probare vera, ſacrilegâ manu
Verum Saporem ſtringere? Ægyptum roga
Nuper ſubactam: quid tibi ad Nili vada
Factum Artavaſde? Regna diſcedens tibi
Surena, & Ochum credidi: quas hîc meum
Penetrale lacrymas vidit ad Cyri focos?
Promiſſa Regi quanta juratus dabas?
Et controverti debeo ignotus Sapor?
SVREN. Iam ñota nobis cauſa, dixiſti ſatis:
Decreta Satrapûm aure tu alternâ accipe.
SAP. Hoc more damnas? ſic mea exerces fora?
Audita tibi pars una ſic peragit reos?
SVREN. Audire lateri junctus Aſtyages vetat.
Præxaſpe, Regem Principis motus doce,
Quàm pervicaci magica deluſus puer
Tuetur animo ſpectra, quos motus agat.
ASTY. Fruſtrà laboras. Nullus hinc rapiet dies.
SAP. Abſcede fili, non habet pietas locum,
Capiti perîclum utrique nec quicquam advocas.
ASTY. Vltra perîclum cauſa ſtat, genitor, tua.
In hæc liceret membra vitalem pater
Transfundere animam! viveres Rex, & Sapor.
ARTAV. Aſtyage ni recedis, infami tua
Mago ſub ora demetam ferro caput.
GOBR. Abire, Princeps, cauſa te regni jubet.
MASIST. Deſiſte cœptis, agniti Regis fidem,
Operamque damnas curiæ. ART. Quid quem reum
Suâ ipſe dixit voce, proclamat Patrem?
SAP. Recede, fili, reliqua colloquia amputa.
Si me parentem voce non vanâ vocas,
Fac imperata, nimia me perdit fides.
AST. Quis tibi Deorum, genitor, hanc mentẽ facit?

Vos aſtra teſtor aurea, & mundi decus
Ignivome Mithra, juſſus, invitus, tremens
Meum parentem deſero, fratrem tuum.
Hoc ſi jubere pergis, extremum vale
Dilecte genitor : quòd video, quòd te alloquor
Hoc eſt ſupremum. SAP. Timidus ô fili, eſt amor.
ASTY. Vtinam liqueſcat totus in lacrymas amor,
Et in Saporis vulnera Aſtyages fluat !
SAPOR. Malè ominaris, ſpero te fallet metus,
Satis tuebor innocens ſolus caput.
AST. Pater occidiſti. SAP. Iura ſi poterunt nihil.
ASTY. Quid moliantur Satrapæ neſcis pater ?
SAP. Domino rebellis famula quid poterit manus?
AST. Ne ſperne comitem genitor, & vitæ, & necis.
SAP. Vivemus ambo fata ſi vitam jubent.
ASTYA. Moriemur ambo, fata ſi mortem jubent.
SVR. Abripe ſatelles, perdit aſpectu Magus.
Præxaſpe in aulam ſequere, ne peccet cave
Violentus animus, Perſici grande Imperî
Tibi credo pignus. SAP. Tu quid in patrẽ apparas
Abſente nato ? notus Aſtyagi Sapor
Glaucoma Satrapis objicit ? vel ſi vocas
Ad jura, ſervis fecit, an nato patrem
Natura notum ? SVREN. Satrapûm jura accipe.
Nec aſtra ſolem, ſceptra nec geminum ferunt
Arſacia Regem, te tuæ fraudes Magum
Te vera falſum prodidit Regem nota.
Te perduellem dico. SAPOR. Sacrilegum caput.
SVREN. Sat eſto : frater libera hoc monſtro diem:
Cutem revelle, membra paulatim amputa.
Vir eſto, Regis agitur, & Regni ſalus.

SCENA OCTAVA.

In hoc periculo Sapor agnoſcere ſe incipit, & hominem profiteri.

SAPOR. ARTAVASDES.

QVò perduelles ? ſeculi & mundi pudor ?
Quò quò rebellis turba ? non vindex ruit
In aperta Perſis arma ? non cœlo volant
Irata rupto tela ? ni fratrem quoque
Negant Saporem ſidera, & Satrapûm Deos
Invaſit audax factio ? ita veſtros tenet
Magia ſenſus ; ludere, an ludi placet ?
ARTAV. Lethũ propinquat: ſana meditari incipe.

SAP. Le-

SAP.Lethum Sapori ? ART. Verus indicit Sapor.
SA.Quis ergo videor?AR.Perfidus,vecors,magus.
SAP.Tibi Artavaſde? ART.Vincla cui dolent tua.
SA.Cui te ipſe debes. AR.Debeo Sapori & mihi.
SAP. Olim hæc Sapores dona non vanus dedi.
ART. Excute Saporem , & morere. SAP. Quis mortem imperat ?
ART.Sapor,Artavaſdes,Satrapæ.SA.Regi,& Deo?
ART.Delire! SA.Moriar innocens Rex,& Sapor ?
ART.Inſane. SAP.Tela nemo quà juſſo expedit ?
ART.Exurge,propera,morere,quid tardè ſtupes ?
Vitare quod jam non queas, ſerò doles.
SAP.Et furere pergis? vindicē hanc ſpera manum.
ART.Deſipere pergis ? lictor ad mortem abripe.
SAP.Regem ſatelles ? ART.Ibis infandum caput?
SAP. Ego ? ART. Coge miles. SAP. Rex Sapor? ART. Spretus bonis
Perire juſſus, ſolus, inviſus, miſer
Quam vivis in ſpem? SAP. Proditus? ART.Macte. SAP. Innocens ?
ART. Sat ſomniorum eſt. SAP. Moriar ? ART. Actutum impero.
SAP. Nunc ô rotantis igneum mundi jubar,
Nunc victus, & ſubactus, & fractus malis
Sapor ingemiſco : fateor heu ! potui miſer
Miſer eſſe potui : diſcere incipio ſenex
Artem dolendi, forma & exemplum prius
Beatitatis : gentium quondam timor,
Nunc ludus hoſtis : antè terrarum Deus,
Nunc carcinoma vile, nunc hominum pudor ;
Et non ego ipſe. Dormio ? an vigiles ferit
Oculos imago ſomnii ? quis me mihi
Eripuit error : regna nomenque abſtulit ?
Sic illa toto fauſtitas fallax ſinum
Cornu replevit, quodque felices habent
Non expetito pectus invaſit bono ?
Superi extuliſtis graviùs ut ruerem editâ
Receptus arce ? ART. Vana mendacem fides
Ridente liquit vela pandentem noto.
SAP. Audi Artavaſde. ART. Loquere. SAP.Per ſi quid ſacrum
Tibi reſtat uſquam. ART. Perge. SAP. Per magni inclytos
Regni penates. ART. Audio. SAP. Per & tui
Caput Saporis.ART.Fare.SA. Supremùm precor.
ART.Eloquere vota.SA.Supplicem Regem vides,
Cui terra poſito concidit ſupplex genu.
ART.Ad ſomnia redis. SAP. Liceat affari ſemel

Digitized by Google

Veſtrum Saporem,quiſquis eſt. ART. Aliud roga.
SAP. Et hoc negabis ? ART. Regia infamis reus
Mereatur ora ? SAP. Sim reus, non ſim Sapor
Tamen Artavaſde. ART. Littora & rupem feris.
SA. Da precibus aures. AR. Iamdiu occluſit Sapor.
SAP. Tenuem videndo flagito partem moræ.
ART. Vanam videndo flagitas mortis moram.
SAP. Euge Artavaſde. ART. Regis imperiū vetat.
SAP. Hæc clauſa ſpes eſt ? ART. Capite vis reſe-
rem meo ?
SAP. Actum eſt periſti fabula tuorum Sapor.
Nunc nunc ab omni parte fortuna intona,
Et hoc trucida mille fulminibus caput :
Licet in Saporem quicquid in ſervos licet.
Quid parcis ultra ? quid manum ſæva abſtines ?
Impelle miſerum quanta felicem beas.
Longùm in dolore ſtare, ſperantum bonum eſt.

SCENA NONA.

Regem ſic affectum ſalutari allocutione ad modeſtiam Chriſtianus miles revocat.

AMYNTAS. SAPOR. ARTAVASDES.

O Rex ſtupendum ſeculi exemplum tui
Exurge. SAP. Amynta,& unde dilectū caput ?
AMY. Huc ora mi Rex. SAP. Ne voca regem, fui.
AMYNT. Tolle Sapor oculos. SAP. Nomen hoc
etiam invident.
ART. Miles,querelas amputa. AMYN. Ne me veta.
Generoſe Princeps, noſtra profuerit tibi
Audiſſe tacitum alloquia. Me noſti Sapor ?
SAP. Num tu ille Amyntas filii quondam lepos ?
AMYNT. Sanctum elocuti nuntius nuper Dei.
SAP. Quis ergo vati pectus obſtruxit meum ?
AMYNT. Fortuna votis blandiens longùm tuis.
SAP. Quæ me labantem perfido niſu impulit.
AMY. Iam finge Mithras, ſanguinem Cœlo advoca.
SAP. Homo ſum, fateri caſus admonuit repens.
AMYNT. Nullus Sapori ſceptra deripiat Deus ?
SAP. Periêre, ſolii gloriam invaſit magus.
AMY. In alta nunquam capita detonuit polus ?
SAP. Ludibrium eheu ! fulminis iniqui vides.
AMY. An eſt olympo regna qui mutet Deus ?
SAP. Eſt,& ſeverus. AMY. Tela qui ſerus vibrat.
SAP. Sentire Regem magna quid noceat Deo ?

AMY. Si

AMY. Si famulus ambit regna, quid noceat tibi?
SAP. Quàm longa Reges dirimit à famulis plaga?
AMYNT. Natura Reges major abjungit Deo.
SAP. Populi-ne Regi ſerviunt, Reges Deo?
AMY. Non ipſa tellus tam procul Cœlo jacet
Extrema rerum portio, quantùm ſuper
Creata Numen extulit ſummum Deus.
Quodcunque olympo impervium cerni vetat
Natura felix, quaſque Neptuni vada
Humente claudunt ambitu cœcas opes
Artifice verbo fecit, & nutu Pater
Stabilivit uno. Non ſub autumni exitum
Frons ſemiſicca, ludus agitati aëris;
Non ſtirps rigentis frigoris ſpolium, Deo
Servante pereat: providum Numen Deus
Avertat idem, quid dato perſtet gradu?
Non ampla Regum tecta, queîs vaſtæ fores
Reciproca populi millia undantis vomunt:
Non vaſta tellus ponderi incumbens ſuo:
Non Cœlum & aſtra, quoque nil melius vides
Opifex diei flammeum Mithræ jubar:
Peritura repetent omnia antiquum nihil.
Et tu Tonantem vermis, & ſpirans lutum
Æquare tentes? quoſque fraterno tibi
Natura junxit ſanguine tyrannus premas?
Formica veluti regna ſi ſtultè ambiat
Intérque ſocias arduum attollat caput:
Turgere membris illa ſuffertis velit,
Nos rideamus. Ridet, at ridet ſerùm
Veſtra illa Numen ſceptra, quæ tanto ambitu
Torquetis homines: ſi quis & faſtu inſolens
Meditatur aſtra pectore effreni furor,
Superos gigantum qualis appetiit phalanx;
Illum ſevero juſtus exitio obruit,
Sceptra meliori commodat, vertit, rapit.
SAP. Dilecte miles, pangit æterno Deus
Decreta clavo? ſé-ne mutari ſinit?
AMYN. Cui vox ahena, cui per invictum ſtylus
Adamanta currit; fata mutari ſinat?
SAP. Spes ergò cecidit omnis? heu! nullum Sapor
Habet regreſſum. Conſcium teſtor diem,
Homineſque, teque militis Numen pii,
Meliora volui, pereo præteriti reus.
AMYNT. Conſilia loquere ſana, deſperes cave.
Immotus ipſe eſt, fata quâ volumus movet,
Noſtroque lentum facimus arbitrio Deum.
Peccare pergis? ſævit: odiſti nefas?
Simul odit iram. SAP. Si novus poſito genu

Condemno faſtus mentis antiquæ Sapor,
Putas remittet quicquid erratum ſuo ?
AMYNT. Metanœa nulli ſera viventi accidit :
Remittet, aude. SAP. Quâ mihi ſpondes fide ?
AMYN. Quâ Chriſti alumnum purus effecit latex.
SAP. Deus ô Deorum, magne, terribilis, potens,
Qui noſtra nutu regna terrifico quatis :
Iniqua fateor auſus, & ſceptro ferox,
Deus inter homines verticem æquavi polo.
Superbus, amens, pondus ingratum ſoli.
Nunc vetera ſtirpis probra recolenti meæ
Ignoſce Regum rector, & fœtam malis
Averte dextram : gravia ſi poſui ſatis
Documenta vitæ, ſum nocens, merui mori :
Sed tela clemens ſuſtine : nam quod decus
Pellere labantem ? fata ſemineci hactenus
Properare vermi. Gloriæ ſatis eſt tuæ
Domitus Sapores, vindicem agnoſcit manum ;
Vitæ reſerva qui tremat, adoret, colat.

SCENA DECIMA.

Angelus depoſitâ Saporis formâ, ei ſe videndum præbet, & ejus ſuperbiam ſeverè caſtigat.

ANGELVS Princeps Perſarum. SAPOR. AMYNTAS.

SApor, Sapor. SAP. Quid video ? Quid monſtri audio ?
ANG. Huc ora verte. AMY. Præſidẽ Regni Angelũ
Agnoſcis ? illi Cœlitum æternus parens
Te puniendum tradidit. ANGEL. Revoca Patres
Huc Artavaſde. Follis aërii tumor,
Lymphata bulla, turgidum vento lutum,
Pygmæe cubito major, & Cœlo Deum
Laceſſis audax ? & gigantæo polum
Molire greſſu ? SAP. Quiſquis es, ſeu tu Deus,
Dei aut miniſter Ales, ignoſcas novus
Peto Sapores ; quicquid admiſſum eſt adhuc,
Vetus expiavit : ſi tamen verum ſcelus
Erat hoc Saporis, omne fortunæ fuit
Nimiùm faventis crimen : inſtabilis, fugax,
Averſa ſecum rapuit agnatum nefas,
Mihi me reliquit. ANGEL. Mente peccaſti tuâ
Animata cœni maſſa : fortunam increpas,
Hæc te ſuperbum repperit, facere impotens,

Ni

Ni fieri amares. Numini inviſum caput,
Ludibrium orci, ſtolide Luciferi nepos,
Votum perenni, ni caves, corpus rogo.
SAP. Graviora prome, ſemper invenies reum.
ANGEL. Non illa tumido ſpiritu nuper Deo
Effutiebas: pœna veracem facit.
SAP. Quem fecit omni diditum pœnæ ſcelus.
ANG. Nunc nunc ſuperbi, ſacra cocyto phalanx
Adeſte, adeſte, ſceptra ſeu faciunt graves
Populis tyrannos; decora ſeu mentis feros;
Atavoſque ductum mille per Reges genus:
Aut dite quicquid lydius limo vehit
Amnis, & eâdem turbidus gazâ Tagus:
Superbi adeſte luditur veſtros Sapor
Luditur in uſus. Solus ô faſtu Sapor
Turgeret omni! quiſquis aut faſtu tumet
Sapor eſſet! orbis Domine dominorum potens
Te coleret unum, ſortis & vitreæ memor
Perpetua ſupplex vota factori daret.
O cœca recti corda! tartareis quoque
Pudenda monſtris gloriæ ô ardens ſitis!
Fabricantur aras, thure placari volunt,
Populoſque ficto Numinis complent metu
Parum eſt micantis colere militiam poli:
Stat in ipſa certos aſtra moliri gradus,
Fratremque Soli fingere. O terra! ô lutum!
Quò quò ſuperbi ruitis? in vacuas Deo
Migratis ædes? culmine immenſo procul
Spes eſt Tonantis fallere ultricem manum?
Ejus Tonantis nube quem nullâ gravem
Nullo minantem fulmine, æternùm tremet
Confuſa Babylon? qui vel attactu levi
Vndante ſumma texuit fumo juga?

SCENA UNDECIMA.

Angelus Satrapis & Aſtyagi dolum omnem aperit, eumq; à Deo ſic admonitum pro vero Rege agnoſci jubet.

ANGELVS Princeps Perſarum. SAPOR.

AVdite Proceres: ille dejectus ſolo,
Cui dura mortis juſtus indixit rigor:
Sapor eſt, & idem verus Arſaciæ hactenùs
Moderator aulæ. Sceptra dum exæquat polo,
Frater Gigantum, ſidera, & Lunam, & Mithram

Humana dedignatus in fratres vocat :
Dum vos ſuperbo ſævus imperio premit ;
Regnare Regum vindicem Cœlo negat
Qui regna poſſit vertere, & ſtabili throno
Dejicere victum, ſenſit edoctus malis
Quæ non timenda finxerat vanus ſtupor.
Ego veſter error, fictus ad vivum Sapor
Vrbem triumpho nobili invectus ſteti :
Vincla Artavaſdi, vincla Ptolemæo abſtuli,
Inviſa ſuperis capita damnavi Magos.
Nec inuſitata famulus inſtitui ſolo
Simulare membra ; cœlites quondam Angelos
Peritura piceo Sodoma diluvio tulit :
Puerique tutam fecit Azarias viam.
Sic membra ſumpſi juſſus, atque hominem indui
Regemque : nihil eſt vile quod juſſit Deus,
Deuſque fecit. Quanta, proh rerum ſator
Latebat humili clauſa majeſtas luto !
Perſonam, & artem pono, ſat domitus Sapor.
Reſtituo ſapiens ſceptra quæ dederat dolus.
Tu jura regni, purpuræ auguſtum decus
Surena redde, voſque Achæmenio Patres
Solio Saporem redditum, antiquâ fide,
Animo recenti colite, ſic placitum Deo.
At tu ſuperbum Numini incurva caput
Redivive Princeps : diſce quam valido minas
Librarit actas pondere : fuiſti modò
Necis imperatæ victima, ignotus tuis,
Tuam exul ante Regiam, jam non Sapor,
Iam nil niſi miſer : una tam ſubitas dies,
Nec tota turbas egit, & regno dedit
Alium Saporem. Levia jam expertus time,
Ne te ſeverus impetu toto atterat.
Veto eſſe fraudi Satrapis quicquid meo
Fecêre ductu, publico intenti bono.
SAP. Iuro Tonantis Numen, hunc unum colam :
Ignota Satrapas culpa ſecuros facit.
ANGEL. Sperate, ſtabit certa jurato fides.
Aſtyage, vitæ faciet exemplum pater.
Cuſtode ſed cum liberâ, & rerum potens
Regni juventas fræna moderari dabit,
Ne fulgor oculos rapiat, & tumidam impleat
Fortuna mentem regia, paterni reum
Ne quis pericli caſus ingratum opprimat.
Secretus etiam ſtygia moviſti ſacra
Incaute juvenis ; plura ne pecces vide.
Revocor in aſtra : nullus abſentem putet,
Speculabor inde monita quò vergant mea.

SCE.

SCENA DVODECIMA.

Magnâ omnium gratulatione primæ fortunæ reſtitutus Sapor, verum Deum agnoſcit, eiq; ſe ſubmittit.

SAPOR. ASTYAGES. OCHVS. SVRENA. SATRAPÆ. AMYNTAS.

O Magne Regis Satrapa æterni Aliger,
Cui mitis ira, cujus ADMONITO ſedet
Animus SAPORE, quas tibi grates parem?
Tu me furoris inter hoſtilis globos,
Et fulminantis igneas Martis faces:
Aulæ perîcla me per, & ſortis dolos
Malè blandientis providâ duxti manu,
Et jam rebelli filium typho malè
Emancipatum blandus officii admones.
Multùm eſt amoris, cui ſat eſt pœnæ parùm.
Mihi lingua, & omnis rigeat in chalybem fibra,
Niſi thura Perſis, templa ni ponat Sapor.
AST. O reſtitute genitor! SAP. O amores patris
Recepte fili! ASTYA. Verus ô Sapor, ô pater!
SVR. Decepta Satrapæ turba te colimus Sapor:
Ignoſce; regni multa perſuaſit ſalus:
Teſtor Tonantem non malè intulimus mala.
SA. Tuti eſte Proceres, quicquid erraſtis, meũ eſt.
Deo miniſtras inſcii aptaſtis manus.
Mihi vos probatis: regna ſi alienus petat
Quales futuri, tanta ſi verus tulit?
OCHVS. Vigiló-ne, an oculis errat illuſis ſopor?
Num tu triumpho nuper auguſtam domum
Invectus ille es? cujus aſſiduum comes
Latus ipſe texi? quicquid eſt volui patrem
Sequi, & Saporem; culpa me Procerum, pater,
Facit innocentem. SAP. Dulcibus, fili, labris
Da labra jungam: Perfidis magnum decus,
Mei lepores creſce, coluiſti ſuo
Non ore patrem. SVREN. Regiæ frontis notam
Redhibere te Senatus, ô Princeps, rogat.
SAP. Veteriſ-ne typhi, Principes, tangam infulas
Queîs me, meoſque perdidi? ô pulcher dolus!
O ſub micante turpis ambitio ſtolâ!
AMYNT. Non eſt in oſtro culpa, ſubmitti potes,

Etiam imperando: gloriæ auctorem jubet
Agnoſſe virtus, & bonis uti bene.
SAPOR. Date ergo ſi fas regredi, ſi ſum Sapor,
Sacranda Cœlo decora, & alienas opes.
OMNES. Rex vive, Regna, vivat æternùm Sapor.
SAPOR. Nec tu ſalutis miles aſſertor meæ
Inhonorus ibis, Medicâ inſignis ſtolâ,
Torque redimitus aureo, & parili latus
Accinctus enſe, tertium à regni throno
Solium occupabis. Nemo quæ jubeo expedit?
AMYNT. Privata me, Rex, otia, & viles juvant
Tugurî latebræ, ſolus ubi Cœli plagas
Iam penè civis metiar. Teſtor Deum
Quem metuis, ô Rex, enſis armavit manum,
Non ille honorum ludicra, & fluxas opes
Ambire doctus; patriæ huc egit ſalus
Per te ruentis, obvium objeci caput.
Sed has in oras vincla, ſic viſum polo,
Tulêre captum. SAP. Sic meo viſum eſt bono,
Dilecte Amynta, perieram ni tu prior
Bello periſſes. Dona quæ porto accipe.
AMY. Ea parce Satrapis, dedecent Chriſto ſacrum.
SAP. Ergó-ne noſter purpuram Chriſtus vetat?
AMYN. Chriſtus ſub humili ſanctiùs panno latet.
SAP. Fulgente in oſtro Chriſtus utiliùs micat.
Capeſſe juſſa, merita non æquant tua:
Majora voluit animus, & toti decus
Cumulabo genti. Satrapæ edico, impero
Quà quà renatum pontus emittit diem,
Quà Phœbus atrâ pingit Æthiopas face,
Colatur unus meſſe panchæâ Deus
Fabricator orbis, Numen aſtrorum potens.
Procul eſte turpes fronte cornigerâ Mithræ,
Adytiſque vivax ignis, & veteri Magûm
Citata cantu Numina infantum metus.
Numen Sapori ſolus ô ſolus dabis.
Te famula metuunt aſtra, te obſequio colunt
Elementa juſſo pavida: tibi quicquid poteſt
Non eſſe, nihil eſt: Sceptra te Dominum mea,
Rex magne, dicent: regii faſtûs apex
Tuo revinctam Numine exolvet comam.
Mox templa ſurgent aurea, & ſecto potens
Elephante ſtabit Chriſtus. Hîc ſi quid deeſt
Sabæi ad aras thuris, in cultus Sapor
Tuos liqueſcet, fumus undabit polo
Tumidi Saporis umbra, relliquiæ, vapor.

LVDO-

Digitized by Google

LVDOVICI CELLOTII PARISIENSIS

E SOCIETATE IESV

CHOSROES

TRAGOEDIA.

Digitized by Google

PERSONÆ.

S. ANASTASIVS Martyr.
VMBRA HORMISDÆ.
CHOSROES Rex Magnus.

SYROES MARDESANES VOLOGESES	Choſrois filii.
SANDOCES STASANOR	Pontifices.
SARBARAS CARDARIGA RAZATES PACORVS ARAMANES PHARNACES COSMAS MARGARITA	Satrapæ.

VASACES Chiliarchus.
HEMELIVS Trib.Rom.
HOMOTIMI.
NVNTIVS.
PRÆCO.
CHORVS.

AC-

Digitized by Google

ACTVS PRIMVS.

ARGVMENTVM.

SANCTVS Anaſtaſius Choſroë recens per invictam patientiam ſuperato Martyr illuſtris, divinum decretum de puniendis atroci morte Tyranni ſceleribus pronunciat. Tum Hormiſdæ umbram ab inferis excitat, eique in manus divinæ gladium juſtitiæ tradit, quo Syroës patrem parricidam alio ipſe parricidio tollat è vivis.

SCENA PRIMA.

S. Anaſtaſius denunciat Choſroi paratum à Deo ſupplicium, eamq; in rem ab Inferis Hormiſdam Choſrois patrē excitat.

S. ANASTASIVS proloquitur.

AMœna linquens ſedis æthereæ loca
Rurſum inquietos juſſus ingredior lares:
Numquā Tonante viduus, humanis quoque
Me reddo curis: ſpecto quod Superos beat,
Facio quod homines torquet: ut placitum Deo,
Huc Cœlum, & illuc porto, ſed porto mihi.
Alia Tyranno fata, vindictæ potens
Molitur ultor: jamque Achæmenios fugam
Spargit per agros: jam catenatos trahi
Audit maniplos civium: & qui olim pede
Victore Byrſæ mœnia, atque Afrūm invios
Calcabat æſtus, aureum Damaſtagar,
Ruſamque, & aſtris æmula, Auſoniā manu
Corruere tecta vidit, & victo procul
Euphrate, medium profugus objecit Tigrin.
At nulla faciet unda Romanis moram

Cœlo obſequutis. Heracli nimiùm diu
Iam velitaris : quantus es, quantum potes
Toto Tyrannum corpore Imperii obrue.
Progredere. Poſſe Choſroën vinci negas ?
Ego vici : & ingens eſſe quod bellum ſolet,
Moriendo vici. Macte, præluſi tibi
Auguſte. Non tu ſolus Auſonias agis
In bella turmas : quicquid eſt Cœlo pium
Tibi militamus. Ipſe radiatâ caput
Galeâ coruſcus, candidis ſtabo undique
Cataphractus armis, luce, romphæâ, manu
Pugnabo, vinces. Et Deo, & cauſâ minor
Timetur hoſtis quà moram fatis parat ?

Etiám-ne dubiâ ſuſtines fulmen manu
Regnator orbis ? lentus in pœnam dolor
Se ſe ipſe frangit ? ira pietatem vocat,
Iramque pietas librat ? Evincet tamen,
Cui cauſa melior : quicquid eſt, pœnæ genus
Non pax iniquo quæritur. Speres Deo,
Sceleſte, lætum cernere irato diem ?
Dum potitur auſis animus, & ſcelere æſtuat,
Furiaſque verſat intrà ineluctabiles ?
I nunc Tyranne, civium ſulca latus
Sacroque fauces ſanguine immanes riga.
I abominande, paſce Martyribus famem
Exenteratis : quod furor ſuadet breve eſt.
Minare dura, ſæva, truculenta, horrida,
His emimus aſtra : ſic Deus natos fovet
Quos morte durat. Quæ mihi æternùm bene
Eadem tibi hora peperit æternùm malè.

Actum eſt : periſti Choſroës : rupti ætheris
Diducta video ſpatia ; rimatur viam
Quâ fata pergant ire : ſupplicio pari
Par vindicatur crimen. Occiſus parens
Natum armat in te, fit magiſterio patris
Patricida natus. Sic tener patrio boat
Ritu juvencus : vipera in vitam effluit
Per lacera matris viſcera, at ſobolem pari
Profundit eadem tramite, & letho impio
Fit ipſa mater. Ecce ſe victus trahit !
Ecce innocentes ad necem natos rapit!
Hîc ſcena mortis, carmen horrendum Deus
Hâc dixit aulâ : totus hîc fies miſer,
Et ſcelere miſero : Tu quidem Genitor magis,
Sed ante ſoboles, patre quæ tali rea
Aliena capite crimina immeritò luit.
Et ſcelere ab iſto ne qua pars Regis vacet
Patris furorem prolis extinguet furor.

Humana

Humana ſunt hæc : labis expertes ſumus,
Quique odit, idem ſcelera permittit Deus.
Modò parricidam parricidali manu
Iuſtus necabit : mox in auctorem necis
Inſurget ultor. Sic per objectas diu
Bacchata cædes, frangitur in ipſo minax
Securis ictu. Choſroi Hormiſdas pater,
Syroique cæſus Choſroës, tum Sarbaræ
Syroës, Barazæ Sarbaras, Perſis dehinc
Victus Barazas dæmoni ludum dabunt,
Hoſti triumphum, tela vindictæ Deo.
Syroë libido tanta regnandi tibi,
Vt unus annus, annus ut Syroë unicus
Te parricidam faciat ? aggrederis tamen
Sinente Cœlo ; meruit hâc Ditem viâ
Adire Genitor. Adſit Hormiſdas tibi,
Educam Averno, Choſroës ſtabit reus
Medius duorum : parricidam hic filium,
Adulterum tu penitùs impelles patrem.
Audite manes, tuque funerei impie
Dominator antri, pande lethales ſpecus,
Tormenta ceſſent ; Chriſtus Hormiſdam citat.
Iterata mundi ſpatia metiri jubet.
Mecum reſidet flamma quæ cruciat reum,
Si tamen & eſſe non reus mecum poteſt.
Iam vincla ſtrident, audior : dirum gemit
Subacta pœnis anima, jam Cœlum gravat.

SCENA SECVNDA.

Permittitur Syroëm incitare ad parricidium.

VMBRA HORMISDÆ.
S. ANASTASIVS.

QVæ me execrandas peſtis in terras rapit ?
Videon' mearum conſcios fraudum polos ?
An Averna mecum defero ? an populat recens
Ignis medullas ? nulla ſupplicii quies
Vel in orbe vivo ? crucior, uror, quis vocat ?
S.ANAST. Ades Vmbra miſeri miſera. VMBR. HORM. Tartara, Tartara
Vbi eſtis ? ignes, tenebræ, avernales lacus,
Hydri, ceraſtæ, monſtra, buſones, canes ?
S.ANAST. Te ſtare jubeo. VMB.HORM. Rapite me. S.ANAST. Chriſtus jubet.

VMB.

VMB.HORM. Crudelis, injuſte, impie, execrabilis.
S. ANAST. Blaſphema loqueris. VMBR.HORM. Chriſtus inſultat malis.
Abominandus? nec ſatis miſeri ſumus,
Niſi & videmur? S. ANAS. Alia te cauſa huc ciet.
VMB.HOR. Incumbe capiti tota ſtyx, quāta es tege
Supplicia. S. ANAST. Sta. VMBR.HORM. Væ Chriſte, quid merui malè,
Novus ut vetuſtas augeat pœnas dolor?
S. ANAST. Reſponſa fare. VMB.HORM. Cogor. ô Chriſte! ardeo.
S. ANAST. Pater fuiſti Choſroïs? VMB.HORM. Quondam pater.
S. ANAST. Is te peremit perfidus? VMB.HORM. Natus patrem.
S. ANAST. Hæc te ſeverum poſcit ultorem dies.
Sume arma, notos perge furiali lares
Excire motu: natus invadat patrem,
Fratres trucidet frater: antiquum novo
Superet furore crimen. At terre priùs
Et inauſpicatum Choſroï ſpectrum objice,
Si fortè penetret triſte, ſeminanimi licet,
Metanœa pectus: nemo dum ſpirat, Deo
Ex aſſe periit: cætera exſequere ut jubet.

SCENA TERTIA.

Imperata exſequitur Hormiſdas, & interim utrumque à ſceleribus ad pœnitentiam revocat.

VMBRA HORMISDÆ.

REdii ut nocerem? ſeu pati cogor ſcelus,
Seu facere jubeor, hinc & hinc porto nefas.
Et parricidæ tempus ad veniam datur,
Mihi negatum? ſempiternis ignibus
Volvi revolvi Numen Hormiſdam jubet,
Vt parricidæ pateat ad Cœlum via?
O pœnitentes hora ſi valeat brevis
Audire luctus! hora, ſed nimius favor:
Quis livor eſt vel tenue momentum dari?
O ſtyx! ô antra! ô flamma! ô æternum malè!
Audite Nati, tuque cui Regni vices
Malè blandientum ſpondet aſtrorum favor:
Et tu nefandum prompta cui Clotho parat
Secare ſtamen, clamat expertus Pater,

Audite

Audire ſi vos fata clamantem ſinunt.
Non eſt Avernus fabula : umbrarum locus
Sed impiarum : ſtyx ſuos ignes habet,
Caduca non queis membra compage exuat,
Sed ubi perenni morte mortis neſcia
Corporaque & animas volvat, & flammis alat
Vivax cadaver : vermis hîc ſcelerum abditus
Index, & idem tortor æternùm fodit
Fœcunda pœnis viſcera : hîc ſquallor, ſitus
Tenebræ, lues, mephitis, infandum chaos.
Larvæque Dæmonum horridæ, & premi impotens
Vlulatus, orbe quantus everſo ſonet.
Audîmur, adſunt, perago mandata ultima.
Meus enſis hic eſt ; criminum agnoſco notas :
Hunc ſubditorum per latus duxi innocens.
Addatur etiam robur epotâ ſtyge :
Iterùm æſtuantis libet Hormiſdæ latus.
Benè eſt, abundè eſt ; faciet hic faciet ſcelus
Quocunque veniat. Scande ſublimem Thronum,
Vt in ima rapias. Dexter ad Syroëm advola,
Famulare ſceleri. Quas petis lævus plagas ?
Ah video, natum poſcis, in nato ſedes.
Ibi ſis, relinquo, dum ſenex letho datus
Animâ Charontis impleat turpi ratem.

CHORVS

Gravia ſcelera ſemper in auctorum caput redire demonſtrat, etſi nonnunquam impunita videantur.

Verum eſt, præcipites per vaga criminum
Error blanditiâ ludit amabili
Nil curare polos, & face ludicrâ
Scintillare Deo ſidera languido.
Nam quis caſta vagæ frena proterviæ
Excuſſit metuens dedecoris ? lares
Quis non intrepidus ſanguine polluit ?
Ridens Sicaniæ Rex Genios plagæ
Dextram porrigit ad munera non piam ;
Et tondet Medico barbam Epidaurio.
Hinc prædâ levior dat pelago ratem,
Tutus : nam ſociis quid timeat Deis ?
Sed turpi ſenio jura Corinthiis
Dictantem pueris qui memoras, Iò
Exclama, eſtis iò Numina Cœlitum.
Cambyſes Pharium tranſadigit Bovem,

Pygmæoſque

Pygmæoſque cremat ſacrilegus Deos.
Moriſque Arſacii jura ſororio
Inceſtus thalamo fœdat, & improbum
In conſanguineos ſtringit acinacem.
Felix, ſi fuit hic innocuus furor :
Si fecêre reum tot mala, non miſer.
Donec perniciem vulnere compari
Lymphato ſimilis ſæviit in ſuam.
Ille autem Danaûm terror, inhoſpita
Calcat perpetuis æquora claſſibus :
Captivumque ligat compede Boſphorum.
Et luctante viam dat legionibus
Naturâ per Athon. Scilicet ambigas
Iratus vetitum rumpat iter Iovi,
Irato ne magis perveniat Iove ?
Ergo ardentibus in mutua vulnera
Concurrunt animis : hic populantibus
Nunc delubra Deûm ; nunc anathemata,
Nunc auro rigidas effigies vorat
Flammis : teque ſoli qui meditullio
Cortinam populis fatidicam moves.
At contra Arſaciæ ſæva ſuperbiæ
Frenat Iuppiter, & quam comitantibus
Nuper preſſit humum tot populis gravis
Xerxes, indecori nunc relegit fugâ
Factus Cecropiis fabula matribus.
Et tu qui patrio ſanguine lubricum
Scandiſti ſolium, proſpera Choſroë
Nondum fata times ? Præbuit exuli
Fidam Roma manum. Cœlituum favor
Implevit ſterilem progenie Siram.
Tu cùm in bella ferox prorueres, tua
Senſerunt Aquilæ fulmina Romulæ.
At ſorti nimiùm credulus aureæ
Gentis contemeras Chriſtiadæ ſacra :
Et quicquid Solymæ expleta rapacitas
Intactum eſſe inſuper juſſerat, improbè
Vulcano populas illacrymabilis.
Quin & vivifici pignora Stipitis
Ardes Moriaco vulſa cacumine
Oſtentare Mithræ, perque Seleucios
Pompam Romuleo ducere de Deo.
Quid fœtas Procerum ſuppliciis manus ?
Quid vultus memorem conſimiles Deo
Et ficta æthereæ ſigna potentiæ ?
Sed jam lenta time Numina Choſroës,
Felix nemo fuit qui nimiùm diu.
Eſt peccare tenus : dat ſceleri modum

Aſtræa : utque dati meta patet mali,
Culpam pœna ſecat. Qualiter arduum
Culmen Siſyphius cùm labor aſpicit,
Defeſſoque boni ſpem facit otii :
Furtivo eripitur lubricus impete,
Et longi reparat pondera tædii.
Dum majora licent ſæpe nocentibus,
Deprenſos levior culpa premit. Parum eſt
Dudum ſacrilego, funere Martyrem
Immerſiſſe truci : ſed tamen hàc time.
Ilex jam validis icta ſecuribus
Contra obnixa diu mole ſtetit ſuâ :
Tandem ſternitur : at qui venit ultimus,
Non eſt maximus impetus.

ACTVS SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

CHosroes fugatus, multiſque pręliis per legatos ab Heraclio jam attritus, veteris tamen felicitatis memor, poſt multa ſuperbè de ſe commemorata, chariſſimum ex omnibus filiis Mardeſanem, Sirâ dilectiſſimâ conjuge fœminâ Chriſtianâ genitum, diademate clam exornat. Regemque creat invitum licèt, & ſapienter repugnantem. Inter hæc alias ſibi à Romanis clades audit illatas, cum certâ propinquæ mortis denunciatione: quam ſuperbus & inſolens animus grandi in Chriſtum blaſphemiâ excipit.

Digitized by Google

SCENA PRIMA.

Poſt multa de ſe fortunâq; ſuâ ſuperbè dicta, Mardeſanem filium minorem natu, quamvis reluctantem, Regni ſucceſſorem deſignat.

CHOSROES. MARDESANES.

Ergo furores Græcus irritat meos
Victrice quæque fulmina excuſſit manu
Satias cruoris, quatere renovatis jubet
Iterum lacertis: ſentiet quantum Deo
Sit provocato pondus. Everti exteros
Victor, paterno Dominus ejiciat throno?
Nimiùm ſecundis explicas ventis ſinum
Incautè Cæſar. Laudo conſilium tamen
Quod dedit arena: fata bene noſti tua,
Vitare mortem non potes, honeſtam facis.
Quòd vult timeri, Satrapæ, hinc timidum puto.
Alienus arvis preſſit ignotis pedem:
Fallace primùm providus ceſſi fugâ
Vt dum ima penetrat exitum intricet magis.
Sic fulminantis impetum cautus Leæ
Venator exit: illa dum inſtat, dum furit,
Dum terret auras, fugere dum victos putat,
Circùm obſidetur. In meas talis plagas
Malè ſanus hoſtis venit, & totus quidem.
Deprenſus ecce ſentit; ad reditum viam
Aperire ferro prodigus vitæ parat.
Obſiſte, vincis: non coruſcanti manus
Armanda ferro, non Achæmenio impete
Turbanda legio, palma non pugna eſt, gradum
Firmare contrà, robore obniti arduo,
Et otiando Martis infreni rotam
Sufflaminare. Nempe metuendos pavor
Quis faciat hoſtes montium enectos jugis?
Septena quos jam vidit extorres hyems,
Labore fractos, ſquallidâ illuvie & ſiti?
Has militum umbras miles ut paveat meus?
Ille ille miles cujus extremæ trucem
Timuêre ſolis ante virtutem plagæ.
Cui Nilus undas flexit, & paſſus jugum
Miti carinas Bagrada excepit vado?
Et niſi Saïne Cæſar eluſo fugam
Cepiſſet, olim Boſphorum adjicerem Tigri,

Et

Et orbis intrà quantus Oceanum jacet,
Pareret uni: ſpiritus hoſti addidit
Felix temeritas. Ceſſit infeſto Sathin
Ignavus imbri. Sibi Sarablaca imputet
Quòd cecidit, hoſtem & ipſa tutatur fuga.
Tardandus equidem Sarbara objecto fuit,
Si læva ſinerent aſtra, & horarum potens
Perſis amicum Mithra proveheret diem.
Sed fallere audax, patriâ ignavum decus
Surripuit arte Cæſar, & pluviæ impiger
Tenebras ſecutus noctis, ad Satrapæ fores
Stetit inopinus: ille ſtupefactus metu
Excuſſa molli membra proripuit thoro,
Nudâque nudum calce quadrupedem impulit.
At non Idumen, non Palæſtinas rui,
Nocturnus arces, quando demerſo prior
Ioppa mundo majus informi tulit
Dercetide Numen. Caſia cùm preſſi juga,
Meque ante vaſti præſidem montis Deum
Afflavit Eos. Teſte Solymæos polo
Aditus refregi, quique damnati caput
Chriſti pudendum Moria in truncum extulit,
Oſtentat almum Choſroïs mundo decus.
Quòd ſi reflante vela corripiens Noto
Fortuna ſolitum luſit, atque hoſtem meis
Lactat ruinis, omnia in viles ſciat
Licuiſſe ſervos, Choſroëm nunquam attigit,
Nec fas. Aprica ſic ubi puro æthere
Radiatur ilex, longa quam Niſæ jugis
Aluêre ſecla, vertice & ſenio ſuprà
Nemus omne regnat, ſola quæ faceret nemus:
Si per refuſum lucis auratæ jubar
Frondator ictum librat, & crebrâ quatit
Robur bipenni, læſa dat gemitum Dryas,
Revolant volucres hoſpitæ, & dulces fugâ
Nidos ſalutant: jamque ſucciſo labat
Infida trunco, mole jam totâ jacens
Metitur agrum; pondere inſolito gemit
Concuſſa tellus, reboat attonitum pecus,
Inviæ fugaces antra vix capiunt feras.
At ille purus lucis intereà nitor
Immunis, irreſectus, & ſimilis ſui,
Et ipſe totus, quaque porrigitur ſolum,
Quaque ſtetit olim ſtipes, atque hebetis quoque
Ferrum ſecuris integrâ illuſtrat face.
Sic clara Procerum turba, regali micat
Pretioſa radio; Martis incumbat furor,
Trepidoque diram quicquid Arſacidum eſt trahat

Cladem tumultu, Choſroï rerum Deo
Externa pereunt, ipſe per ferrum meat
Exſors pericli. Nempe cùm læta omnia,
Et quicquid uſquam eſt præſidî, & gazam, & viros
Invida rapuerint fata, ſe Reges habent.
Quanquam & ſenectus, & ſenectutis comes
Morbus, tremorque, rigida mortales vocat
In jura mortis : parte non omni tamen
Morimur ſepulti, gloria extentum parat
Ævum ſuperſtes : inde regalem thronum
Natura fulcit, & perennanti jubet
Sceptra ire ductu. ſeculis vivax patrem
Soboles propagat. Nate plus regno mihi,
Plus chare vitâ, nulla te ſalvo gravis
Fortuna Cœli, nullus exterret metus.
Teſtor Penates Imperî, & Genium tuum :
Græci latronis tela cùm ſubita horrui,
Et tot minanti trepidus objeci Duces,
Tibi timui, in te vota conſumpſi omnia.
Quòd ſi ille Cœli te mihi proprium negat
Donum tyrannis, fata præripiam pater,
Et expiabo ſi quid irarum invidis
Ebullit aſtris, pronus in ſenii mala.
Sed quando vires quiſquis eſt Cœlo Deus,
In me meoſque perdidit : quando viget
Suppar parenti Mardeſa, invidiam polo
Facturus olim : jam quod extremum meis
Deeſſe votis potuit, hic faciet dies.
Quàm largus in te noſter incumbat favor,
Siræque partum foveat, attonito hactenus
Spectavit oculo Perſis, & magno Iovi
Prætulit amicum Choſroëm. Eſt aliquid ſuper
Quò tendat animus : dona privati ferant
Exhauſta, Regum genius eſt ſemper dare,
Plus poſſe ſemper, donec extremo locent
In apice rerum. Nate, quod Rex, & Pater
Iubet eſſe fauſtum, gemmeam Cidaris tegat
Erecta frontem, regii vinclum cape
Diadema capitis, quod volo ſceptrum rotâ.
MARD. Æternum amoris, Genitor, & fidei tuæ
Mihi ſum ipſe pignus : quicquid accumules boni,
Plus dedit origo : cæteri natos amant,
In matre amaſti Mardeſam. O quoties mihi
Tua chara conjux, Nate, dicebat Sira,
Tu magna Cœli cura, te mundi arbiter
Cœlo evocavit Choſroës. Nondum mihi
Tumidos pudicâ Venere complerat ſinus
Natura, nondum cordis & vitæ fibras

Delinearat,

Digitized by Google

Delinearat, cùm tibi vitam pater
Quæſiit in aſtris : Sergius divûm optimus
In vota venit, cumque tranquillos ſopor
Solviſſet artus, voce ter clarâ patri
Sobolem ſpopondit ; voce vigilanti pater
Anathema ſacris ter repromiſit tholis.
Hoc impetratus ambitu in gremio tuo
Reptavi ego infans, perque victrices comas,
Oculoſque, teneram luſitans duxi manum.
Hinc rerum in alta crevi, & exemptus ſolo
Aſtris propinquum Mardeſa, paternis caput
Subvectus alis intulit. Qualis Deûm
Miniſter ales ungue nunc ſobolem rapit,
Nido morantem, nunc per aërios vehit
Impunè tractus quà liquens nubes ſuprà
Porrigitur æther, quaque flagranti face
Oculi irretortum Phœbus explorat ſitum.
Satis eſt amorum, Genitor, hâc ierit tenus
Favor & poteſtas Choſroïs ; quicquid datum eſt,
Meum eſſe potuit. Regnum in alterius manu
Aſtræa poſuit, juris hoc fratri dedit.
CHOSR. Quis jura natis faciat invito patre ?
MARD. An deligenti naſcitur primus patri ?
CHOSR. At diligenti regnat ut placitum patri.
MAR. Ius innovabis ? CH. Ius habet cui dat pater.
MARD. Lex patria prohibet. CHOSR. Choſroës, & Rex jubet.
MAR. Exẽpla regũ. CH. Velle, pro exẽplo mihi eſt.
MARD. At te per aſtra, per piam Sergî manum,
Regni penates, te per, & genium precor
Tuum, meumque, &, ſi quis eſt meritis locus,
Siræ per animum, Genitor, & caſtam fidem,
Miſerere nati : pectus ô quantis rude
Nolens periclis objicis ! Regni vorat
Hoſtis medullam : Perſidis Syroës ferox
In umbilico regnat : iratos coquunt
Supplicia Satrapas, pelle nudatus Saïn,
Perire juſſus Sarbaras ; mortis metu
Sathin & pudore mortuus : quis non fidem
Miſero fefellit ? quis novas regni vices
Non ſpectat avidus ? Inter has ponti minas,
Et fulminantes hinc Noti, hinc Boreæ domos,
Mortes tot inter, naufragam puero ratem
Committere audes ? arte vix ſtabilem reget
Clavum magiſtrâ, fronte qui tutâ ſatis
Nunquam ſereni dorſa ſpectavit maris ?
Sic ergo patriam, ſic amas Cyri thronum,
Siræque ſobolẽ ? CHOS. Sceptra inexpertus times,

Vſu remittunt pondus. Ignavos metus
Depone fili, Syrois effringam impetus :
Servile Satrapûm vulgus orientis litat
Regis favori : noſter in tuto eſt labor,
Extrà ardet hoſtis, ſeque ſatiatus furor
Succeſſu in ipſo frangit, & quò plus licet
Minùs dolet libere. Quod jubeo, & volo,
Regna, & coactus. MARD. Vos coruſcantes Dei,
Teque alme Cyri Mithra qui ſolium foves :
Et te reducto qui ſedes, frater, lare
Ignarus, improviſus, excluſus throno :
Vos teſtor, humeros pondus invitos gravat,
Regno coactus : frater, hoc fieri velis
Iubente patre. Si quid hinc livor coquit,
Excita ſi quid turbat impietas ſtyge,
In me redundent omnia, at non ſum reus.

SCENA SECVNDA.

Clades aliquæ ab Heraclio illatæ narrantur Choſroi cum certâ imminentis ſupplicii denunciatione, quam ille blaſphemiâ in Chriſtum excipit.

NVNTIVS. CHOSROES. COSMAS.
MARDESANES.

EXoſa Martis tela ! quis veſtros Deus
Suaſit uſus ? CHOSR. Alius ex alio meam
Vocabit iram luctus. NVNT. Arſacidum ſalus
Vivis? fugiſ-ne? ſtáſ-ne? CHOS. Quos Regi metus?
NVNT. Periêre, Princeps, cuncta, palantes fugâ
Cecidêre Perſæ, victor Auſonius volat,
Quaque arma, quaque ſanguinis portat ſitim,
Ruit una facies funerum : nurui ſocer,
Senexque puero mixtus immani jacent
Letho perempti, ſaxa non miſeros tegunt,
Non antra gazas : per ſacras Regum domos,
Per agros, & inopes ceſpite aggeſto caſas
Divûm per aras unus eſt flammæ tenor.
CHOS. Et hoc placet fortuna, quod vana amputas,
Solumque ſola Choſroën primo ebria
Laceſſis auſu : perge relliquiis famem
Satiare noſtris : reſto vincendus tibi :
Atqui in latronem plus poteſt qui nil habet.
COS. Trepidare noſtrum eſt : vilis humanos timor
Habitet penates : irrito cura impetu

Digitized by Google

Chalcidica Regum pulſat, & iniqui comes
Fortuna fati. Major his, Princeps, malis
Obnitere, aude, Cœlitum nemo timet.
At noſtra, Princeps, ſi quid emeruit fides,
Te patere flecti, publicum inſtanti caput
Subduc periclo. Tu Seleuciam tene,
Dum reliqua levior bella conficiat manus.
Nondum hoſtis omnes Perfidi eripuit Duces.
CHO. Timere ſuades? COS. Nullus ut timeat tibi.
CHOS. Mihi dum laborat orbis ut ſedeam reſes?
COSM. Quiete cujus orbis in tuto eſt ſalus.
CHOS. Cui tot parantur vulnera, periclo eximar?
COSM. Qui multa in uno vulnera periclo facis.
CHOSR. Solatium laboris eſt Regis labor.
COSM. Ingens laboris præmium eſt, Regis ſalus.
MARD. Hanc capere, Genitor, officî legem ſine.
CHOSR. Me proditorem, nate, non patrem facis.
MARD. Licet experiri. CHO. Triſtis eſt uſus mali
Quo provocatur caſus immedicabilis.
MARD. Tutò experiris ſi qua reparari queunt.
CHOSR. Reparare quis te perditum fili, queat?
MARD. Syroës, & illa nobilis fratrum cohors.
CHOSR. At Mardeſanem nemo natorum dabit.
MARD. Tun' dubia, Genitor, bella ſecurus moves?
CHOS. Si pereo, Syroën Mardeſa, & fratres habet.
MARD. At nemo fratrũ Choſroëm, & patrẽ dabit.
CHOS. O dulce patris germen! hanc ſerva indolẽ:
Probare quò plus cogis, invitas magis
Timere, fili. MARD. Quos mihi fingis metus,
Secure mitte: ſpero me ereptum ſemel
Martis periclo plùs probes, timeas minùs.
CHOSR. Si prima rapiunt arma bellandi rudem?
MAR. Moriar honeſtè. CH. Pectus hoc telo effodis.
MARD. Quo pulchriori cadere me fato velis?
CHOSR. Ego ſceptra, tumulũ tu tibi accerſis puer.
MARD. Torquere pulchrum eſt ſceptra quæ meritum ſcias.
CHOSR. Satis meretur qui capit patre arbitro.
MARD. Arbitria patris filii virtus probet.
CHOSR. Cedat temeritas filii arbitrio patris.
MAR. Quid? illa, genitor, me putas temerè aggredi,
Ad quæ gerenda naſcimur, divûm genus?
NVNT. O clara virtus! Perfidos ſancti lares
Non ergo gentem perdere Arſaciam placet:
Spem fata reddunt. Sed cui invitis licet
Sperare ſuperis? CH. Quis meam mihi ſpẽ auferat?
NVN. Permitte fari. CH. Iubeo, quid tandẽ paras?
NVNT. Hauſtus jacebam chalybe barbarico latus,

Pars una ſtragis, inter & comites mali
Luctante velas ſpiritu implebam leves:
Cùm ruit olympo miles, auratos vomit
Cui caſſis orbes, candido cui crux tegit
Vmbone clypeum, fulgurat gladio manus:
Nobiſque propior: ite, ait, victo meas
Narrate vires Regi, ut Arſacios fugam
Feci per agros, ut triumphandum ſtyge
Petii Tyrannum: cadere qui cœpit ſemel,
Perire pergat; per malum occurrat malis.
Dubitatis? iſtæc dextera inveniet fidem.
Redono vitam. Dixit, & medicâ manu
Tetigit jacentum vulnera: ut juſſus ſtetit
Hiante ſanguis pectore. O Cœli decus!
O ſoſpitator, quiſquis es! ſeu tu Iovis,
Seu tu videri natus affectas Mithræ,
Per aſtra, per te, per ſalutarem manum.
Permitte nomen petere; perpetuâ prece
Tuum clientes Numen addicti colent.
At ille, voce tremere quâ ſervos jubet,
Chriſtum clientes colite, ſic placitum polo.
Ego notus olim Choſroi, lautè apparo
Æquanda meritis præmia: hæc mando interim.
Comite Heraclio victus, & Chriſto duce,
Fugiat, ſed inter cætera, & partem ſui:
Mortem foris ne timeat, inveniet domi:
Magnum ad tribunal & patrem, & natum cito.
Hæc fatus, oculis rapitur: extinctâ vapor
Qualis favillâ; Numen Auſonidûm reor.
CH. Meus hoſtis hic eſt? Choſroëm Chriſtus citat?
Chriſtus laceſſit Choſroëm? ô Cœlum! ô Mithra!
Deſcende Chriſte, ſi quid es, ſi quid potes;
Adſum, gradum compono, deſcende æthere,
Congredere mecum. Vile mancipium crucis
Audes vocare Choſroën? tam ſum nihil
Hebræe? num tu victus, & captus, meas
Dudum per urbes ferculum pompæ facis?

CHORVS

Ediſſerit quàm ſeverè Deus impiorum obſtinationem vindicet, & infringat.

VIs indomiti ſæva profundi
Æſtibus æſtus glomerante Noto,
Saxaque ruptis obvia ſaxis
Iaculante mari, non palladio

Pacata

Pacata minas germine ponit:
Non ſi Licinî bacca venafrum
Deſerat omnis, pelagoque levis
Innatet hoſpes. Viduata fero
Tigris alumno, plenis furias
Artubus haurit, nec ſe vitreo
Franget ſpeculo: quòd ſi profugâ
Æquora verrat prædo carinâ,
Ibit in undas animoſa parens,
Veramque petet per freta prolem.
Triſtior aſtris agit ira Deum
Indignantem ſicubi clamat
Cruor innocuo corpore fuſus,
Aut ſceleratæ inſania vitæ.
Ante ſalubri corda dolore
Impia tentat, ſtygiaſque malâ
Pugnat furias ſede movere.
At ſi rigidam rite vocanti
Obſtruis aurem, factique ſedet
Malè ſanus amor, quis tam validæ
Capite avertat fulmina dextræ?
Olli famulus militat orbis
Inque nocentes natura coït.
Hinc humentis convexa poli
Pandit, & almæ fata telluris
Et ſumma nemus per juga creſcens
Sub nubigenâ gurgite condit.
Hinc ſulphurei turbinis ignes
In Sodomæas fabricat arces:
Quæque ardebant face tartareâ
Iubet ignavo torpere freto.
Claſtica vix dum ſonuêre polo
Ducis in Pharii jurata caput,
Cum ſanguineo vortice Nilus
Nota ignotus ſtagnat in arva:
Vdâ ebullit rana palude:
Fervet ſterili pulvere muſca:
Vlcera fœdus grandinat æther:
Cœlum eripitur nocte diurnâ.
Parcite nocuâ cæde tyranni
Dum Chriſtiadæ viſcera nudi
Livida plumbo flagra fatigant,
Caſtoſque furit flamma per artus.
Linguaque voces exciſa negat,
Clariùs aſtris tormenta ſonant
Et vindictæ mutua poſcunt
Iura Tonantem. Stat prompta phalanx
Ruere in nutus, ire, redire,

Et fulmineo micat enſe ferox
Succincta peplum, nuda lacertos.
Nec ſatis, ipſam per ſtyga vindex
Quæritur, & qui docuit furere
Furit, inque vicem tormenta rotat;
Tam peccati violens ultor,
Quàm conſilii perfidus auctor.
Regia ſed quis tecta reducto
Cardine pandit? Vaſaces hic eſt,
Cui facit aulæ gratia nomen.

ACTVS TERTIVS.

ARGVMENTVM.

SYROES Choſrois, Primogenitus, imminens in omnem regni occupandi occaſionē juvenis, poſtquam Mardeſanem ſibi prælatum, & regni ſucceſſorem deſignatum accepit, inter pietatem & ſcelus diu fluctuatus, tandem improbâ aulicorum adulatione in omnes ambitioſorum furias actus, jus Primigeniorum vel parricidio retinere ſtatuit; ſicarios in Regiam & Patrem immittit; factioſos Satrapas ad aucupandam cæterorum gratiam delegat: Hemelio Romano Tribuno vivificam Crucem, captivoſque omnes reſtituit, ut æquis conditionibus pacem Heraclio ſuadeat, né-ve ſe in exturbandi Patris conatibus impediat.

SCE.

Digitized by Google

SCENA PRIMA.

Quid apud Syroëm agatur in regiâ, & novarum rerum apparatum explicat Chiliarchus.

CHORVS. VASACES.

SAtrapum miniſter fide, quid mœſto coquis
Sollicitus ore? patria quem caſum timet?
VAS. Syroi æſtuante mentis abreptum ſalo
Cor-fluctuatur; neſcio quid; aliquid tamen
Male-ſanus agitat animus, & quod nec ſibi
Audet fateri. Martis incertas vices,
Patris ſenectam, vividum ætatis jubar,
Et mille mentis ſpectra turbatæ ingerit.
Excutere fingit: ſed reluctantem rapit,
Sorbetque cura. Qualis infido ratis
Commiſſa denti, ſpumeo circùm undique
Agitatur æſtu, torquet hinc dextrum latus,
Lævum hinc retorquet unda; decumanus furor
Trepidam ſupremo donec aſſultu anchoram
Revellat amens. Fluctuat talis truci
Mens acta curâ, nec habet ubi figat pedem.
Iamque intus ardet Regia, ignavum Patrem,
Cæſas cohortes, eſſe vix fratres ſuper,
Trepidare Proceres, hoſtium plena omnia,
Corruere flammis oppida, attonitam tulit
Rumor per aulam, teſte ſed nullo labat.
CHO. Credo aliquid ipſe penè: Dî fallant metum!
Vix lingua vanum publica errorem ferit.
VASAC. At ille totos aure rumores bibit
Avidâ & capaci: ne qua pars fallat, timet.
Sceptri cupido dira! quàm turpi feris
Sancta aſtra voto! novi ego ingenium viri,
Everſa regnum regna furioſo dabunt.
Quanquam referre ſi quid in melius ſinet
Ambitio, rapidos Principis motus ſenex
Demitigabit. Sarbara Auſoniam potens
Vrbem obſidebat Thraciis junctam vadis:
Suſpecta Regi cùm fides egit reum.
Hic Cardarigæ juſſa ſecreta addidit
Vt proditori Sarbaræ hauriret latus,
Altoque dirum figeret conto caput.
Detecta feritas. Sarbaram Syroës ſtudet

Sibi demereri : provida at virtus patris
Vult Cardarigam tegere ſuſpectum latus,
Vt ſtudia juvenis ſervet, & mentem domet.
Sed parte ab aliâ, ne quis Arſacidas Deus
Miſeros ſecundet, ſæva Razates fremit,
Fax prima cladis : nullus iratum leo,
Non tigris orba ſuperet. Hoc Syroës duce
Quid non ſecundis audeat, ſperet malis
Sine lege rebus ? ille felicis diu
Audaciæ uſu, cladibus noſtris potens
Quas concitavit, per trucidatam domum
Ad ſceptra rapiet Principem, hinc ſe ſe clepet,
Interque regni rima quà tenuis micat,
Irrepet habilis · ſcelere ſic redimit novo
Vetuſta : Regis ſic renaſcentis favor,
Pretium eſt perempti. Mitiùs torquet rates
Maleæ ſequacis unda, & occurrens ſibi,
Seque ipſe ſorbens impetus : quàm ſi puer
Genitus in oſtro vafrè adulantum ſinus
Explicuit Euro : carbaſa ambitio jubet
Turgere ſemper, nullus è clavo regit
Proram magiſter, nullus agitato facit
Remo quietem : dulce per pronum rapi,
Et currere æquor. Turba nos aulæ minor
Exempla ſequimur, & magiſterio mali
Pejora cupimus. Qualis infrenem educat
Maſſyla catulum mater, & cornu feros
Inſpicat ungues : prima vix ſe ſe toris
Fudit jubæ lanugo, venanti comes
Per luſtra patri graditur : hic prædam docet
Eruere latebris, quatere rugitu nemus,
Curſu involare, perque trepidantum greges,
Impingere unguem celſa quà cervix placet.
Illum & juventas, atque libati ſemel
Cruoris æſtus paria meditantem impulit
Viduare capreis antra, vulnificos apri
Agitare dentes, per gradus ſylvæ timor,
Dominuſque creſcit. CHOR. Occidit regni ſtatus,
O Perſis, urbem pejor Auſonio tenet,
Qui non timetur hoſtis ! ô patria ! ô pater !

SCE-

SCENA SECVNDA.

Nuntiatâ fratris in Regem electione perculſus Syroes Satrapas ſuos alium aliò ad conciliandos ſibi Perſarum animos, dimittit.

SYROES. CHORVS.

PEriimus, hoſtis regiam, & ſceptrum petit.
CHOR. Quid, & unde metuis ? SYR. Vnde nil tutum fuit.
CHO. Vrbém-ne victor? SYR. Victus inſultat mihi.
CHO. Quid regna ? SYR. Cyri hæres ut excludar
Vt Mardeſanes ſceptra vivo extorqueat ? [throno?
CHOR. Natum decebit velle, quod genitor jubet.
SYR. Regem decebat velle, quod leges jubent.
CHOR. Mutanda quereris; Mardeſæ indulſit pater,
Vt commodato pectus erigeret bono
Imbelle, pavidum. SYR. Vaſace Rhadamiſto comes
Ite, agite celeres, ne quis inopino ruat
Terrore victor, timeo Romana omnia.
Pacore huc Latinum promptus Hemelium advoca:
Simul & catenas deme Romano gregi.
Monobaze luſtra mœnia, & campis vagos
Reſtitue cives, præda ne jaceant lupis
Miſeri Latinis, ſi quid è clade eſt ſuper.
Rape tu cohortes in ſacramentum meum,
Muneribus imple dexteras, animos fide.
Tu Cardarigam ſi quid alloquio potes
Satage occupare, reliqua conſilia occule :
Mentire verò, ſi uſus eſt, & pejera,
Recti eſt levis jactura cui prodeſt ſcelus.
Vos rapite ab aulâ ſi quid hoſtile obviat.
Vndique tumultus, undique ululatus ſonet.

SCENA TERTIA.

SYROES

Diverſis æſtibus agitatus, decernit tandē regni amiſſi dedecus volūtaria morte delere, nequid in patrē gravius admittat.

ET hoc ſceleribus fata debebant tuis
Cruente nati proditor ? vitæ ultimum

Sic decuit actum claudere, ut eodem obruas
Regnum ſepulcro, teque ? Nam ſi me furor
In arma juſtus abripit ? ſi te reum
Natura vindex damnat, & noſtro ſibi
De jure tela fabricat ? Inviſum caput
Si læſus orbis, aſtra ſi adverſum Deis
Suo laceſſunt impetu, ô quanto occides
Miſerande fato ? patriam in quantas ages
Laceram ruinas ? Spretus excludar throno ?
Cidarim revellas ? ſceptra diripias manu ?
Quæ cadere meruit culpa ? quod luimus ſcelus ?
Scelus eſt libido Patris, & majus ſcelus
Odium Novercæ. Nempe cùm thalamos Sira
Iniit meretrix Choſrois, regno excidit
Syroës avito ? primus haud Syroës erit
Ex quo ſecundum turpis ediderit Venus ?
Fateare primum ſaxo, quem ſolum ſcies :
Feramque, catulumque unus opprimet impetus,
Patremque, ſobolemque una reſecabit manus.
Nunc quoque vigebunt jura : ſtat rapere, aut mori.
Iam gravia ſpiras anime ? tam ſævum truci
Das limitem iræ ? Nam loquor facti ſcelus
Suo ruentis pondere, pericli aleam,
Curarum acuta tormina, & teſtes Deos.
Bonum excidiſſe credis ? hoc rerum ſtatu
Ad ſceptra curris ? eſſe pereundum negas
Cui non peribunt ? hoſtis externo ruit
Quoties ab orbe victor ? incubuit ſibi
Convulſa ab imo Perſis : immedicabilem
Traxêre cladem funere aggeſti Duces :
Commota tellus, gentium excitus furor
Cæde, igne, abactu ; vincta populorum agmina
Odêre & umbram Choſrois : Tutum putas
Optare regnum, cujus & turpe eſt genus
Nomine fateri ? Pectore excedat tumor,
Mendaxque panni fucus, atque auri nitor
Illudere oculis deſinat, vitam exiges
Tot inter enſes ? inter agitantes metus,
Ipſumque chalybem lateris infidum tui ?
Quid habet beatum purpura ? unde auget virum
Erecta cidaris ? miles ad nutum obſequens,
Potatus auro Bacchus, & famuli greges
Quâ mentis æſtus parte, quâ morbos levant ?
Regnare pergat frater, obtineat Pater :
Tu quod negatum ſanguini nemo volet,
Eſto ſecundus : quid voluptati perit,
Quid dignitati ? Bella conſilio reges,
Pacemque, legum primus, & recti arbiter ;

Fraterque

Fraterque populis jura, tu fratri dabis.
Tibi ſupplicabunt vota, te primum ambient:
Quid ſcire regem, quem malis deceat modum
Optare gentes, gratiæ fuerit tuæ.
Fortuna regnum vexet, invidia opprimat,
Conjuret orbis, fulmina è Cœlo incubent,
Et æſtuante ſorbeat ponto ratem
Audax procella Boſphori, objicies caput:
Regale damnis, unus excipiet minas
Cujus petuntur ſceptra: tranquillo interim
Portu ruinas cernere, & tutum otium
Privata ſors præſtabit, hoc regnum negas
Suo imperare commodo, alterius malo?
  Sic qui Darium primus agnovit patrem
Curarum inanis, ſorte contentus ſuâ,
Exſors pericli, gloriæ minimùm appetens
Lætos peregit pace privata dies:
Dum ſatus Atoſsâ montium latera effodit,
Flagellat undas, templa populatur Deûm,
Regnique primùm fœda tempeſtas ſui,
Aliena latè vexat, hinc clades, & hinc
Daturus, & paſſurus. Hæc vulgo canat
Inhonora virtus, Regius ſanguis ſumus,
Syroë imperandum eſt. Sede ſublimem aureâ,
Cinctumque telis, & ſupercilio gravem
Grandia tonare Mardeſam, & nutu truci
In famam, in arcam, in capita graſſari omnium
Patiens videbis? genibus affuſus trahes
Famulare collum? juſſa trepidanti hauries
Coactus aure? quid quòd & vitam tuam
Sub ictu habebit? Dubia conſortis fides,
Ius raptum iniquè, vis Tyrannorum levem
Pavitans ad umbram, ſuſpicax aulæ favor,
Odiumque, magnæ invidia fortunæ comes,
Tuum illa tandem monſtra proſcribent caput.
Quoties catenas regius tinxit cruor?
Libido quoties imperî telum impium
In paria adegit viſcera? aut ſi quid pium eſt
In Mardeſane, conjugem, natos, domum,
Gazas, ſalutem, quando non adimes, dabit.
Ad illa Syroë natus es? precarium
Duces ſubactus ſpiritum? nunquàm eximes
Quæ vincla nectis? arte fraternâ mori
Omnes in horas poteris, haud poteris tuâ?
  Quid anime refugis? quam petis letho moram?
Pars ſervitutis iſta quam metuis, quota eſt?
Excluſus omni decore judicio Patris,
Dolo novercæ vivis? & longum paras

De

De te triumphum ? Solis aſpectas facem
Illuſus, illaudatus, ejectus bonis,
Tuæ ſuperſtes gloriæ, alienæ ſeges ?
Ades, ades enſis, vindica externum nefas
Cruore domini : cæteri regnum tenent,
Tibi vita ceſſit ; fortiter Syroëm occupa
Dum Rex adhuc eſt. Teſtor æthereas domos,
Et te benignum gentis Arſaciæ jubar,
Radiate Mithra, nulla diverſum rapit
Cupido regni, Choſrois nullus timor,
Non Mardeſanis ; liber & Dominus meî
Hæc tela tracto : ſerviat ſi qui poteſt.

SCENA QVARTA.

A voluntariæ necis amentiâ revocatus ab aulicis ad rebellionem incitatur.

RAZATES. SYROES. SARBARAS.

ILludit oculis umbra, vel Syroën furor
Inſanus agitat : cernis ut ſtricto manus
Armatur enſe, pervium exuitur latus ?
Reſiſte Princeps : ſtatuis hunc iræ modum ?
Sic te tuoſque perdis ? hoc fratri imputas,
An regno ? SYR. Honeſtâ morte defungi vetas ?
An ſervitutis trahere plebeiæ jugum ?
RAZ. Meliora ſpera, juris in Rege eſt tenor,
In Patre nati charitas. SYR. Iuro caput
Veſtrum , meumque, nulla me obſequio dies
Addictum herili cernet : alieni potens,
Meique juris fata decerno mea.
SARB. Servire noſtrũ eſt, nos premit iniqui comes
Invidia fati, veſtra pacatum tenent
Arbitria culmen : validus obfirma gradum,
Aude ire contra, quære fortunæ viam
Tecum cadenti. SYR. Debito ejiciar gradu
Naturæ abortus ? Patriæ leges ruant,
Arſacia pereant jura, poſtpoſito minor
Majore regnet, Mardeſa ut Syroëm opprimat ?
SARB. Huic tu mederi morte ſperaſti probro?
SYR. Impar honori, regio indignus throno,
Labes meorum, ſtemmatis crimen mei
Viſus Parenti, colere progeniem Siræ,
Famulumque juſſus pectus imperiis dare
Vivam ? pudendo colla ſubmittam jugo ?
Talem aſtra videant ? terra portentum hoc ferat ?
SARB. Reconde ferrum, pectus iratum doma,

Te

Te redde amicis : fata mutari queunt.
Commiſſa puero ſceptra, ſic voluit ſenex,
Et fœmina egit, vertere operoſum putas
Ruitura ſponte conſilia ? quem de tribus
Facis timendum ? quem tibi opponi fugis ?
RAZ. Aliquis parentem rumor extinctum canit,
Regnare ceſſas ? fama dum dubia eſt adhuc,
Da te Monarcham Perſidi. Exploras fidem
Popularis auræ ? vivere & ſperas patrem ?
Erat hoc timendum : quâ licet famâ utere,
Meliore nullam pallio culpam teges.
Cecidit ? Tyranno liber imperium tenes.
Redibit ? utri certius ſceptra hæreant
Fraus dicet, & ſi fraude quid melius potes.
SYR. Tu mihi ſepulcrũ, Satrapa, nõ regnũ apparas.
RAZ. Meliora Princeps, antè per noſtros Pater
Penetrabit artus : Satrapûm cernis genus ?
Hæc capita oportet Choſroës ferro metat :
Neque ſic Tyranni veniet ad Syroën furor.
SARB. Populis amicum pandis exoriens jubar,
Et larga Proceres dona conciliant tibi :
At ille ſenio tardus, & morbo gravis
Odioque preſſus publico, poſt tot lares
Hauſtos rapinis, poſtque privatas neces,
Supplicia Satrapûm, Perſidem impoſtam rogo,
Commota Chriſtiadûm arma quam ſperet fidem,
Quem non furorem metuat ? SYR. Abſentem furit
Plebs in Tyrannum, prompta præſenti obſequi.
SARB. Priùs occupanda eſt; vicit ancipiti in ſtatu
Quiſquis præivit. SYR. Rapidus huc promptas aget
Mardeſa phalanges. RAZ. Veniat, hærebit throno
Cui dextra melior. SYR. Impium ſuades nefas.
RAZ. Modò regna maneant faciet eventus pium.
SYR. Neglecta & unquàm jura felici putas ?
RAZ. Servata ſemper jura felici putas ?
SYR. Fortuna quamvis fera violentos premit.
RAZ. Fortuna præſens proſpera audentes beat.
SYR. Pater eſt. RA. Et illi genitor Hormiſdas erat.
SYR. Quid Mardeſanes ? RAZ. Vivit, & amatur patri.
SYR. Cogente ſceptra cepit invitus patre.
RAZ. At cepit, at habet. SY. Læta pax Perſas alat:
Nam cur furori patria ſe impendat meo ?
Quin fugio ad hoſtes ? certa in Hemelio ſalus,
Romana & ipſum Choſroëm texit fides.
SARB. Externa mitte ; tota in Arſacidis fides :
Etiam faventem providus Græcum time.

SCENA QVINTA.

Hemelii favorem, & ejus operâ pacem cum Heraclio redimit Syroës Crucis viviſicæ, & captivorum reſtitutione.

SYROES. HEMELIVS. RAZATES.

RES grandis, Hemeli, pectus Auſonium rogat.
HEM. Vt imperaſti pectus & dextram affero.
SYR. Scis Heraclio cæſa noſtrorum agmina?
HEM. Hæc fama narrat. SYR. Scis metu excitum patrem
Viduare populis oppida, & bellum ultimo
Reſumere æſtu? HEM. Marte qui ſtantem impulit,
Facilè labantem evertet. SYR. Expoſitum æquore,
Licuit: ſed urbis mœnibus tutum, arduum eſt.
HEM. Nil Heraclio dextra, nil ſuperi arduum
Fecêre. SYR. Regnum ſcis datum nato Siræ?
HEM. Cui? SYR. Mardeſani. HEM. Iura decernunt tibi.
SYR. Hoc eſt quod angit. HEM. Vindica. SYR. Suades mori.
HEM. Vel imperare. SYR. Solus hoc auſim aggredi?
HEM. Natura, Perſa, Iura, Romani, Dei
Tibi militabunt: ſolus eſt, quem tot juvant?
SYR. Omnia quieſcãt, dextra Romulidûm adjuvet.
Regno. HEM. Heraclii ſpondeo ſecundam manum.
SYR. Hemeli beas me. HEM. Iuro Romanâ fide.
SYR. O me Monarcham! HEM. Cæſar ut dirũ meus
Hoſtem perire nolit? ut vivum ſinat
Poſt orba donis templa, direptos tholos,
Everſa bello Solyma, captivam Crucem,
Populata Nili jugera, ereptos ſibi
Libyæ receſſus, in ſuum motas caput
Avarumque, Bulgarumque funereas manus?
SYR. Per te Heraclius impetum ſiſtet trucem,
Victamque parcet Perſidem peſſumdare?
HEM. Si rite quid mens augurat, ſiſtam impetum.
SYR. Captiva reddo capita, reſtituo Crucem,
Aut ſi Heraclio gratius quicquam accidat.
HEM. Omittis unum. SYR. Fare. HEM. Vivum Choſroëm,
Hoc Heraclio gratius nihil accidat.
SYR. Nec poſſe credo, velle nec ſpero Deos.
Poſt terga vinctis manibus in nati probrum

Traductus

Traductus urbes genitor Arſacias terat?
Quid non movebunt oppida? HEM. Oderunt virũ.
SYR. Premit beatum invidia, quæ miſero indolet.
HEM. Videre miſerum læta, quem timuit, ſolet.
SYR. Amare miſerum ſubita, quem timuit, poteſt.
HEM. Florente nato quis amet ejectum patrem?
SYR. Florere natum quis patre ejecto velit?
HEM. Non iſte regno caſus Arſacio novus.
Primus ſecundo ſternit exemplo viam:
Quodque ante factum eſt parte dimidiâ licet.
SYR. Tot peperit unũ ſcelera non unquàm ſcelus.
Rex eſt. HEM. Cruentus. SYR. Choſroës. HEM. Sævus. SYR. Pater.
HEM. Raptor tiaræ. SYR. Perſa Romano dabit
Pompã triumpho? HEM. Victus SY. A nato datus?
HEM. Luctare fruſtrà, patricidio eſt opus,
Patiare potius ipſe, faciáſne, elige.
SYR. Quò fata rapitis? quis furor ſuperos tenet?
Opus eſt perire, aut perdere? & crudum nefas
In utroque regnat: Iuris eripitur vigor
Si juſtus eſſe pergo; ſi facio ſcelus,
In ſcelere jus eſt: nullus ad ſolium eſt gradus
Niſi per parentis viſcera? ut vitam hauriam
Vitæ auctor obtruncandus? & prohibent mori
Qui amare dicunt? & putant vinci probrum,
Vbi eſt nefandum vincere? aut vitam date,
Aut mortem, amici, ſed piam. RAZ. Regnũ damus,
Sed vindicandum. Quid petas, non quid geras
Spectabit orbis: crimen in cauſâ latet,
Agentis animus dat ſuum factis modum.

SCENA SEXTA.

Choſrois ex arce fuga Syroi nunciatur; is illum perquiri jubet.

NVNTIVS. SYROES. HEMELIVS.

AVidum cruoris militem caſſo Senex
Labore fallit: undique everſis gemit
Confuſa latebris aula, non quæ tramite
Implicita ſecto turris amfractus tegit
In ſe reductos, non quæ inexhauſto diem
Arcet meatu cavea, ſcrutantum impias
Fugêre dextras: ponit eluſus furor,
Seque ipſe frangit. Sic ubi abſentem canis
Veſtigat aprum poſt pererratos ſpecus,
Et iniqua nemorum nare defeſſâ irritus

Digitized by Google

Latratum in auras ſpargit, & ſecum infremens
Reſorbet iram. Fama poſtico refert
Ceſſiſſe trepidum, quaque limoſo palus
Prætexta junco eſt ferre furtivos gradus.
SYR. Se damnat ergo genitor, & vacuos fugâ
Metitur agros? dona quin præſtat ſua?
Quin verba factis auget, & ſi fas erat
Regnare fratrem quò laborantem rapit,
Sibique & illi trepidus? invictum daret
Aſtræa pectus, obvium objiceret caput
Animoſa virtus: Inſtat impietas ſibi.
Timor nocentes agitat. Audendum eſt, age,
Diſcede pietas, noſter in tuto eſt labor:
Eat & piandum Tartaro exportet nefas
Atrox tyrannus: cernis ut aperto æthere
Melior ſerenas Phœbus ejaculat faces?
Reſpirat Hemeli Perſis, & regni decus
Iuſtitia reparat, Nemeſis ultore impium
Agit flagello; quis mihi ſceptrum invidet
Donante Cœlo? HEM. Iuris in voto eſt tenor,
Periclum in actu: libero & vivo patre
Vacare ſolium credis? ejectus lare,
Elapſus urbe eſt, alia fugitivum teget,
Bellique ſecum pondus immenſi trahet.
Obtritus anguis mole currentis rotæ
Magnâ reſectus parte, quâ linguam exerit,
Quâ ſibilat, tamen anguis eſt, illâ time.
SYR. Nō prompta coëunt arma? nō miſero incūbat
Rediviva Perſis? quæ peragrabit juga?
Quod antrum inibit? conde ſideribus caput,
Sequar, & in ipſum tela jaculabor Iovem.
Ferrum ſatelles, ſiſte vel vitam, aut fugam.
Rectà ad Tyrannum: Satrapa is fuerit mihi
Qui primus atrox merget in Lethen caput.
Hàc eſt eundum, ſceptra ſic pulchrum eſt ſequi
Ni ſponte veniunt: eſſe plebeium reor
Sine cæde patriis laribus hæredem dare.
Cruore emuntur regna, quæ jure obtinet
Rapit ille: per malum aliquis ad fontem mali
Eſt ſemper aditus, rarus ingreditur piè.
Sed ne quis orbem caſus Arſacium opprimat
Sceptra occupentur, parva privati ferunt
Momenta rebus, fata de ſolio tonant.

CHO-

Dulcem libertatis auram reſpirant captivi, & præteritorum malorum recordatione patriæ deſiderium acuunt.

CHORVS CHRISTIANORVM.

O Quàm grata quies venit
Duris empta laboribus!
Quàm pulchrâ face Delius
Cœlo poſt tenebras micat!
Lætam non ſatis æſtimat
Sortem, quem mala non premit.
Cui ſemper fuit optimè,
Non ſemper fuit optimè.
Frangit ſe ipſa ſibi gravis
Faſtidita beatitas;
Et quæ pellere nititur
Non experta vocat mala.
O ſalve Solymæ redux
Libertas popularibus!
Eheu quò bona fugeras?
Nodo artus adamantino
Strinxit ſæva neceſſitas,
Et gentem obſequii rudem
Crudeli domuit jugo.
Hic nos turba coërciti
Vno plurima vinculo,
Frontem ſtigmate nobiles,
Nudi crura, toros, caput,
Iuſſi congerere urbium
Moles montibus inviis.
Pars telluris in abdita
Dextras mittere viſcera;
Quò non ulla dies eat
Audaces penetravimus.
Reſponditque cavantibus
Echo languida tartari.
Pars immite ligonibus
Exercere ſolum, aut agris
Lecti ducere limites.
Pars vepreta per, horridis
Porcis quærere paſcua,
Concuſſaque retorridas
Grandes ilice ſternere.
Invidi quoties tibi
Heu! mi grex, epulo famem

Deceſſiſſe parabili ?
Dum latrantia barbarus
Audiret ſatur ilia,
Et nigræ Cereris ſtipem
Parca porrigeret manu.
Quod ſi ſpem teneri gregis
Tellus falleret arida :
Ni pleno ſatis ubere
Mulctram bucula tingeret,
Irâ, verbere, taureis
Prati damna repoſcere
Paſtorem ferus inſtitit.
Nam raptas pecudes lupo,
Amiſſáſve per avia
Solâ morte piavimus.
Tantùm, proh Superi ! in pares
Sævit par homines homo,
Nec ſe poſſe pati videt
Probrum quod facit alteri.
Latâ nempe capedine
Felix à miſeris abeſt ;
Vtque eſt quod fuimus, nequit
Idem quod ſumus effici.
Ergo lumine proſpero
Hac paſſos Deus aſpice,
Culpaſque irreparabili
Clemens obrue pumice.
At nos, ô ſocii, mala
Obliti, auſpice pergimus
Felici ter & ampliùs
Trunco vivificæ arboris.
Hîc noſtrum inclyta fontibus
Pædorem abluet Emmaüs.
Hîc per tabida vulnera
Vndis Callirhoë fluet
Non ignota ſalubribus.
Et tu non ſemel accolâ
Iordanis miſer exule,
Lætos ambitioſior
Pandes indigenis ſinus.
At poſtquam Hiericontia
Palmas æquora miſerint :
Ter ſanctos Solymæ locos,
Seu quos voce ſacraverat
Pandens Chriſtus iter polo :
Seu quos arce Sioniâ
In myſteria legerat :
Seu quos urbe, foris, agris

Digitized by Google

Fractis debilis artubus,
Aut durâ Cruce pendulus
Quino fonte rigaveras,
Tot libabimus oſculis
Quot Cedros Libanus parit:
Mons baccas quot olivifer;
Quot Iudæa opobalſama
Sudat cortice ſaucio.
Pergamus, ſocii, duce
Fauſtâ ter quater arbore.

ACTVS QVARTVS.

ARGVMENTVM.

VT ergo aditus ad regnũ omnes fratri intercludat, de ſuorum conſilio Regem ſe patrio ritu inaugurari tumultuariè permittit. Quas inter cæremonias retractum è fugâ Patrem, cum Mardeſane, & vinculis conſtrictum nuntiatur. Eos confeſtim furore præceps, & amentiâ, cum Vologeſe fratrum natu minimo, & Cardarigâ ſene ſapientiſſimo in carcerem, cui Lethe nomen, ab ipſo Choſroë ædificatum, abripi jubet.

SCENA PRIMA.

Tumultuariò quidem, ſed tamen ex vetere Perſarum ritu Regem ſe inaugurari permittit Syroës.

SYROES. RAZATES. SANDOCES. STASANOR. HOMOTIMI.

QVàm fœda regni forma, quàm fuſo Atropos
Inauſpicato duxerit ſtamen patris:
Vt in iſta victor templa meditetur viam

Romanus, utque Perſidi afflictæ incubet
Avarus, irritatus, irarum impotens,
Veſtras ad aures, Satrapæ, fama attulit.
Prohibendus ignis antè veſani furor
Quàm noſtra cupido tecta populatu voret.
Rex poterit unus ponere his obicem malis :
Vnum renata Perſis agnoſcat caput,
Sciat perenni regium Cyri genus
Sedere ſolio ; ſubditus dominum colat,
Ducem ſequatur miles, officio pari
Rex imperare certet, ac Perſa obſequi.
Quis ſenſus animo, Principes, veſtro ſedet ?
RAZ. Columen ruenti nobile imperio dedit
Sollicita Mithræ cura : non aliàs favor
Superûm æquiore patriam fovit manu.
Quæ decora laudum Syroë, quas grates feram ?
Vltrò rogari dignus ad regni mala
Intendis animum : læta poſt vitæ otia
Avidas laboris admoves ſceptro manus.
Natura quò te, quò vocat nutus Deûm,
I, ſequere, Princeps, ſi preces Procerum valent,
Regna rogatus : ſin minus, regna tamen.
SAND. Sic fata Syroë poſtulant : regno ſatus
Capeſſe regnum : tempus haud patitur moras
Inire ritus, ſumere augurium ſine.
SYR. Sino, quando poſcunt fata, Pontifices jubent.
Voto coactus publico, regno caput
Suppono : in iſtos pondus Atlanti grave
Incumbat humeros : otia, & menſæ, & joci
Valete, Syroën pulcher abſorbet labor,
Perîclum in oſtro, toxicum in gemmâ datur.
STAS. Quod nomen ambis ? quiſve Surenæ vicem
Diadema capiti imponet ? SYR. Antiquum placet
Servare nomen : Inclytum fungi potes
Razate munus, vertici ornatum dabis.
SAND. Mittenda primùm vota quò faveat polus.
Mithra Divûm, Mithra mundi, Mithra Perſarum decus,
Ter vocatus, ter rogatus, ter bonus votis ades.
STA. Tuq; belli Diva præſes cincta quæ terroribus
Sternis arva, ſternis urbes, læta Perſas aſpice.
HOMOT. Mithra Divûm, Mithra mundi, Mithra Perſarum decus,
Tuque belli diva præſes læta Perſas aſpice.
SAND. Cernis ut caliginoſa Perſidem nox obruit,
Sole rapto tecta ſqualent lacrymoſis imbribus ?
Inde cædes, inde prædæ, quàm propè infandum chaos !

Redde

Redde primæ dona lucis aureum Cœli jubar.
HOMOT. Mithra Divûm , Mithra mundi , Mithra Perſarum decus.
Tuque belli Diva præſes frange vires Romulas.
STA. Hoſtis Artæas phalanges diſſipavit barbarus,
Iamq; victor, jamq; crudus imminet tectis Deûm.
Mitte pallores in hoſtem, mitte terrores, fugas.
HOM. Alma belli Diva præſes, læta Perſas aſpice.
SAN. Perdidit tellus colonos, aret in culmo Ceres,
Succus uvam, prata flores, lympha fontes deſerit:
Redde telluri colonos, floreat culmo Ceres,
Succus uvam, prata flores, lympha fontes impleat.
HOMOT. Mithra Divûm , Mithra mundi , Mithra Perſarum decus.
STAS. Patre luget orba Perſis, poſtulat miles ducẽ,
Aula Regẽ, ſceptra dextrã, Cidaris inquirit caput:
Alterum patriæ parentem, militi dona Ducem,
Aula Regẽ, ſceptra dextrã, Cidaris inveniat caput.
HOMOT. Alma belli Diva præſes , bella Perſis ſummove.
SAND. Choſroën repone Cœlo, nec ſolo Syroëm invide.
Choſroën Syroës reponat patre melior optimo:
Sic tibi cervice nivei mille paſcantur greges,
Aureoque ſæpe condy bacchicus ſpumet latex.
HOMOT. Mithra Divûm , Mithra mundi, Mithra Perſarum decus.
STA. Choſroës Cœlũ gubernet, terra Syroën eligit:
Choſroën Syroës reponat patre major maximo:
Sic tuis victus trophæum pendeat Græcus tholis,
Barbaruſque purpuratas ſanguis aras irriget.
HOM. Alma belli Diva præſes, læta perſas aſpice.
SAND. Audimur, aſtris Iuppiter lævum tonat:
Fas ire & ultrà. Candyn hunc Cyri indue.
HOMOT. Privata Cyrum veſtis amabili
Decore cinxit, diuque fauſtitas
Ad alta rerum vexit, imis
Arſacidum, ſuperiſque gratum.
O ſi Monarcham te Syroë ambiat
Privata Cyri gloria! Perſica
Si tantus auges regna, ſalve
Omnis Achæmenidum voluptas.
STAS. Mos patrius edere ficuum maſſam jubet.
HOMOT. Non ulla citatior arbos
Fruges maturiùs effert:
Non ulla ſuavior arbos
Fruges dat amabile munus.
Tu primo flore juventæ

Dulciſſima cura Deorum
Maturus regna capeſſe
Cyri clementior ævo.
SAND. Acuunt palatum gravia, terebinthum vora.
HOMOT. Præpete frondes terebinthe comâ,
Nec morientis ſenium autumni,
Nec pater hyemis boreale gelu
Decutit aureos frondis honores.
Æterna tuo Syroë virtus
Succo vigeat, quam non violens
Rebus iniquis fortuna ruat;
Non & nimio marcere adigat
Eâdem læti ſideris æſtu.
STAS. Acidi hauriendus eſt ſuper lactis calix.
HOMOT. Pota lactis acorem,
Miſce dulcia amaris:
O ne fide colori!
Candent plurima mœſta:
Mors eſt concolor oſtro.
Tutus non ſedet omni
In cervice tiaras:
Plus eſt inſipidum lac
Quò plus dulce putatur.
SAND. Converte Phœbi vultũ in orientis plagas.

SCENA SECVNDA.

Sic occupato patrem cum fratre è fugâ retractum nunciatur: eos ergo in carcerem detrudi imperat.

COSMAS. SANDOCES. SYROES. SARBARAS.

VRbem Seleuci, an tuta caſtrorum novus
Ingredior hoſpes? ſequitur à tergo furor
Quacunque fugio bellicus, planctus ſonant,
Aptantur arma. Fallor? armiſonæ Deæ
Funditur ad aras populus? agnoſco ordines,
Hinc Satrapûm, illinc ſacra Pontificum cohors,
Inde & Camilli fronde Phœbeâ comas
Vinxêre; Cyri Candyn, erecto arduum
Cono tiaram, lactis & ſinus ferunt.
Et ecce Syrois ſæva majeſtas caput
Super alta tollit agmina, effundens diem
Quantus minores Mithra deſpectat faces.
SAND. Turbare ſi quid advenis, jubeo procul

Exeſſe

Digitized by Google

Exeſſe ſacris.. COSM. Video, dejecto patre
Syroën coronant Satrapæ. O factum impiè!
SAND. Materia probri facilis eſt Syroës tibi?
SARB. Depone tragicos mentis indomitæ ſonos,
Arbitria Divûm ſequimur, in tuto eſt ſcelus.
COSM. Quicunque miſeros caſus Arſacidas gravat,
Quicunque regni decora præcipitat furor,
Eſt teſte Coſmâ dignus: iteravit nefas
Scythis inauſum Perſa, & attonito diem
Polluit olympo: Phœbus alipedes retro
Quàm penè flexit? SYR. Quiſquis es, luctûs novi
Effare cauſas. COSM. Genitor, heu! Princeps, tuus
Patitur catenas Choſroës, & quâ tulit
Potentia manu ſceptra, jam vincla induit.
SYR. Certúſ-ne latebris erutum patrem refers?
COSM. Et vidi, & hauſi lumine hoc tantũ ſcelus,
Et adhuc ſuperſtes vivo. SYR. Regnamus, viri;
Satrapæ, imperamus: Choſroës noſtrâ in manu eſt.
Felice tutas arte diſpoſui plagas.
Quæ melior unquàm venit in caſſes fera?
COSM. O Mardeſane! ô Choſroë! SARB. Incaſsùm invocas.
Depoſita res eſt: Choſroës ſtetit hactenus
Regis cadaver: melior aſcendit thronum,
Qui ſi imperarit, Choſroëm hac rapiam manu.
Solus potes damnare quod cunctis placet?
COSM. Faciendo tu ſuadere didiciſti nefas?
Poſt parricidium innocens etiam fores,
Niſi me vocares ſceleris in partem tui?
Tu facinus illud Sarbara? tu Choſroën
Ingente victum vulnere affliges ſolo?
Hæc ſuſtinebis ora quæ gentes tremunt?
Quid fida comitum turba? quid Procerum cohors?
Quid Mardeſa ipſe? filiorum per latus
Pater eſt petendus? vita Vologeſi innocens
Ferire prohibet: ſit reus genitor, nihil
Meruêre nati. SARB. Stulta te pietas movet,
Occide, vel morere; pium eſt quodvis ſcelus
Quod Perſis urget tota, quod Princeps jubet.
COSM. Quid Dii? SARBA. Quieſcunt. COSM. Quid perennantes ſtyge
Ignes propinquâ? SARB. Fabulæ. COSM. Quid Mardeſa?
SARB. Quid Satraparum turba, quid Syrois favor?
COSM. Natura ubi es, ſi quicquam es? ô aſtra! ô Dei!
Hoc lentè pateris Iupiter? Mithra aſpicis?
Nec fugis in ortus, nec remetiris diem?

SYR.

SYR. Sat eſt furoris, quam vocas mortem dabo,
COSM. Adſum, experire barbarus ſi quid furor,
Horribile, dirum, Tartaro nondum extulit.
Nimis recente Choſroës fato docet
Quàm vita nil ſit ; Patria me miſeret tui,
Romana pietas quem foves hoſtem ſinu
Tollere laborat, & placet domini jugum ?
Bellatur etiam Perſa carnifici ſuo ?
SYR. Etiam rebelli militem tentas metu ?
Manibus revinctis, miles, hoſtili objice
Procul hinc phalangi, barbaram ſatiet ſitim
Avidam cruoris, & truces placet Deos.
Generoſa ſocii corda, nunc animis opus,
Nunc irruendum eſt : non habet veniam ſcelus :
Fortuna neque ſe reddet. SAR. Et trahimus moras
Satrapæ ? irruamus, claſſicum pugnæ dedit
Peragenda Syroi, quicquid eveniat, ſalus,
SYR. Quæ decora laudum ferre, quas fidum caput
Parabo grates ? ô quater fauſtum diem
Qui me ſaluti reddit, atque auras jubet
Spirare tandem liberas ! juro Deos
Regno faventes, nulla me immemorem boni
Videbit ætas : pars minor facti eſt ſuper :
Profugus tenetur, horridam per vos gemat
Datus in cataſtam, vacuus eſt Lethe locus,
Natoſque, & aptum jungite inſidiis Senem :
Perimere catulos genere de pravo ratum eſt.

SCENA TERTIA.

SYROES

Patri, fratribuſq; quid in carcere patiendum ſit iratus pronunciat.

AD opaca Lethes antra, funereos ſpecus
Vtrumque juſſus fortiter miles rapit :
Vbi tenebroſæ noctis æternum chaos
Lux nulla frangit, manium exululant ubi
Lemurumque larvæ, quodque ſub Dite impium eſt.
Illic ſepultus fata præcedat ſua ;
Cruentus illic impiâ aggeſtas manu
Opes locavit : ſanguis hic inopum latet,
Medulla regni, ſuccus everſi ſoli,
Spoliarium orbis : vindicem juro Mithram,
Parcâ beatus Cerere, & egelidâ diem
Producet undâ ; ſi quid adjungi rogat,

Pretioſa

Digitized by Google

Pretioſa gazas potet exſuctas ſitis,
Satietur auro pauperum : hâc pœnâ lubet
Placare manes : ipſe ſupplicium ſibi
Sit avarus animus ; Tantalo qualis fugax
Illudit unda, frugis & dives bonæ
Vetitus perennem truncus exacuit famem.

CHORVS

Divinam in puniendo Choſroë providentiam admiratur.

SPartana qualem Taygeti jugis
Aprum fatigat vis melior canum,
Fruſtrà ille curvi tela dentis
Aſperat, horribileſque ſetas :
Hinc vulneri, hinc latrantibus undique
Impar timeri, cedere rictibus
Iam laſſus indignatur, & ſe
Triſtè gemens numero ſubactum,
Dat membra letho. Barbara Choſroëm
Talis catenis implicuit phalanx,
Et voce fruſtrà fulminantem
Abripit in tenebras Tyrannum.
Fallor ? revulſo cardine panditur
Obliviosi janua carceris ?
Suique per fati rigorem
Fata rapit pater in ſuprema
Vtrunque natorum ? Eſt Deus, eſt Deus
Humana cernat qui mala perſpicax,
Fortique contundat lacerto
Serus, at intolerandus ultor.
Vides ut atris exululat cavis
Lethes, dolorum Dædalus artifex,
Paſſuſque quod fecit ſepulcrum,
Expiat immeritas perire
Tot ſolus umbras ? Sicanio prior
Perillus olim ſic bove mugiit,
Et civium in tormenta ſolers
Primitias tulit ignis auctor.
Quas hoſpitali ſanguine tinxerat
Buſiris aras, ipſe ſuo eluit :
Iuſtuſque equis vindex cruentis
Threïcium appoſuit magiſtrum.
Hîc Choſroës, hîc eruta pauperum
Nuper medullis gaza tenacibus
Æquâ ſedebunt ſede, pœnam
Ille gravem, ſcelus hæc queretur.

Digitized by Google

Litem ſeverus finiet arbiter:
Vos plebs ſine auro vivite, hic obrutus
Suâ fatiſcat ſub rapinâ,
Supplicii pretioſus emptor.

ACTVS QVINTVS.

ARGVMENTVM.

IN eâ tenebrarum indignitate Patrem pane & frigidâ ſuſtentat Syroës, cum dicto; *Comedat aurum: quod incaſſùm collegit, propter quod etiam multos ſame necavit, mundumq́; delevit.* Deinde reorum unumquemque ſingulatim præconis voce ad Tribunal citat. Et Cardarigam quidē, tanquàm tyrannicæ crudelitatis adminiſtrum: Mardeſanem verò ut regni ſibi non debiti raptorem, capitis condemnat. Vologeſem autem innocentiſſimum puerum in oculis parentis oculis privat. Choſroëm denique poſt longam ſcelerum recenſionem, Satraparum opprobria, truncum Mardeſanis caput in ſinum ingeſtum, ad palum alligari, & ſagittis configi imperat.

Digitized by Google

SCENA PRIMA.

Fortunæ ſuæ mutationem Choſroës abjectè, & muliebriter, quod ſuperbi & felices ſolent, lamentatur, ſolante Cardarigâ ſapiente, & ipſo vincto.

CHOSROES. CARDARIGA.

Fortuna, credis? Choſroës hic eſt tuus?
Rex ille Regum Choſroës, cui ſubditus
Famulatur orbis, nutus elementa attonat?
Ego ſum? catenis Choſroës preſſus gemo?
CARD. Humana quereris, quicquid eſt, intra ſtetit
Mortalitatem: dira, truculenta, impia,
Confuſa lætis artifex tellus creat;
Homo eſſe non vult, eſſe qui refugit miſer.
CHOS. Ego quà renatū Phoſphorus pandit diem,
Vel quà cadentem Tethys oceano excipit
Mortalia inter æmulum Mithræ jubar
Sublimis oſtentabam, & è regni æthere
Severa victæ jura naturæ dabam.
Iam tenebricoſâ Choſroës Lethe gemo?
CAR. Vnum eſt malū, iſtæc eſſe quod credis mala:
Nil miſerum habebit qui putat miſerum nihil:
Fortunam utramque mentis arbitrium facit,
Ferendo mollit dura, lugendo aſperat.
CHOS. Vnde hoc timerem? quis gigantæos mihi
Prædixêt auſus? raptus è Cyri throno,
Rerum ſuperbo culmine, è gremio Iovis
Patior tenebras, vincla, lethæum chaos?
CARD. Inopina graviùs tela ſecurum petunt:
Semper timendum, accidere quod poterat ſemel,
Rex magne, monui cautus. CHOS. Et regē vocas?
Nimis eſt fuiſſe. CARD. Dixeram, natum cave,
Omni venenum vipera inſtillat ſinu:
Fallace vultu luſit, & blando furens
Sermone facili pectus implicuit dolo.
Confide ſceptris, quæ per hæredum manus
Lapſu vagantur præpete, & nullâ fidem
Servante dextrâ, quà nitent ſubitò avolant.
CHOSR. Ego ille vaſtis pelagus inſanum potens
Tabulare ratibus, cui Semiramiâ jocus
Suſpendere hortos arte, & immenſo æthere
Per vacua ſolidum ſpatia metiri ſolum:
Cui prona pando Tethys aſſyrios ſinu

Succos

Digitized by Google

Succos vomebat, cujus ad nutum cadens
Captiva ab aſtris ales imperium tulit,
Viduus bonorum nocte ſub triſti gemo.
CARD. Volventis iſtæc Choſroës ſortis bona
Tenuiſſe poteras, qualia amitti queunt:
Numquàm ſtetêre proſperæ mundi vices.
Poteſt cavere, ferre qui caſum poteſt.
CHOS. Dubiáſ-ne Syrois faceret has gazas ſcelus?
Nati in catenis Choſroës genitor gemo!
Et illa fati pars erat; fieri poteſt:
Quin adde, fieri debet, ita fatum tulit.
Quàm longa vivi funera extendet patris?
Quando mori vetabit, ut jubeat mori?

SCENA SECVNDA.

Vinctis panem & frigidam Satrapæ contumelioſi offerunt.

PACORVS. PHARNACES. ARAMANES. CHOSROES. VOLOGESES. CARDARIGA.

Ne fallat oculos ullus, aut cœcâ exitum
Rimetur arte. PHAR. Nempe quis ſe ſe mihi
Componat Argus? undique, & totus vigil
Speculabor oculis omnibus ne quà exeat.
Regifica menſæ fercula, & lautas dapes
Apporto Regum Magne Rex, veſci placet?
CHOSR. Scelerate lixa. ARAM. Perfici auguſtum Iovis
Libo Ganymedes poculum: labris viden'
Vt ſpumat altè nectar? ad menſam, ad dapes,
Age ad catinum, pauca naturæ placent.
CHOSR. Me pane Syroës? frigidâ Syroës alat?
ARAM. Quid ſi quietum corpus humores gravant?
Quid ſi podagram Bacchicus ſanguis ciet?
Sapienter hercle qui patrem de ſe æſtimat.
CHOSR. Inter vomendas ſus ſaginatus dapes
Inane cruſtum, frigidam mittit patri?
PHAR. Spero hos ciborum condiet miſſus fames.
Numquã eſuriſti. CARD. Miles, etiam umbrã facit
Regis cadaver Choſroëm afflictum time;
Quò fata vergant neſcius, parce obloqui.
VOLOG. Aramane cyathum porrige, areſcit ſiti
Violente guttur. CHOSR. Feceris fili cave.
ARAM. Et hoc vetas crudelis? VOLOG. O genitor ſine,

CHOSR.

Digitized by Google

CHOSR. Tibi parricida proſit ? apage hæc ocyùs :
Ite ite Stygios vaſa quæ fertis lacus,
Et tu caminis cocta Tænariis Ceres,
Syroëm occupate, melior in Syroë locus
Inter cruentas regii luxus dapes.
Vos adminiſtri ſcelerum, Avernales manus,
Abite, quid vos demoror ? Tenebras volo,
Reddite tenebras, nil videre mihi lucrum eſt,
Sed nec videri. PHARN. Sed videri pervicax
Cogêre ; tenebras reddite, hoc unum impetret.
CHOSR. Occide potiùs, vulneri facio locum.
PHA. Mortē rogas pro gratiâ ? CH. Si quid juvas.
PHARN. Da pectus. CHOSR. Euge. PHARN.
Quo petis telo emori ?
CHOS. Quodcunque vitæ meliùs explorat ſinum.
PHAR. Vos patria teſtor Numina, hâc hoſtē manu,
Hâc dexterâ hoſtem teneo. Quàm ulciſci bonū eſt!
Age parricida, mortuus telo Sathin
Te mactat iſto. Dic tamen ; votum eſt mori ?
CHOSR. Cui vita periit, munus eſt vitæ exitus.
PHAR. Mortém-ne patris nomine, an fratris rogas?
CHOS. Vtriuſque, Mithram teſtor, hoc donū voco.
PHARN. Et donum ab hoſte poſtulas? vitā irrogo.
CHOS. Inſide pergis? PHAR. Parta jam parta ultio:
Vbi eſtis umbræ fratris, & manes patris ?
Reperi tyrannus quod diu nolit pati :
Video quod orbis optat, exoſum ſibi,
Mori rogantem Choſroëm, & vetitum mori.
PACOR. Secede miles, Principis paret cohors.

SCENA TERTIA.

Syroës ad judicium de reis exercendum ſe comparat.

SYROES. PACORVS. SARBARAS. RAZATES. PHARNACES.

REum ad tribunal Pacore. PACOR. Quem primum jubes ?
SYR. Volo Cardarigam. PAC. Voce Præconis cito.
SYR. Homines, & aſtra teſtor, & te quæ igneo
Nemeſi flagello ſontium tergo immines,
Invitus huc movi reluctantem gradum.
Ferale pietas carmen effari vetat,
Interna ſed vis urget, impellit, rapit.
Ignoſce regni Sanctitas, ſanguis meus,
Sævire cogor : actus hoc ſtimulo, meos
Lacerem ipſe ego artus, quolibet dentē imprimam:
Quiſquis Deorum hoc imperas, iratus es.

SARB. Quò flectis animum? quò cadit juſtus vigor?
Mors nulla ſatis eſt ſcelera quæ tanta expiet.
SYR. Mors una nimis eſt ſcelera quæ nati augeat,
Patris expiando ſcelera. SARB. Te cogi puta.
SYR. Pius ergo Syroës eſſe, nec ſi vult, poteſt?
RAZAT. Non tu ſceleſto funus intentas patri:
Deus eſt; miniſtram commodas dextram Deo.
SYR. O fata, famulus perago parricidium!
RAZ. Nullũ eſt, vel omne qui jubet, peragit ſcelus.
SYR. Aſtræa ſi quid poſcit, hoc alii exigant.
PHARN. Fac ipſe ab aliis rite quod fieri putas.
Timere decuit antequam vinclis dares,
Nunc cauſa ferrum poſcit, urgendum eſt opus.
RAZ. Leva catenis noxias, princeps, manus
Vitæ & ſaluti redde, quid tutum tibi
Nobiſque linquis? quàm procelloſus rapit
Arſacia turbo ſceptra? Dii avertant nefas!
SYR. At nemo veſtrũm fratrẽ habet, nemo patrem
Ita judicandum ſanguinis fontem ſui.

SCENA QVARTA.

Cardariga Syroï ſiſtitur pro reo, ſed is innocentiam ſuam egregiè tuetur.

PRÆCO. CARDARIGA. MARDESANES. PACORVS. SYROES. SARBARAS. RAZATES.

AVdite vincti, Cardarigam, regium
Cito ad tribunal. CARD. Ibo, moriendũ ſemel.
Valete Reges; rapior ad mortem innocens.
MARDES. I præ, ſequemur, video jam pietas abit,
Non ponet in te parricidalis furor.
PACOR. Quem poſtulaſti ſiſto ſub vinclis reum.
SYR. Quâ ſpe tribunal ad meum accedis reus?
CARD. Quâ ſpe innocentes juris arbitriũ petunt.
SYR. Vitam innocentẽ parte quâ primùm probas?
CARD. Primùm, & supremùm vita ſe Regi probat
Innocuam ab omni parte. SYR. Cui Regi probat?
CARD. Tuo parenti. SYR. Qui tibi rex eſt adhuc?
CARD. Vt tibi pater adhuc. SYR. Satrapis & te probas?
CARD. Servus probari debet in Domini fide.
SYR. Domino fidelis nemo ni ſervos amat.
CARD. Domino fidelis nemo qui ſervos amat
Quos Dominus odit. SYR. Odia confeſſus, ſile.
CARD. Odiſſe, amare Satrapas, Regum optio eſt,
Arbitria ſequimur veſtra. SYR. Noſti apices? lege.
CA. Apices parẽtis video. SY. Quid tandẽ jubent?
SARB.

SARB. Lege Satraparum carnifex, regni lues,
Enſis tyranni, Sarbaram, Aramanem vide,
Coſinamque, Rhadamiſtumque, & Artabano ſatos
Ad fata poſcunt litteræ. CARD. Infidos ſibi
Tolli jubebat Choſroës. SARB. Mundi pudor,
Nos infideles Regibus, lethi hoſtiæ?
At tu adminiſter cædium, Regni popa,
Tu fax furoris, vernula Tyranni comes
Spiras? & altum de triumphatis paras
Satrapis trophæum? RAZ. Veniet & noſtro additus
Syroës periclo, quando ſpeculator vafer
Tuum perenni cinxit obſequio latus,
Emptus Tyranno. CARD. Natus ut coleret Patrē.
RAZ. Vt ſycophanta filium objiceres patri.
CARD. In regna ne quâ parte peccaret tuis
Syroës adactus fraudibus. SYR. Mentis meæ
Noras receſſus? CARD. Mente ſcrutabar bonâ.
RAZ. Bona mens Tyranno filium prodit patri?
CARD. Vos perduelles principem mentis bonæ
Sceleri Tyranno proditis, veſtram improbi
Ruina fraudem ſequitur, & blandum pio
Inſtillat animo toxicum, pulchro necem
Propinat auro. Moneo, ſi monitis locus,
Prædico Syroë, falleris ſpecie boni;
Lactando mordent: aulicæ frontis decor
In ima facili dulcis allapſu ſubit.
SYR. Etiamne Reges ultimus terræ nepos
Monere dignus? huc abi, Pacore alterum.
PACOR. Terni ſuperſunt. SYR. Regulū dico, Siræ
Meretricis anguem. PACO. Mardeſam Præco cita.

SCENA QVINTA.

Mardeſanes admiſſi, quamquàm invitè, imperii reus ſiſtitur.

PRÆCO. MARDESANES. CHOSROES. PACORVS. SYROES. CARDARIGA.

AVdite vincti, Regis ad ſolium, reum
Cito Mardeſanē. MARD. Genitor extremū vale.
Ad dira mortis rapior. CHOSR. O lumen meum,
Ego te peremi, amare non poſſum innocens.
MARDES. Ego nec amore genitor innocuus fui,
Tibi has catenas indidi. PACOR. Et nectis moras?
CHOSR. Cave parricidæ ſupplices, mentem indue
Te, meque dignā. MAR. Sic mori quantū eſt malū!
PACOR. Natum Tyranno cernis, & germen Siræ.
SYR. Sceptri poteſtas ecquid Arſacii placet?

MARD. Si ſceptra poſcis, reddo, quæ invitus tuli.
SYR. Ignem eſſe neſcis ſceptra? contactu nocent.
MARD. Sentio vel ex te, ſceptra tetigiſti, æſtuas.
SYR. Quo jure tu autem? MARDES. Patris imperium dedit.
SYR. Quis ille vertit jura naturæ pater?
MARDES. Tuus, meuſque ſanguinis judex ſui.
SY. Hoc facere potuit liberè? MAR. Vt fieri pater.
SY. Onus & ſubiſti dulce. MAR. Et invitus quidẽ.
SYR. Cepiſſe ſcelus eſt. MARDES. Qui dedit, credo luet.
SYR. Sceptrum à tyranno capere tolerandũ putas?
MARDES. Tanto patri placere laudandum negas?
SYR. Poteſt placere tam malo virtus patri?
MARDES. Malum parentem natus appellat pius?
SYR. Pius tuetur impium natus patrem?
MARDES. Quis me paternæ judicem vitæ facit?
SYR. Quis te paterni ſceleris exortem facit?
MARDES. Sibi parentes, liberi peccant ſibi.
SYR. Nimiùm frequenter liberis peccant patres.
MARDES. Quid peccat in me Choſroës? SYR. Quod eſt pater.
MARDES. Quo patre cretus Choſroëm mihi exprobras?
SYR. Quâ matre cretus exprobras patrem mihi?
MARD. Si dant parentes vitia, plus patris tibi eſt.
SYR. Vtroque vincis. MARDES. De tuo adjunges nihil?
SYR. Teque, & Tyrannum funere involvam pari.
MAR. Hoc jam occupatũ eſt: ſuſtulit patrem pater.
SYR. Reus reum ille, tollo ego vindex malum.
MARDES. O parricidam, Cœlites, juſtũ & pium!
SYR. Et probra fundet dedecus mundi puer?
Moriere monſtrum. MARDES. Majus eſt monſtrum necans
Frater, necato fratre. SYR. Quod vitæ eſt ſuper
Impende morti. Pacore cum catulo feram
Mihi ſiſte demùm. MAR. Scelera diſpone ut lubet,
Paras ſtupenti triſte naturæ chaos.
CARD. Germen parentis aureum, ſanguis Deûm,
Mactè eſto mente regiâ: hoc lethi rigor
Demitigatur pectore, huic vana incidunt
Tormenta rupi; jam mihi Cyri es nepos,
Genus Saporum. MARD. Nempe cum regno dedit
Pater invidentem poſſe fortunam pati.
Perimat Tyrannus, debeo fatis caput,
Dabo feritati; Mardeſam Syroës necat,
Sed non inultum, ſi quis eſt Cœlo Deus.

SCE-

SCENA SEXTA.

Ipſe tandem Choſroës ad filii tribunal rapitur, & à Satrapis accuſatus, audit capitis ſententiam in ſuos ferri.

PRÆCO. CHOSROES. VOLOGESES. SYROES. MARDESANES. RAZATES. SARBARAS. CARDARIGA. PACORVS.

AVdite tenebræ. Choſroëm, & natum cito
Magnũ ad tribunal. CH. Cęteri letho occubant?
PAC. Propera, videbis. CH. Pone tot lacrymis mo-
Inire non jam mortis incœptas viam : [dum,
Quæ prima vitæ eſt, nuntiat mortem dies.
VOLOG. Iam tu bonorũ, genitor, & vitæ es ſatur :
Ego prima libo gaudia, & ducor miſer. [lues?
CHOSR. Ten' parricida video? SYR. Ten' mundi
CHOSR. O ſol! ô aſtra! vivit? & quiſquã eſt Deus?
SYR. Deos tyranni vivere in vinclis probant.
CHOSR. Pollute Mithra, provehis Cœlo diem?
SYR. Liber tenebris invides mundo diem?
CHOSR. Dehiſce tellus, non dabis monſtro viam?
SYR. Dabit ubi averno teque, natoſque auferet.
CHOSR. Meus ille ſanguis? hoc ego effudi ſcelus?
SYR. Tuum, Tyranne, ſcelera fudiſti in caput.
CHO. Monſtrũ hoc tuli natura? SY. Væ capiti tuo.
CHOSR. Patricidam ut habeant ſecla? SYR. Num tute aſpicis?
CHO. Genui ego ut eſſet perderet qui me & meos?
Me vincla, vinclis meque plus famuli gravent,
Et hoc furente patiar à nato nefas?
SYR. Tuâ dolebat talis Hormiſdas manu
Periturus olim, cecinit hæc moriens tibi.
CHOSR. Sat eſt furorum, ſi quid humanum ſapis,
Effare, quæ te cauſa patricidam facit?
SARB. Nova, an vetuſta ſcelera memorari jubes?
Cur genitor olim cæſus Hormiſdas tibi,
Sanctumque agreſti fuſte pulſatum latus?
Meminiſtin' uſque cùm ſub aſpectu patris
Tenella proles, conjugis cùm per ſinum
Cruenta conjux flueret, & Regum inclytos
Divideret artus ſerra? regales cruor
Aſperſit oculos, membra non lavit pater.
Scis quâ paternum lumen effoſſum manu?
Medio exulavit vivus Hormiſdas die,
Noctemque genitor præcocem à nato tulit.

CHOSR. Baramis illa factio, & Procerum fuit :
Hi me locarunt regio invitum throno,
Tum perduelles patrio extorrem ſolo
Egêre ad hoſtes : Choſroës Regum genus
Servo Barami ceſſi, & Auſonii jugum
Subii Monarchæ proditus. Tales tuo
Maleſane juvenis Satrapæ capiti incubant.
Ita dico Syroë, Sarbaras fors & tuus
Data ſceptra rapiet, tum polum accuſa & Deos.
SARB. Inauſpicatæ dire ſuccentor ſtrygis,
Lethalis augur Sarbaræ damnas fidem ?
Si læva poſcunt fata tam dirum nefas,
Syroë trucida, pectus en telo patet,
Me perime Syroë, rite præveniam Deos.
Sed ante monſtrum hoc mille confoſſum ictibus
Damnare averno patere, ſuccumbam lubens
Animi furentis ultus augurium procax.
SYR. Meliora fidum pectus : in fatum imminet
Hoſtile Nemeſis, vindicem ſpera polum.
Nec ille Syroi Sarbaram infidum dabit
Malè ominoſus augur. Aſtutè facis,
Futura narras ſcelera, præteriti reus.
CHOSR. Patricidium ſi vindicas cur tu facis ?
Sin fit licenter, cujus hîc aſto reus ?
RAZAT. Scelus vetuſtum ſcelere cumulaſti novo.
Iam nemo cæſum Choſroi accuſat patrem.
Diſrupta Latii fœderis cur pax tibi ?
Quæcunque Nilus amne fœcundo rigat
Populata rura, Bulgaris dextræ datæ,
Romana virtus ſupplici voto diu
Pacem rogavit ſpreta : Chriſtiadûm Deus
Noſtro è catenis ludicrum vulgo dedit.
CHOSR. Pretio redemptus ? anne gratuitam locas
Linguam Heraclio ? jura Chriſtiadûm aſſeris,
Galilæus ipſe ? SYR. Iuris alieni tenax
Et in hoſte, regno : fœderá Auſoniis fides
Vel nulla dederit, nulla vel frangat data.
RAZA. Quos tua malorum turbines regno excitat
Perfidia ? quantas funerum clades ciet ?
Pro te, vel in te ſedibus motus ſuis
Conjurat orbis. Choſroës mundi malum
Ad arma populos rapuit, & diram Styga
Commiſit aſtris ; dignus hic terræ Deus
Cui pereat orbis, cujus ad belli minas
Periclitetur terra ? quis Clymene editus
Funeſtiori perdidit mundum face ?
CHOSR. Permitte motas ſolus extinguam faces.
RAZ. Incendia hæc ſopire ? tu peſtem hanc queas?

Digitized by Google

Et jam Heraclium ſeptima furentem Ceres
Per noſtra patitur regna : Romano gemit
Subacta Perſis, oppida in cineres eunt.
Tellus colonis vidua ; marmoreæ Deûm
Nudantur aræ ; nullus Arſacio vacat
Cruore campus, hinc & hinc cæſa agmina :
Patriæque clades inter attonitus fugis
Generoſe Mavors, ignis extinctor tui.
CHOSR. Quid agerē iniquas ſortis expertus vices ?
SYR. Perfide, quid ageres ? obvium ferres caput
Contraque ſtares fata ; puduiſſet Deos
Hoſtem dediſſe Choſroi : æternum decus
Emeres honeſtâ morte, carnificis manu
Nequando meritæ dedecus ferres necis.
CHOSR. Ne parricida carnifex Syroës foret.
SYR. Ne Principum, ne carnifex regni fores.
Vbi Sarmanazar ? quis Sarablacæ latus
Transfixit haſtâ ? quàm propè à letho abfuit
Dux Sarbaſanus ? ſcripta carnifici tuo
Mandata cernis ? CHOSR. Perdere infidos jubet ;
Hæc exprobrantur mortis & vitæ arbitro ?
SYR. Aliena tandem arbitria patieris reus.
Populum favere præco ſpectantem jube.
CHOSR. Audite populi triſte naturæ probrum,
Natum parentis. PRÆC. Iuſſus, ô Princeps, ſile.
Adeſte populi. CHOSR. Sydera, & terram cita,
Vmbraſque averni. PRÆC. Paſce tu linguâ prior.
Audite voſque Satrapæ Heroum genus,
Et vos Seleuci tecta qui colitis viri
Favete linguis, Dominus & Princeps jubet,
SYR. Quod eſſe Mithra Perſidi fauſtum velit :
Ego Cardarigam facta confeſſum impia,
Et Mardeſanem ſceptra torquentem haud ſua,
Regni paternâ fraude raptorem mei :
Duo perduelles dico. CHOSR. Torpetis Dei ?
Nullúme juſtâ fulmen exiliet manu ?
SYR. Mora nulla, lictor capita ſcelerata amputet.
MARD. Vale ergo genitor : Frater æternùm vale.
CHOS. O nate. VO. Frater. CH. Nate dimidiū mei.
MARDES. Ergo moriendum eſt genitor. CHOSR.
Et puero, & pio.
VOLOG. Numquàm videbit ulla nos iterùm dies.
SYR. Videre longam ſperat & lucem puer.
CHOS. Te genui, amavi. SY. Sceptra donaſti mea.
CHOSR. Vt ſic perires ? MARDES. Fateor hoc
ſummum eſt mali,
Plus morte miſerâ mortis eſt miſerum genus.
CARD. Ingens mali hujus remediū innocentia eſt.

Digitized by Google

Hominem eſſe non eſt culpa : moriuntur mali,
Mortem imperando : cauſa cui vitæ excidit,
Is vixit. At tu quando moriendum eſt ſemel,
Generoſe Princeps, morere : perfectâ minùs
Ætate vitam habere perfectam potes ;
Hæc miſera mors eſt ſera quæ votis adeſt.
MARD. Beata vita eſt plena quæ mortē invocat.
Permitte diſcam vivere, ut diſcam mori
Cruente frater : quid mihi memet rapis
Violens ? ſequuntur tempus hi vitæ ſenes,
Ego antecedo. Perfide has olim procul
Spes offerebas ? SYR. Lictor actutùm rape,
Te Pacore primi cura ſupplicii manet,
Sequere nocentes : Mardeſæ evulſum caput
Refer huc citatus. PACOR. Spero confiet brevî
Quod juſta Regis ira, quod leges jubent.

SCENA SEPTIMA.

Choſroës ad ſagittas, Vologeſes minimus natu filius ad cæcitatem condemnatur.

CHOSROES. SYROES. VOLOGESES. PHARNACES. PRÆCO.

RAperis parenti Mardeſa ? ô fœtum in meas
Ferale monſtrum lacrymas ! nato potes
Orbare patrem ? ſolvere hoc vinclum potes
Crudelis ? SYR. Hoc eſt facere quod volui, doles.
Vici, eja. CHOSR. Partē ſanguinis, partem mei,
Animæque, memet rapere de meipſo potes
Patricida? VOLOG. Fratrem vanus accuſas pater,
Imperia noſter alia non faciet dolor.
SYR. Supra patrem infans pectore hic pleno ſapit.
Populi favorem Præco repetitum jube.
PRÆC. Audite cives, Dominus, & Syroës jubet.
SYR. Arbitria Divi juſta fortunent polo,
Seu qui benigno Numine aſpiciunt pios,
Seu qui nocentes angue tartareo domant :
Quando Tyrannus Choſroës Cyri thronum
Maculavit omni ſcelere, mactato patre,
Satrapis peremptis, fœderum ruptâ fide,
Sociis abactis, orbe populato undique,
Hoſte excitato gentis in cladem ſuæ :
Funditùs ab imo jura naturæ eruit,
Mihi regna rapuit, improbum germen Siræ
Ad mea vocavit ſceptra : quas ob res reum
Suâ peractum voce, condemno meâ :

Ego Syroës Rex Regum, & auguſti nepos
Hæreſque Cyri, Choſroëm regni luem
Incendium orbis, dedecus Cœli & ſoli,
Iubeo ſagittis corda transfixum emori.
Sed antè nati flere diverſam volo
Vtriuſque pœnam : Mardeſæ aſpiciat caput :
Luminibus orbus lumina excruciet patris
Vologeſus infans. Pharnace hoc cura, hoc age ;
Tela expediri Sarbara, atque arcus jube.
VOLOG. Dilecte frater, perperàm ſi qua innocens
Peccavit ætas parce, mi frater, mea
Syroë voluptas. SYR. Mitte dum jubeo preces
Nil profuturas. VOLOG. Per tuum, frater, caput,
Per cana patris menta, per malas meas
Quêis longa ſolitus baſia efflictim dare.
SYR. Properate famuli juſſa. VOLOG. Tabo livida
Patieris ora fluere ? pallentes genas,
Orbes cavatos, impiis circùm undique
Horrere tenebris, dirigi baculo gradus ?
Auctore Syroë tanta Vologeſes feret ? [rogas.
PHARN. Certum eſt, oportet ferre, nequicquam
VOLOG. Certum eſt? oportet dira proh neceſſitas,
Immanis, atrox, ſæva, truculenta, impia !
Vologeſe certum eſt, lucidum mundi jubar,
Ævique genium poſteri, & vitæ bona
Linquas oportet gaudia, & linquas puer.
PHARN. Vologeſe macte, cæcitas nulli bono,
Vidiſſe multis obfuit. VOLOG. Culpam orbitas
Quam punit in me ? PHARN. Patre quod natus
malo es.
VOL. Quid feci ? PH. Iniqua genitor admiſit tuus,
Meruit perires. VOLOG. Frater. SYR. Excœca,
effode,
Si plus repugnat. VOL. Non dabis dextram pater?
CHOS. Caucaſea rupes, pectus adamante invium,
Pueri innocentis te nihil fletus movent ?
SYR. Tu me innocentum lacrymis flecti doces ?
CHOSR. Nil dulce fratris nomen ? SYR. Infando
obrutum
Sub patre latuit. VOL. Vltimū eſt quod te alloquor,
Quod video genitor. CHO. Lux mea, voluptas mea,
Solare mentem, lucis eripitur jubar,
Sed ora fratris cernere, & mortem patris
Cogêre numquàm. VOLO. Lumina ſupremū mea
Pater oſculare. CHOSR. Nate me crucias, vale.
VOLOG. Oculi valete, lucidæ mundi faces,
Tuque alme Mithra, æterna nox oritur, vale.

SCE-

SCENA OCTAVA.

Mardeſanis caput ingeritur Choſroï.

PACORVS. SYROES. CHOSROES.

REx Magne, cæſum Mardeſæ cernis caput.
SYR. Bene eſt, refunde patrio natum ſuu.
I, & hunc coronâ verticem Arſaciâ preme :
Vis & rapaces non ſui ſceptri manus ?
CHOSR. Natura cernis ? fratre de toto caput;
De Mardeſane frater exanimum caput
Reddit parenti ! cernitis ô aſtra ! ô Dei !
Hoc Mardeſanis eſt caput nati mei ?
Cidari ſuperbum nuper erectâ caput ?
Et vivo ? & oculis video ? & attrecto manu ?
Et parricida vivit ? & mundo fidem
Elementa ſervant ? nulla nox terræ incubat ?
Et Dii timentur ? & Deos eſſe autumant ?
SYR. Tandem timendos Choſroës faciet Deos.

SCENA NONA.

Vologeſes excæcatus patris oculis redditur.

VOLOGESES. CHOSROES. SYROES.

VBi ſum ? quis ambit me locus ? quæ me plaga ?
Æterna nox eſt ? an dabit lucem dies ?
Hîc ſi quis es, da quiſquis es baculum, aut manum.
Te quæro. CHOSR. Siſte. VOLOG. Genitor hîc es, mi pater ?
CHOS. Huc ora verte. VOL. Te ſono inveniã duce.
CHOSR. Ah nate ! VOLOG. Tú-ne es genitor? CHOSR. In lævam manum
Incumbe fili. VOLOG. Mi pater fieri tuæ
Baculum ſenectæ debui, heu miſeræ mihi es
Baculum orbitatis. CHOSR. Sequere. VOLOG. Duc ergo ad necem,
Vel redde Lethen : duplica tenebras, dolet
Syroï videri quod queo. Ad Phœbi facem
Converte vultum. CHOS. Quid juvat fruſtrà polo
Narrare luctus ? VOLOG. Me tamen ſoli objice,
Audite ſuperi, tuque qui è ſpeculâ vigil,
Humana Phœbe facta Cœlitibus refers.
Vologeſus hic ſum, Choſrois magni genus,
Miſero miſerior patre : me noxæ inſcium,
Me nil nocentem lumine orbavit ferus

Patricida

Patricida Syroës ; non peto noctem impiam,
Non fulminantis vindices flammas Iovis :
Hoc peto, videre nulla det Syroëm dies,
Me videat, & ſe videat æternùm reus,
Suaſque tenebras paveat in tenebris meis.
SYR. Auferte monſtrum hoc, ora funeſtat mea,
Per cœca Lethes antra perpetuùm gemat.

SCENA DECIMA.

Choſroës demùm illuſus à Satrapis ad mortem rapitur.

CHOSROES. SYROES. SARBARAS. RAZATES. ARAMANES. PHARNACES.

AVdis cruente ? ſurda pueriles minas
Tetigiſſe credis Numina ? agnati ſonus
Clamat furoris fortiùs, quàm ſi ruat
Cœlum tumultu. SYR. Clamat Hormiſdæ cruor,
Deoſque toto vindices Cœlo vocat.
Aliena lentè fata luxiſti nimis,
Ad tua venimus. CHOS. Vnde tam ſubitò es pius?
SYR. Tot vindicare ſcelera pietatem negas ?
CHOSR. Patria præire vota pietatem voco.
SYR. Quæ vota? CHOS. Mortem. Cælites factū piè !
Propero parentem filius letho enecat,
Et munus hoc eſt, & pius facto impio eſt.
SYR. Quid ſi ſecari ſingulos artus placet ?
CHOS. Spem mortis artus mox ſecuturæ dabunt.
SYR. Si trahere vitam lumine orbatum impero ?
CHOSR. Videre ſaltem ſcelera non coges tua :
Tu me videbis. SYR. Choſroëm miſerum juvat
Facere, & videre. Satrapæ quiqui efferum
Paſſi Tyrannum, atrocem, inexorabilem,
Injurioſum, nunc probra ulciſci datur ;
Adeſte, adeſte, præviis miſerum undique
Mactate pœnis, nunc amœbæo ſonent
Clamore probra, reddite malorum vices.
CHOSR. Audere ſcelera Syrois exemplum docet,
Hoc facite Regi, quod facit natus patri.
SARB. Proh juſta Divûm Numina! ô tandē graves
Experta pœnas ſcelera ! vixiſti ſatis
Vt mala reponam : Choſroës hâc in manu eſt.
Caſum hunc timebas valida cùm Chalcedonis
Tentabam ariete mœnia ? infidus mihi
Lethum parabas : Sarbaras Grajâ ſtetit
Sub arce tutus, venit Arſaciâ necis
Rabies ab aulâ : me laborantem tibi,

Te

Te per perîcla capitis umbrantem mei
Crudo vorandum carnifex enſi dabas.
I, vive per me, quod queo ulciſci, ſat eſt.
Dicant nepotes, Sarbaram fidum ſibi
Tollere paravit Choſroës, regi probrum
Sibi reſtituto Sarbaras nullum intulit;
Hoc dignus irâ Sarbaræ non es ſtatu.
RAZ. Quid parcis hoſti? cauſa communis jubet:
Armanda ferro eſt dextra, ſi ferro poteſt
Cecidiſſe monſtrum: dedecus Cœli & ſoli
Modò vindicamus; quin damus comites Iovi,
Validoque primi pellimus pulſum impetu?
ARAM. Superi tremendũ Numen! innixus throno
Tonuit in auro Choſroës, Cœli fragor
Simulatus auro: rore mentito pluit;
Illinc pependit aurea aligerum cohors,
Suumque rigidis prodidit ſceptris Deum.
CHOSR. Sic eſſe placuit: illa quid ſpecies tibi
Aramane nocuit? quò laceſſitus furis?
ARAM. Cõmune probrũ eſt: ſydera, & Cœlum & Deum
Mentiris audax, nec times Cœlo abripi?
PHARN. Etjámne quâ re ſis nocens in me rogas?
Frater, paterque dicet, & longo nefas
Tranſcribet ævo. Stulte properaſti nimis
Germane: ô iterùm viveres! ô Choſroëm
Tibi puniendum Syrois integritas daret!
Quin manibus ora fodio? quin linguam extraho?
Quin ſemivivas pectoris vello fibras?
Vnum dolori nec meo vulnus ſat eſt.
Duabus umbris Choſroëm inferias peto.
SYR. Fiet quod optas, Choſroëm inferias dabo,
Non tibi, ſed orbi. Miles in campum rapa,
Vbi Tyrannum tota configat cohors,
Omnia cruore tela ſacrilego natent.
CHOS. Bene eſt, ſceleſtus proprium damnat nefas.
Fieri jubet, videre quod prohibent Dei.
At juſſa vindex impia aſpiciet polus:
Si quid parentis vota mactari valent,
Longùm execrando ſcelere non dabitur frui.
Patieris olim quod facis Syroë ſcelus.
SYR. Abripite, diras tartaro, & furiis canas.
At nos in aulam. Reliqua feſtivis dies
Saliat choreis, Perſis excuſſit jugum
Libera tyranno, Choſroës pœnas dedit
Cœlo, parenti, Satrapis, mundo, mihi.
Aſtræa tandem eſt ulta naturæ probrum,
Et rapta nato ſceptra legitimo dedit.

Imp. p. GASPAR ESTRICX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google